
PHILIPPUS DE II KONING VAN SPANGEN
WILHELMUS PRINS VAN ORANGEN GRAVE VAN NASSOUW
FERDINANDUS DE TOLEDO HERTOG VAN ALBA
Henricus Paulinus

HENRICI PAULINI
Rerum Belgicarum
HISTORIA,
Philippo II. Hiſpaniarum Rege ac Belgarum Principe.

ACCESSIT

Specialis inter Friſios Orientales & Occidentales contentio:

UBI ET

De Authoris Legatione, Captivitate & relaxatione.

Sumptibus GERHARDI NIEMAN,
Bibliopolæ Embdani, apud quem
etiam proſtat. 1663.

BIBLIOPOLA LECTORI SALUTEM.

Sunt, Lector Benevole, qui existimant, Romanorum res bello gestas diligenter & imprimis evolvi debere: propterea quod hic populus, cum à parvis & obscuris initiis paulatim crevisset, & vicinarum in se gentium odia concitasset, fortissimè se suaque defenderit. Ac debellatis vicinis hostibus, cùm ad ipsius potentiam non mediocris facta esset accessio, longinquiores etiam Reges & nationes barbaras ad arma provocaverit. Unde rerum à se gestarum, fateor, pulcherrimam videntur reliquisse memoriam Romani: Ego tamen, quantum possum judicando con-

ſequi, res in Belgio à Viris fortiſſimis & optimè de Patria ſua meritis, geſtas, non minùs quam Romanorum & Græcorum, legendas & evolvendas eſſe ſtatuo: Quippe propiùs ad noſtra tempora accedunt, & admiratione dignam cùm Religionis tùm Regionum & Rerumpublicarum mutationem referunt inſignem, variaque ob oculos ponunt exempla; ut taceam id quod vehementiùs delectent, atque moveant. Has eâ quâ potuerunt fidelitate, Viri nonnulli Eruditiſſimi, patrum noſtrorum memoriâ ſcriptis conſignatas, nobis ſtylo nitidiſſimo deſcriptas reliquêre: Quos inter noſtrum Henricum, Paulinum, virum dum viveret, moribus graviſſimum, eruditione clariſſimum, inque cauſis ad Rempublicam ſpectantibus vigilantiſſimum & experientiſſimum, meritò numerabis.

Dederat is res in Belgio præcipuè ſub Philippo II. Hiſpaniarum Rege

geſtas

gestas, typographo paulò ante beatum suum ex hac vita discessum, typis describendas: Verum opere vix ad umbilicum deducto ecce moritur, vitâ longæviori dignus Henricus Paulinus, & sic factum est, ut ultima huic operi haud potuerit addi lima. Elapsis aliquot à fato & funere ejus annis, Viri quidam Docti hæredes de scripto posthumo edendo aliquoties sollicitarunt; ast ut voti sui compotes fierent, non impetrarunt. Donec & prece & pretio Pauli Historias diu desideratas ab heredibus extorquentes accessêre, minimèque occultandas sed potiùs cum orbe erudito communicandas omninò persuasi. Copiosè enim hic singula deducit, quæ plerique brevitati studentes negligunt; Ita ut in describendis aut apparatibus bellicis, aut velitationibus, aut monomachiis, aut locorum oppugnationibus, aut collocutionibus Procerum & Fœderatorum, plurimus ac penè redundans

videri

videri possit; attamen non sine gratia; Fecit autem idipsum quod harum rerum bonam partem αὐτόπτης autor ipse fuerit. Religionis quoque mutatæ Historiam fideliter absque partium studio, tanquam motuum Belgicorum κεφάλαιον recenset; Atque ubi Clarissimus Sleidanus reformationem Germaniæ superioris describendo, fila abrumpit, Paulinus abrogationem doctrinæ Pontificiæ continuando in Germania inferiore eadem rursus nectit, telamque exorsam pertexit. Quare fructum egregium te ex hoc scripto consecuturum planè confido. Deum precor ut ad Nominis sui gloriam, tuam meamque salutem vergant omnia. Dabam Embdæ Kalend. Aprilis Anno cIↄ Iↄ c L x i i i.

HENRI-

HENRICI PAULINI, RERUM IN Belgia gestarum historiæ, Philippo II. Hispaniarum Rege & Belgarum principe,

Liber primus.

CArolus Quintus, Cæsar, moriens, Ferdinandum fratrem Romani imperii successorem, et Philippum filium regnorum suorum, et Provinciarum hæredem reliquit: Qui etiam eo vivo, et sese abdicante Magistratu, à principibus populisque Germaniæ, et Provinciis Belgicis, more majorum, inaugurati fuerunt. Erat Carolus, magno et prudenti vir ingenio, virtute et gloria rei Militaris, cum omnibus suæ ætatis Christiani nominis Principibus, tum etiam superioribus Cæsaribus, suisque majoribus, post Carolum Magnum, potentia præferendus. Catholicæ quidem Romanæ Ecclesiæ, ejusq; decretis, ut qua in religione esset natus atque educatus, cuiq; juratus, addictissimus. Quo tempore Martini Lutheri Doctrina per Germaniam innotuit, et res ad mutationem inclinare videretur, et si ad reddendam suæ Doctrinæ rationem, Wormatiam, publica fide evocatum, in conventu Imperii, adversante Romano pontifice, audiendum, domumque invio-

Anno. latum reducendum, constanter statuit: Tamen
1622. damnata ejus doctrina, proscriptisque libris, aqua et igni pertotum Imperium, Luthero reverso eiusque sectatoribus interdixit. Postea verò cum gravissimis Italiæ et Hispaniæ motibus distentus Carolus, aliquot annos Germania abesse cogeretur, multis sese principibus, atque civitatibus isti doctrinæ adjungentibus, Turcarum etiam et Gallorum hinc inde ingruente vi ac potentia, id edictum, variante fortuna, vel suspensum vel mitigatum, interdum etiam repetitum atque exasperatum fuit. Cujus quidem edicti asperitas, in belgicas postea provincias, ut infra dicitur, potisimum redundavit.

Anno. Itaq; anno Christi Servatoris, supra mille quin-
1530. gentos trigesimo, cum ex Italia, habito Bononiæ, cum pontifice maximo clemente septimo colloquio, post impetratam Rom. Imperii coronam, more majorum, in Germaniam, magnis bellis victor, potentissimo Rege capto rediisset, protestantium Christianæ fidei confessionem, in conventu Imperii Augustæ postulavit, quam lectam, hæreseosq; proscriptam, et si tunc ad præscriptum pontificis oppressam armis voluit, tamen sequentibus Imperii conventibus, moderatisque consiliis principum, eò res est deducta, ut apud pontificem Cæsar, de universali Orbis Christiani concilio congregando, in

quo

quo Lutherana dogmata disceptarentur, et controversa religionis capita legitimè deciderentur, sibi agendum judicaret: Quod quidem concilium intra Germaniæ fines legitimum Christianum atque liberum, protestantes semper flagitarunt. Pontifice verò vix ægrè tandem annuente, concilium Tridenti in finibus 1544.
Germaniæ est indictum, omissis diversis Italiæ civitatibus, antea designatis. Quoniam autem pontifex præsidere concilio, et Lutheranæ causæ tam accusator, quàm judex esse voluit, quem ipsi vicissim Lutheriani, reum multis nominibus arcesserent, falsæ corruptæque doctrinæ, graviter illi et solenniter de illegitima forma concilii, præter cætera questi sunt ac protestati, unde et protestantium nomen inclaruit. Sed enim inchoato concilio, Carolus non expectata decisione controversorum dogmatum, postquam cum Turcarum Cæsare Solymanno, inducias fecisset, cum Paulo III pontifice fœdus feriisset, et cum Francisco Rege Galliæ, pacem constituisset istam occasionem belligerandi, quam animo pridem conceperat, non negligendam putavit. Quamobrem tandem protestantes vi atq; armis magna celeritate, est adortus. 1546.
Et si autem ipse palam ferebat, omnibusq; vellet persuasum, se non religionis sed rebellionis causa, quibusdam sibi infestis seditiosisq; prin-

cipibus bellum facere: Tamen obtenta Victoria, principibus captis, et plerisq; Imperii civitatibus mulctatis, non solum Germaniam graviter afflixit, verùm etiam Lutheri doctrinam gravissimè est persecutus, neq; dubitavit, protestantes, cunctósque Germanos ad Concilium Tridentinum, et Romanæ sedis auctoritatem reducendos esse: Nihil enim obstare videbatur. Cæterùm Paulò pòst, ea quorundam Germanorũ principũ virtus illuxit, is patriæ et religionis amor, quæ et Carolo fortunæ inclinationem et Germaniæ multarum calamitatum liberationem salutemq; attulit. In fugam enim,
1552. Germanorum armis, ad Vyllacum conjectus, veterem belli gloriam, omnemq; propemodum auctoritatem amisit. Coactus est, Iohannem Fridericum Septemvirum, et Philippum Hessiæ Landtgravium, Captivos dimittere, et permittere, præter alios tunc proscriptos viros Principes atq; civitates, ad sua postliminò redire, et Germaniæ libertatem, et protestantium Religionem, ob quam potissimum bellum gerebatur, sartam tectam relinquere. Neque verò ille quicquam postea gessit memorabile, magna etiam accepta clade, ad Metim urbem, olim Divodurum dictam, memorabili expeditione denuò, ad versus Galliæ regem Henricum secundum suscepta, ut cum istam urbem Me-

tim, Victoriarum suarum M E T A M videret, et fortunæ mutationem, vir prudentissimus ipse sentiret, de imperio abdicando, et in Hispanias maturè atq; honestè secedendo, etiam tunc cogitaret. Itaque reducto exercitu, quem tertia propemodum parte morbis inediaq; confectum, amiserat, Obsidionem Metensem solvere coactus, intra Belgas suos concessit, ubi 1543.
cum triennium circiter, fervente etiam dum bello Gallico, se continuisset, conciliatis nuptiis Philippo filio, cum Maria Angliæ regina, curis morbisque confectus, ineunte autumno, anno 1555.
Christi M.D.L.V. Provinciarũ ordines ac Magistratus, Bruxellas in aulam Brabantiæ convocat. Ubi ex conclavi progressus, ob imbecillitatẽ corporis, innixus humeris Guilhelmi Nassovij, Aurantii Principis, deinde suam in sedem considens, decimo quinto calendas Novembris, in hunc fermè modum, tum ipse, tum per Philibertum Burzellium, Consiliarum, Belgicè verbi fecisse dicitur. Quod precatus sum à Deo Opt. Max. Subditi, more institutoq; majorum, illo die, cum auspicatò supplicationibus publicis, communibus votis, universæ provinciæ voluntate, à Philippi patris morte, harum terrarum Principatum adii, ut ea res mihi magistratuique meo, et vobis Reique publicæ benè et feliciter eveniret, ejus me voti compotem esse.

Oratio Caroli V. Cæsaris, ad Belgarum ordines, qua se magistratu

 factum,

abdicās Rempublicam filio commendat.

factum, Dei opt. Max. beneficio, et judicio arbitrioque vestro, magnoperè lætor. Quòd si illa solennis precatio, sacrorum ritu, atque inauguratione mea consecrata, tantam habuit in se vim et religionem, ut in hodiernum diem, vobis communiq; patriæ, sit salutaris idem etiam nunc precor, ab eodem Deo, ut in posterum etiam vestram salutem, sibi commendatam habeat, et vobis posterisq; vestris, sempiternam pacem et tranquillitatem, otium concordiamq; afferat. Nam quoad spatium præteriti temporis ab adolescentia mea, inceptum principatum recordari potestis, haud dubiè recordamini, mihi promptum semper animum, et ad vestram salutem promovendam, et ad vestram, patriæque libertatem, contra potentissimos hostes defendendam, et conservandam fuisse: quod quidem meum studum, Cæsarea mihi delata dignitate, maximè fuit, conspicuum. Quanquam autem diversitate regnorum et provinciarum, quibus me præesse Deus voluit, meis Belgis semper adesse non potui: Tamen rebus in Hispania et alibi constitutis, quantum potui, ad vos cursum reflexi, meq; rursum vestra causa Oceano commisi, et quod vobis à Gallo periculum imminebat, à vestris capitibus cervicibusque depuli: provinciæ finibus, firmis præsidiis, undequaque communitis. Postea in

Italiam

Italiam ad Cæſareum diadema, à pontifice Romano, more majorum, impetrandum, trajecto ſinu Liguſtico, navigavi. Quo tempore mihi res Italicas conſtituenti, allatum eſt, Margaritam Auſtriacã, amitam meam, vitam cum morte commutaſſe. Ergo nequid Reſpub. ipſius interitu detrimenti caperet, ex Italia magnis itineribus ad vos rurſum properavi, ſororemque meam Mariam, Vngariæ reginam, regia prudentia atq; induſtria præſtantem fœminam, in demortuæ Margaritæ locum, præſidem veſtram ſubſtitui. Turcarum autem tyrannum univerſæ Germaniæ inhiantem, Viennamque Auſtriæ oppugnantem, aliquoties ad pugnam provocavi, neque ſolum Vienna, verum etiam ex tota Auſtria, Germaniaque fugavi. Imò verò deinde magnis cum copiis, ſummo periculo, in Africam trajeci, eique regnum Tunetanum, Gulethamque arcem, ut videbatur, inexpugnabilem, cum finitimis regionibus, quâ veſtras claſſes ſpoliabat, et mare infeſtum in opùlentiſſimas terras navigantibus reddebat, memorabili expeditione eripui, mihique feci tributarium. Paucis autem pôſt annis, mihi Africam inſigni claſſe repetenti, Argeriumque ſummis viribus obſidenti, ne tum quidem animus, ſed fortuna defuiſſe videtur: Cum ſummis jactatus terra mariq; periculis, cum irrecu-

perabili mearum rerum jactura, sævissimis tempestatum procellis, disjecta amissaque propemodum tota classe, vix tandem ægrè in Hispaniam sospes redii. Quæ cum ita sint, videtis subditi, non me incommoda, non pericula, pro vestra quiete saluteque unquam fugisse; quin eam fuisse conditionem meam, nullam ut mihi ætatis partem, laboribus et periculis vacuam, transigere licuerit, nunquam sanè mihi otium quiesque contigerit; præsertim cum Galliæ regem, denuò tumultuantem, fidemque frangentem, cum vestros fines indesinenter vastaret, et vestra commercia ac negotiationes, nervos Fortunarum vestrarum intervertere tentaret, iterum fregerim et quemadmodum antè captivum habui, ita denuò ad pacem vobis omnibus salutarem compulerim. Ego verò paulò antè Romæ in amplissimo patrũ consessu, Paulo III. pontifici Maximo in os dixi, et publicè sum testatus; si quid ex hoc bello, quod denuò mei defendendi causa, essem coactus suscipere, Reipublicæ Christianæ daretur detrimenti, id universum in ipsum Gallorum regem, ardentem odio atque invidia meæ dignitatis, et honestissimos meos instaurandæ religioni labores, præpedire conantem, esse redundaturum. Taceo, quantis terra periculis, ex Hispania per Galliam, quà me ille tunc ultrò amanter invi-

parat, in Belgiam transiverim, tum, cum non nulli improbis consiliis, et nefariis ausi, in natali meo solo Gandavi, rebus novis studentes, magnos motus excitarent, quibus sedandis motibus, nisi intempore ipse adfuissem, incendioque celeriter oppresso, medicinam attulissem, tota ferè conflagrasset Provincia. Quo tempore singulari præpotentis Dei benignitate, accidit, ne quod mihi discrimen à perfidis hominibus, afferretur, Franciscum regem instigantibus, me, Galliæ fines semel ingressum, ne dimitteret: Cum tamen ille datam fidem tunc servaret. Denique bello cum Germanis prospere confecto, has Provincias firmo fœdere unitas, cum Imperio Romano, tanquam Firmamento, adversus omnem vim externam, vobis sancita pace stabilivi; Cujus quidem rei præclaros sanè atque uberes fructus sentitis. Quæso enim circumspicite et convertite Oculos, in omnes vicinas quaquà versus regiones, non temerè invenietis regnum, non Provinciam videbitis, quæ pari vobiscum otio acfelicitate floreant. Itaque hoc meum Reipub. studium, gravissimosque pro patria meos susceptos labores, gratè meminetitis, et me tandem ex his terris, in Hispaniarum regna, ex quibus nunc annos duodecim, eoque amplius, magno

ipſorum deſiderio, meoque incommodo abſum, redire non inviti permiſeritis, præſertim, cum ætatis et valetudinis meæ ratio ita poſtulat, qua me provectum, et curis morbisque confectum videtis, ut rebus gerendis amplius præeſſe non poſſim: Et philippum filium vobis relinquam, qui meas partes implere, abſentisque deſiderium facilè lenire poteſt. Equidem antiquam veſtram fidem, et obedientiam agnoſco, qua ope et conſilio, vita fortunisq; veſtris, ad defenſionem ſalutemq; patriæ mihi ſubinde adfuiſtis, confidens êundem animum, eandem veſtram voluntatem, erga meum filium ſucceſſorem deinceps futuram. Quamobrem ego in avita Hiſpaniarum regna diſcedere cupio, otium et tranquillitatem, tanquam emeritus miles deſidero, ut et ſalubriore aura, illic reſiduum vitæ, quantum à ſummo Deo mihi adhuc concedetur, procul negotiis ac ſtrepitu agam. Inprimis autem vos hortor, ad obſervantiam Chriſtianæ noſtræ religionis, cultumque divinum, ad obſequium ſanctæ noſtræ matri, Eccleſiæ Romanæ debitam, utq; interdictis de religione meis, jam pridem publicatis, crebróque renovatis, deinceps pareatis mando. Quemadmodum etiam meum filium hîc præſentem hortabor, quod quidem etiam eò faciendum eſt magis, quod in aliorum

exemplum intuentes, quid iis acciderit, quásq; in calamitates sæpè inciderint, quì extra hanc semitam exorbitarint, meministis. Deinde moneo, ut juris atq; justitiæ diligentem rationem habeatis, eique prose quisque pareatis, sine qua nulla Respublica, nulla generis humani societas stare potest. Et quoniam omniũ regnorum firmamentum est concordia, eam quoq; vobis commendatam volo. Et si enim diversæ dissitæq; Belgicæ provinciæ sunt, tamen ex iis veluti diversis membris, unam eandemq; civitatem, unum conficietis corpus, concordi legum observantiæ vinculo, et animorum consentiente voluntate. Nam ut verè dicitur, Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur: Ita res ipsa non semel docuit, quid Belgæ conjúncti, huc usque potuerint, contra potentissimorum hostium, terra mariq;, impetum et conatus. Sin verò diversis studiis in contraria tendetis, quorumlibet prædæ atque injuriis eritis expositi. Relinquo vobis, ut dixi, successorem Philippum, unicum meum filium, tot regnorum hæredem, nuper etiam Angliæ, Franciæ, Neapolis, Siciliæque regem designatum, cui Rempub. Nunc de manu trado, vobis remittens sacramentum, quo mihi hactenus obligati fuistis. Itaq; filium (cui post excessum meum, debi-

tum obſequium præſtandum, jam pridem quoque Sacramentum dixiſtis) ut in principem veſtrum meo nunc ſuſcipiatis loco, Eique deinceps pareatis, vehementer hortor. Cum autem ejus erga Rempublicam ſtudium, et generoſa indoles mihi patri cognita ſatis, ac perſpecta ſint, accedat juſta ætas, maturum judicium, multorumque regnorum ejus, vobiscum conjuncta poteſtas, non dubito, quin viciſſim eum vobis clementem et benignum principem, hoſtibus verò potentem adverſarium ſentietis, præſertim cum jam antè, aliquot annos, in Reipublicæ adminiſtrationem ſit ingreſſus, et in maximis graviſſimisque negotiis, non ſemel ſui animi, ac præclaræ virtutis ſpecimen ac documentum ediderit. Hac ad populum habita Oratione Imperator, ad Philippum converſus, Et tu, inquit, mi fili, hæc mea verba, de meis laboribus ac periculis pro populi ſalute, atque incolumitate ſuſceptis commemorata diligenter memento, Chriſtianam Religionem Catholicam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ colito, et exemplum meum domeſticum tibi imitandum proponito, ut non ſolum ditionum, verum etiam virtutum paternarum hæreditatem adiiſſe videâre. Et quoniam unà cum his terris, plurimas alias Provincias, in primis autem ampliſſima Hiſpaniarum regna,

Caroli admonitio ad Philippũ filium

tibi

tibi possidenda trado, ut sunt ii populi lingua legibus et moribus diversi, ita prudentiam et moderationem rebus administrandis, adhibeas, necesse est, ne maxima ista potestate abutare. Enim verò difficile est, summa cum potestate esse moderatum, et summis regibus temerariam dominandi cupiditatem nocuisse, et tyrannidem extremam perniciem attulisse, meminimus, contra verò Justitia et prudentia stabiliunt thronum. Notus est mihi Hispanicæ nationis innatus fastus atque ambitio, cui nisi frenum subinde injecissem, eorumque libidini remoram attulissem, non appareret harum regiorum ista felicitas, neque ea nostra dignitas et potestas, quæ nunc conspicitur, præter cæteros Christianos reges, emineret: Idem tibi censeo faciendum. Nam si Hispanorum dominandi cupidine Belgarum civitates premi, eorumque jura ac immunitates, quarum beneficiis sibi præservatis, in nostram Majorumque nostrorum fidem ac potestatem concesserunt, infringi permittas, magnam mehercules, harum terrarum mutationem, vel potius eversionem dabis, tuæ verò potentiæ atque dignitati non minimum detractum videbis. Postremò hortor, ut cum vicinis principibus, in primis cum Ferdinando et

Maximiliano Romanorum Bohemiæque regibus, patruo et patrueli tuis, amicitiam colas, et ſtabilita tua dignitate, nihil reliqui facias, ad ſummam induſtriam, ut etiam cum Gallorum rege firmam tandem pacem conſtituas. Tum verò Philippus ſua ſe ſede erigens, detecto capite, parentem cæſarem venerabundus ſalutat, paulóque progreſſus et in genua provolutus, porrectam dextram paternam ſubjectiſſimè exoſculatur, ſe modeſtè excuſans, neque tanta oblata dignitate dignum, neque eſſe parem tantæ moli: At verò, ſi ita parenti omninò videatur, ejus ſe voluntati judicióque totum ſubmittere, habere maximas et immortales gratias, et ſuſcipere ad miniſtrationem Reipub. Quantumvis difficilem atque gravem, eamque authore Deo ad Belgarum omnium ſalutem, ſummo ſtudio eſſe directurum. Inde aſſurgens Philippus, et ad populum converſus, quia ipſe Belgicè non loquebatur, per Epiſcopum Atrebatenſem, Anthonium Perenottum Granullanum populari lingua Belgica, paucis verbis idem ferè repetit, cum plurima ſignificatione benevolentiæ et propenſæ voluntatis. Quam orationem, provinciarum ordinis, per Iacobum Maſium excipientes, Cæſari gratias egerunt, et omne fidei atque obſequii ſtudium, regi obtulerunt. Denique cæſar conſurgens

Philippi reſponſio.

filium

filiũ paternè complexus, dextra ritè capiti impoſita,conceptis verbis Belgarũ principem nuncupat, ſuam in ſedem collocat, eidemque tanto adminiſtrando principatui, tot capeſſendis regnis atque provinciis, omnia fauſta et fælicia compræcatur ,palàm confractis ſigillis Cæſareis, productisque ſigillis regiis,quibus deinceps tabulæ publicæ, et cuncta gentium diplomata more majorum conſignarentur. Itaque philippi regis inauguratio ſolemnis jam vigeſimum nonum ætatis annum ingreſſi, in qui ex Iſabella Ergimælis portagilæ regis filia natus eſt anno 1527. 21. Maij. quo Roma principium juſſu capta ſpoliataque fuit,in Belgarum principem, ſolenni ceremonia atque pompa, ſecuta eſt, dato acceptoque à Philippo ac ordinibus, more majorum, mutuo ſacramento. Quemadmodum autem anno quadrageſimo nono, Nonis Iulii, Philippus Belgarum provinciis, ipſorum privilegiorum imminitates quinquagenta octo legibus comprehenſas, ſartas tectas parente mortuo, omninò ſe conſervaturum, ampliſſimis verbis, primo ingreſſu juravit, ita nunc idem in omnium ordinum comitiis, repetendo, plenè et religioſè ſancivit et confirmavit. His peractis Cæſar, cum multam ſalutem, Ordinibus magiſtratibusque dixiſſet, dextramque dediſſet, aula

philippi II. regis in auguratio in Belgarum principem.

Anno 1555.

exiis

exiit, et suum se in conclave recepit, obortis lachrymis, tùm Cæsari ipsi, tùm fere omnibus, qui adessent, senem Imperatorem ac benemeritum principem, tanquam bonum patrem collaudantibus, et novum principatum Philippo filio novo Principi congratulantibus. Et si autem Cæsar, jam adornata classe, statuerat ad idus Novemb. statim in Hispanias navigare, tamen consulentibus amicis, propter imminentem hyemem, profectio in proximam æstatem est dilata. Itaque cùm tandem mense Februario anni sequentis, cùm Henrico Rege Galliæ inducias quinquennales Guiennæ, apud Caletum fecisset, et reliqua per Belgiam composuisset, cæteris etiam omnibus suis Philippo collatis regnis atque dominiis, ducentis tantum millibus ducatorum sibi reservatis; De mense Septembri, cùm utraque sorore Maria atque Leonora reginis, Gandavum in Flandriam est profectus, inde in Selandiam discedens, commodam nactus tempestatem, in Hispaniam fælici cursu pervenit. Est in Hispania Betica, non procul à Merida, quæ olim Augusta Emerita fuit, in loco amœnissimo regni Castiliæ, Monachorum collegium, cui à divo Justo nomen est, ordinis fratrum Hieronymi. Hunc locum sibi delegit, Carolus Cæsar, ubi vitam reliquam, quod biennium fuit, procul negotiis

Carolus in Hispaniam discedit. Anno 1556.

quietus ageret, instrumento quodam admirabili Mathematico delectatus, omnem cælestium orbium et siderum cursum; tum etiam octavæ Sphæræ motum perpetuum, divino planè Leonelli artificio, complectente, ut multis quidem superioribus seculis; illiusmodi machina visa nunquam sit. Erat enim Cæsar gnarus scientiæ Astronomicæ, ut & artificum errata notare consuesset, & multarum linguarum peritus; ut diversis gentibus diversis linguis loqueretur. Historiarum etiam ita studiosus; ut prudentissimum Scriptorem Græcum Thucydidem; quem assiduè lectitaret; in Gallicam linguam sibi transferri curárit. Exinde Ferdinando fratri, Cæsari jam antè designato; at propterea Rex Romanorum appellato; Imperium tradidit; cum per Aurantium Principem Guilelmum ipsi atque Septemviris; quos penes jus est Augusti nuncupandi, Imperii insignia Francofurtum transmisisset. Obiit autem II Calend. Octob. (qui dies in vigesimum primum Septemb. diem incidit) anno salutis nostræ supra mille quingentos quinquagesimo octavo. Sed omissis rebus Germanicis; quæ sequentibus Cæsaribus acciderunt; Rerum Belgicarum statum; qui Philippo secundo Hispaniarum Rege; & Belgarum principe scribere

Carolus ex Hispania renunciat Imperio Romano.

Mors Caroli V. Anno 1558.

Belgas, veteres, Gallos nominarunt, eorumque Provinciam tertiam Galliæ partem posuerunt, nomen à Balgen, vel Belgen, quod Germanicè pugnare significat, dici existimo, quamvis alii alias conjecturas faciant. Hi ab oriente sole Rhenum, ab occidente Sequanam et Matronam fluvios habent, ad Septentrionem verò Oceano Britannico, ad meridiem Iura monte clauduntur. Omnium autem Gallorum Belgas fortissimos fuisse, C. Julius Cæsar scribit, propterea quod à cultu atque humanitate vicinorum, et consuetudine mercatorum longissimè abessent, plerosque tamen Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumque antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque expulisse, quemadmodum etiam hodie, circa eosdem fines plerique habitant, et constat, quosdam, quos Cæsar antiquitus Belgas vocat, etiam nunc Gallos esse, et Gallicè loqui: Belgas autem omnes uno nomine, nunc Germanos appellari, eorumque regionem Germaniam inferiorem dici, qui Superioribus annis, inprimis Carolo V. Cæsare, Belgarum Principe, præ reliquis omnibus Germanis, propter frequentiam mercatorum et celebritatem, omniumq; rerum varietatem et Copiam tam opulentissimi quam cultissimi atque humanissimi

Iura monte

sunt

ſunt habiti ut vere quidem tunc poſſet illa gloriari. Illa ego per totum notiſſima Belgia mundum, Nobilis, atq; opibus ſplendida factameis. Complectitur Belgia ſeptendecim Provincias, quas Julius Cæſar ſedecim,ſed aliis nominibus numerat, commoditate navigationum ac portuum, populorum legibus, atq; inſtitutis, urbium frequentia atque opibus Florentiſſimas. Sunt ii Flandri, Brabanti, Geldri, Sutphanienſes, Lutzenburgi, Limburgie, Namurci, Artheſii, Hannonii, Hollandi, Selandi, Marchionatus Imperii, in quo eſt Antuerpia, Mechlinienſes, Trajectenſes, Tranſyſelani, Friſii occidui, et Groningenſes; omnes inſignes Ducatus,Comitatus et Dominia diverſorum populorum. Plerique Belgæ olim liberi fuerunt, alii ſuos regulos habuerunt,poſtea à C. Cæſare,multis præliis difficulter accisi (ducenta enim et nonaginta ſex armatorū hominū millia, in aciem contra Romanos eduxiſſe memorantur)Romanis tandem armis paruerunt, quoum inclinante imperio, Gothi, Wandali, Hunni, Burgundi,poſtremo Franci acDani, eorumque vicini,quos communi nomine Nortmanos appellabant, Belgas diverſis locis ac temporibus invaſerunt, multisque modis afflixerunt. Et ſi autem Belgæ pro aris et focis, diu fortiſſimè

Belgarum provinciæ 17.

dimicantes,eos tandem repulerunt,tamen quod certo Principe ac duce carerent, turbulenti homines, Domi rebus novis studentes, Rempub. perturbabant, & Specie defendendæ Libertatis, oppressa plebe, tyrannidem invadebant. Atq; iste rerum status apud Belgas fuit, ferè ad Caroli magni ætatem, quo imperante, repressis seditiosis, pacem & quietem nacti, eousque respirarunt, donec sub ejus posteris, à Majorum virtute degenerantibus, in idem malum reciderunt. Nam Caroli nepotes, Belgici imperii Provincias, variis ac imbecillis regulis concesserunt,novis eos ornantes titulis, quos à Privatis Officiis, ad hæreditarias dignitates transtulerunt, Ita quidem, ut etiam ante ætatem Hugonis Capeti (quo Galliæ regnum invadente, Caroli magni stirps desiit) Belgæ ferè omnes diversis servirent Regulis, quorum alii Imperatores Romanos, alii Gallorum reges patronos agnoscebant, pauci titulo domestici sui Principis, gaudentes, neutrius partes sequebantur. Isti reguli continua inter se bella gesserunt, accedentibus populorum Gravissimis Factionibus, ac distractis studiis, quoad Philippus audax Burgundiæ dux, Margaritham Lodovici Malani, Flandriæ Comitis filiam in matrimonium duxit, in dotem aliquod Belgarum Provincias accipiens, ut paulò post suo loco dicetur. Quo tempore tranquil-

litas & pax cœpit apparere. Hoc verò tempore Belgæ vicinos habent populos, Gallos, Anglos, Scotos, Danos, Germanos, in quibus proximi sunt, Treverensis, Coloniensis & Monasteriensis Episcopi, Clivenses, Geldri, tum etiam Frisii Orientales, qui populi partim mediterranei, partim maritimi circum circa positi, ad varia commercia cum Belgis exercenda, & res terra mariq; gerendas inprimis sunt oportuni. Numerat Aistingerus in suo Leone in Provinciis Belgicis oppida munita, circiter ducenta quadraginta, sexies mille & trecentos insignes pagos, qui singuli suos magistratus & Ecclesias habeant, exceptis reliquis non pacis ignobilioribus oppidis & pagis, tum regiis munitionibus atq; arcibus. Alii plura, alii pauciora oppida & pagos narrãt, credo propterea, quod in hac rerũ humanarũ instabilitate, & civiliũ bellorũ motibus, etiã oppidorũ, cũ ruant hæc, exurgant alia, varii casus extitêre, & subinde ex pagis oppida, ex oppidis pagi, nasci & quandoq; majores pagi, oppida censeri consueverunt. Regiones ferè sunt planæ ac compascuæ, tum frumenti omnis generis, fructuumque feracissimæ, quædam etiam Sylvis arboribusq; obsitæ, & venationibus aptæ. Pleraq; oppida atq; urbes sunt Fluminibus & rivulis navigabilibus, in mare porrectis; terra aspectu delectabilis, homines

Belgarum oppida & pagi.

homines natura hilares, et solertes, aura salubris. Neque verò temerè ulla Provincia Orbis Christiani, Majoribus immunitatibus et Privilegiis gaudet, in primis Brabantia. Principi enim non licet, quemquam inaudita Causa condemnare: Sed cuicunque reo idoneum patronum ad legitimam sui defensionem permittere cogitur. Novas exactiones atque vectigalia, invito populo, imponere lege prohibetur: In conventibus Provinciarum, et Concilio publico, novi tributi Causa indictis, Brabanti è suis finibus egredi non tenentur, neque sibi vel exteros Consiliarios, vel administros Reip. peregrinos, paucis exceptis, adhibere, neque de summa rei, extra consensum omnium ordinum, qui sunt omninò tres, Ecclesiastici, nobiles et civitates, statuere Princeps quicquam potest. Itaque neque militem Brabantis prolubito imponere, neque monetæ valorem mutare, neque invitos contra leges patrias onerare, vel premere re ulla potest. Omitto aliarum Provinciarum, tum Antuerpiæ, et præcipuarum urbium jura ac libertates, quinquaginta octo legibus, ut supra diximus, comprehensas. Quòd si verò accidit, ut Princeps contra pacta et Privilegia veniat, Facta protestatione, subditi a Principis obsequio ac fide, ipso facto sunt liberi. Verum ego

Brabantiæ privilegia.

summa

ſumma ſequens faſtigia rerum, quæ ab aliis copioſè tradita et perſcripta ſunt, prætereo. Nam ſi de ſingularum regionum populis, ſitu inſtitutis, commerciis ac moribus, ſi de præclaris bello Ducibus, et præſtantis ingenii et Doctrinæ viris, indigenis Belgis, toto orbe celeberrimis, narrandum eſſet, præterquam quod actum agerem, ſinguli ſanè populi ſingula requirerent volumina. Illud tantum quaſi per tranſennam de Friſiis indicare licebit, quod ipſi antiquum nomen, et ſedem ad mare, ut ptolomæo, Tacito, Plinio et aliis antiquiſſimis et optimis authorum placuit, inter paucas gentes, etiam nunc retinent nomen vel à libertate, cujus ſtudioſiſſimi fuerunt ſemper, vel à Phryſio Rege, Clogionis Franci filio, ducentes. Nam et poſteriores authores non obſcurè ſentiunt, Friſios cognatos et confines Chaucorum, Saxonum et Francorum, qui et ipſi à libertate nuncupantur, et potentiſſimi laudatiſſimique Germaniæ populi cenſentur, olim fuiſſe. Veterem autem Friſiam, à Traiecto urbe Rheniq; oſtio, ſecundũ oceanũ, vltra Albim Iutiam usq;, Daniæ Provinciam deducunt, et Holſatiam Friſiorũ Coloniam cònſtituunt, vnde etiam nunc in Holſatis et Ditmarſis, minores Friſij numeranturFriſii etiã Orientales quondam redundante multitudine, Friſij.

domo profecti, in Helvetiis consederunt, & montana ista loca à se exculta possederunt, præclaram operam Romanis Imperatoribus sæpè præstiterunt, suæq; virtutis, multis Provinciis impressa vestigia reliquerunt, quamobrē etiam inprimis, à Carolo magno & Sigismundo Cæsaribus, egregia libertatis & virtutis, perpetuis literarum monumentis consignata præmia, qui vero hodie Orientales atq; Occidentales Frisiis nuncupantur, arctiores sedes ad mare obtinent, Amaso, Albi, & Visurgi Fluminibus, Dullarto, Lauendo, Iova, Eidora Asteuatijs Lamburque, alijsq; terminis inter se dirempti atq; conclusi quo justius Ubbo Emmen, diligens Historicus Frisius, Adrianum Junium Hornanum, virum alioquin Clarissimum, erroris vel livoris notat, scribentem, Embdanos comites, eorumq; trans Amasim sitam ditionem, inter Frisios Orientales, non posse numerari, quem tamen & rerum Testimonia evidentissima & clarorum scriptorum authoritates experientia ipsa, plus satis convincunt. Hæ Belgicæ Provinciæ omnes, nunc etiam in genere, Burgundicæ nominantur, propterea quod Burgundiæ duces iisdē potiantur, quarum amplitudine Domus Burgundica per orbem terrarum in illustri est. Burgundiones autem, vel Burgundi populi, à ptolomæo &

Burgundi.

veteribus

veteribus, inter Sarmaticas gentes, nunc Polonos, eorumque vicinos ponuntur, qui, ut alii existimant, à Wandalis & Gothis orti, sedibusque pulsi, versus pomeraniam, & Megapolensem ditiones sese flexerunt, Palatinatusque regionem circa Heidelbergam occupantes, multos deinde annos possederunt. Burgundos autem, quasi Burwonders, quod vicatim habitarent, vel quod per Burgos, idest, Castella, vel militum habitacula, in finibus posita, Augusti Cæsaris tempore essent distributi, à Germanis dictos esse, Pontus Heuterus, Principum Burgundiæ accuratus scriptor, præter alios memorat. Unde tempore Cæsaris Theodosii junioris, cum ex Germania expulsi, ut novas sedes quærerent, discessissent, in Sequanos Heduosq; Gallos migraverunt, ibiq; consederunt: Qui locus etiam nunc Burgundia appellatur: Regio in Gallia Narbonensi, ultrà citraque Saonam Fluvium, in superiorem & inferiorem distincta, à septentrione Lotharingiam, ab oriente & meridie Sabaudiam, & Helvetiam attingens, quarum altera Ducatus, inferior Burgundia, altera Comitatus, superior Burgundia dicitur. Quanquam etiam fuerunt, qui Reges

Ducatus Burgundiæ. Burgundia inferior.

comitatus burgundiæ, burgundia superior.

Burgundiæ se appellare voluerunt. Duces verò Burgundiæ, diversis prognati familiis, varia cum vicinis bella gesserunt, de successione et libertate Principatus. Res autem ad Familiam comitum Chabilonicam et Salinensem, tandem rediit qui conjugio à Meraniæ Ducibus, Imperatorum assensu, ducatum Burgundiæ ad se transtulerunt. Eorum etiam masculina stirps, extinctis Ottone Auperti filio, atq; hujus filio et nepote Philippis, desiit. Quare Burgundiæ ducatus ad Iohannem Regem Galliæ, ex Iohanna, Ruperti filia, Philippi Regis conjuge natum devenit, qui quidem Iohannes Carolo ejus nominis quinto, cognomento prudens, Galliarum regnum, et Philippo Audaci filiis, Burgundiæ Principatum reliquit. Philippus Audax Dux Burgundiæ, ducta in matrimonium Margaretha Ludovici Malani, ultimi Flandriæ comitis filia, ut supra indicavimus, dotalitio nomine Flandriam, Brabantiam, Arthesiam, Nivorniam, Salinas, Mechliniam et Burgundiæ Comitatum, ducatui Burgundiæ adjecit, Philippi verò filius, Iohannes dictus intrepidus, Dux et comes Burgundiæ universæ, Alberti Ducis Bavariæ, filiæ Margarithæ nuptiis, possessionem Hannoniæ, Hollandiæ, Selclandiæ et Frisiæ hæreditariis suis Provinciis addidit. Hujus Iohannis intrepidi

pidi filius, Philippus cognomento bonus, reliquas Provincias Belgicas, partim jure hæreditario, partim Testamento ac emptione, in unum Corpus coagmentavit, ut Imperii Belgici conditor meritò dici possit, relinquens filium Carolum Audacem Burgundum, cujus filiæ unicæ Mariæ conjugio, Maximilianus Austriacus, Friderici tertii Cæsaris filius, omnes superiores Provincias, additis à Carolo Geldris atque Sutphanis, ingenti fortuna obtinuit. Cujus filius deinceps philippus, mirabili conduplicata felicitate nuptiali, amplissimis Hispaniarum, Neapolis, Siciliæque regnis, Austriacam et Burgundicam domos amplificavit. Quibus cumulum addidit Carolus filius, Quintus dictus, Imperii Romani adjuncta potentia ac Majestate, ut ad summum rerum humanarum fastigium, Austriaco Burgundi, præter cæteros Europæ Reges pervenisse videantur. Burgundiæ tamen ducatum Galliæ Reges, tanquam membrum sui corporis, prætextu pactorum cum Carolo burgundo, ejusque Majoribus initorum, deinceps tenuerunt. Et si enim Franciscus primus Galliarum Rex, Carolo V. Cæsari, in transactione Madriciana, anno Christi M. D. XXVI, ex custodia domum rediens, promisit, se intra tempus bimestre eum Principatum

Austriaco burgundi

Cæsari restituturum, posteris tamen transactionibus, lis ista de Ducatu Burgundiæ, tandem sopita est, ut titulotenus tantum apud Belgarum Principes, Austriaco: Burgundos remanserit, ut suo loco dicetur. Imperiorum variæ sunt vicissitudines, quas sapientes certo naturæ cursu, suis terminis accidere existimant, & vidēmus illa passim variante Fortuna, quasi tempestatum procellis, susq; deq; jactari, & tanquā lucernam & vestem detritam paulatim consumi ac deteri. Cujus ratio est in manu præpotentis Dei, secundum tertiam & quartam hominum generationem, juxta divina Oracula, in lege sacra tradita, naturam disponentis. Etenim res humanæ intra mediocritatis terminos sese difficulter continent, sed ferè à medio exorbitantes, quandoq; in extrema ruunt suæ imbecillitatis, impulsæ fato, summa imperia à gente in gentem, à Familia in Familiam, stato tempore transferentes. Quorum exemplorum, cum omnis plena est Historia, tum hæc Belgici Imperii à quatuor Burgundiæ Ducibus, ad quatuor Austriaco Burgundos, successivè devoluta mutatio, Ducentos viginti novem annos propemodum conficiens, in primis demonstrat, ut hic annorum decursus, qui fatalis esse solet, Austriaco isti Belgarum Principatui, non omnino

Imperiorū vicissitudines & periodi.

faustus

faustus futurus esse videatur. Igitur Philippus, Caroli filius, jam Belgarum regnorumq; possessionem, à patre adeptus, ut ad institutam narrationem revertamur, Philiberto Emanueli, Allobrogum Principi, Consobrino, universæ Provinciæ imperium, quod antè Mariæ amitæ fuerat, tradidit. Interea novi belli causæ inter Henricum Galliæ, & Philippum Hispaniæ Reges, gliscere cœperunt. Mortuo pontifice Marcello II. Johannes Petrus Carraffa Neapolitanus, qui antea Cardinalis Theatinus erat, purpuratorum patrum suffragiis Romæ suffectus est, Paulus IIII. appellatus Jesuitarum sectæ author. Is inito pontificatu, cum omnes pontificios clientes ad se Romam vocari jussisset, quos inter, Marcus Anthonius Columna esset, ei quoque diem dixit, Anthonius, qui satis compertum haberet, se ad veterem inimicum, sine Maximo discrimine venire non posse, Neapolī proficiscitur, pauloq; post, à Pontifice, qui nihil quam Causā suos amplificandi nepotes quæreret, quod minus comparceret, perduellis declaratur. Ditionē, quam habebat in Equicolis, pontifex invadit, Tagliaccorrium & palianum cæteraq; ejus castella, Occupat, ibiq; fratris sui filium Fridericū Caraffam, Paliani Principem, solenni ceremonia constituit. Columna, qui se imparem pontifici esse videret

Causæ novi belli inter Henr: et Philippū reges.

Philippi

Philippi regis opem implorat; is haud ſui muneris ratus, clientem magno loco natum, et ſuis partibus addictum hominem deſerere; cum Pontifice per legatos egit, ut illi ſua relinqueret, eſſe alias rationes, aliaq; honeſtiora media, ſuos augendi, quam per aliena commoda, quibus ſibi et ſuis invidiam atque odium conflaret, Se verò, ſi quid pontifex alioquin honeſtè petat pro ſuis et proſe libenter gratificaturum: Sin pergat, neque de ſeveritate remittat, non defuturas ſibi rationes, quibus et ſuorum clientum fortunis, et ſuæ dignitati ſit conſulturus. Cum autem videret, pontificem neque precibus neque minis poſſe permoveri, Ferdinando Alvares Toletano Albæ Duci, qui tum Neapoli pro Rege Rempub. adminiſtrabat, expreſſis verbis mandavit, daret operam, ut et columna ſua recuperaret, et pontificem ad officium reuocaret. Paruit Albanus, atq; eô usque progreſſus eſt cum exercitu, in Velitris, Tibure et Hoſtia occupatis, ut Romam urbem obſideret, quam etiam capere potuiſſe exiſtimant, niſi religione retentus, Sacro ſancto pontifici parcendũ eſſe ſtatuiſſet. Interea pontifex Gallum ſolicitare, miſſo ad eum Fratris filio Carolo Caraffa Cardinali, qui Regi Senenſi bello militaverat, non ceſſabat. Annuit Gallus pontifici, et primum Aquitanorum, qui

Philippi regis et pontificis pauli IIII. gliſcens bellum.

Vaſcones

Vaſcones appellantur, cchortes aliquot, navibus impoſitas, ſubmiſit, qui ei interea, dum Majores Copiæ ad ventarent, ſubſidio eſſent. Neq; tamen contra inducias ſe facere, vel Henricus vel Philippus exiſtimabant, propterea quod non inter ſe et ſuis de rebus, ſed uterque pro altero, cui deeſſe non poſſet, propugnaret. Sed poſtea Henricus, Guiſanum Ducem, cum viginti millibus peditum et quatuor millibus equitum, Romam juſſit contendere, ut pontificem liberaret, qui ubi ſuperatis Alpibus, in Taurinos deſcendiſſet, et ſecundum padum Exercitum duceret, Valentiam initio anni M. D. LVII. pervenit. Eſt autem oppidum ad padi ripam, infra Caleſevaſium, ad duodecim millia paſſuum, quod Valentiam veteres appellarunt, Mediolanenſiũ parens Imperio. Itaq; Guiſanus petiit, ut absq; Injuria atque maleficio ſibi cum Exercitu oppidum tranſire liceret, quod cum Oppidani non modò negarent, verùm etiam ſclopetis rem è muris gererent, eſſentque quidam ex Gallis interfecti, Galli Oppidum aggreſſi, vi ceperunt, impoſitoque præſidio, per Æmiliam et Flaminiam, Romam contenderunt. Illic verò aliquot menſibus nulla re geſta memorabili (propterea quod pontifex ſegnius agere, nec promiſſa præſtare videretur, jam ad pacem inclinans) Gui-

ſanus,

lanus, Regis jussu exercitum incolumem initio hyemis reduxit, & pontifex quidem paulò post, restituto Columna, Philippo est reconciliatus. Post Captam Valentiam, & si utrique factum excusarent, Cæsarianis partim negantibus, partim alicujus militis ferociam protendentibus, Gallis se prius læsos atque provocatos, & inducias ruptas Prædicantibus: Certum est, ab utrisque deinceps de bello esse cogitatum. Itaque inter duos potentissimos Reges est atrox bellum renovatum. Cujus maturandi occasionem prabuit, quod Gallicæ classis præfectus Duacum Flandriæ oppidum, quibusdam oppidanis ad defectionem pellectis, multa pecude abacta, ex improviso capere tentasset. Tum verò Philippus, totis viribus sibi in Gallicum bellũ incumbendũ ratus, in Angliam Aprili mense trajecit, ut Anglos adversus Gallos excitaret, eorumque pecunia & milite juvaretur, quod & Reginæ conjugis authoritate obtinuit. Quamobrem de communi consensu Angliæ procerum, missus est fecialis, qui Henrico bellum denunciat. Suscepit hoc nuncium Rex hilari fronte; fecialemque aureo torque donatum dimisit. His verbis, quoniam Regina sine causa, ei hostis esse vellet, quam semper amicè coluisset, sperare, ope divina, se justis medijs, in-

Pontifex philippo reconciliatus

Bellum inter Henr: Galliæ regem, et Philippũ Caroli filium.

rem suam fœminæ resistere posse, quem ad modum contra Hostes suos, Majores sui semper facere consuessent. Vincias, habendis equitum peditumque delectibus dedit operam. Itaq; ad Gallum Ringravius & Riffenbergius, veterani Germanorum duces primarii, ad quindecim millia peditum, equitum verò quatuor adduxerunt. Philippi nomine præcipuè delectus habebat, Ericus Brunsuicensium Regulus, magnas equitum peditumque copias in Belgas educens. Quin etiam ex Italia Philippus, veteres aliquot belli Duces, & in primis Ferdinandum Gonzagam, Castalliumque Neapolitanum; eorum ut opera & Consilio in gravissimo bello uteretur, evocarat. Gallus autem mense junio, jam aliquot in Belgis oppidis castellisque captis, apud Atrebates ad Ambianum castra posuerat, sperans se Atrebato propter commeatus inopiam, præsertim cum magna tunc annonæ caritas ubique per Belgas vigeret, posse potiri. Itaque Philippus non sibi cunctandum ratus, universas copias quas haberet instructissimas, producere statuit. In primis autem Anglos monet, ut ipsi in continentem copias trajicientes infestis ab illa parte illatis signis, terrorem Gallis inferant: Ipse & philibertum Sabaudum, cui cum propter sanguinis ne-

cessitudinem, tum propter summam virtutis opinionem fidei voluntatisque constantiam, rei summam commiserat, præmittit. Is igitur in hostium irruens, Ranczoium arcem, Mariæburgum & Guisium oppida munitissima, prætergressus, natura cujusque loci diligenter explorata, consilium tegens ubique suum, de improviso tandem Fanum Quintini, Samarobrinam à Iulio Cæsare dictam, & nonnulli volunt in Veromanduis obsidet. Qua de re ab exploratoribus Gallus certior factus, quod intelligeret, permagni interesse, si eo oppido hostes potirentur, nulla interposita mora, suos laborantes novo confirmare præsidio, commeatuque molitur. Re autem non semel frustrà tentata, Annæũ Momorantium magnæ virtutis virum, Equitum Magistrum Connestablium vocant, egregiis instructum peditum equitumque copiis, magnaque procerum & nobilium corona comitatum, ablegat. Profectus igitur Momorantius, suos jubet hostem levibus præliis distinere, dum ipse in oppidum commeatum intromitteret. Galli autem ad castra sua redeuntes, cum non amplius tormenti jactu ab hostium castris abessent, in ipsorum tentoria tormentis dispositis, magno impetu fulminare cœperunt. Itaque cum ad arma esset conclamatum

tum, Philibertus ilicô jubet copias Samonam amnim, inter utriusque castra profluentem transire, ipse acie instructa cum equitatu in conspectum hostium progressus, legiones tardius subsequentes expectare cogitur. Aderant Philiberto, auspiciis regiis, præter Aurantium, Areschotanum, Belgas, Adolphum Holsteinium, Henricum & Ericum Brunsuicenses, Duces Germanos, aliosque multos illustres rei Militaris præfectos, Egmondanus & Hornanus Comites, quorum ille omnem levem armaturam, Belgarum equitum, hic mille equites, Aulæ ordinarios ut vocant, gravis armaturæ ducebant. Itaque cum primores ad tabernaculum Egmondani, in consilium omnes convenissent, deliberantes, quid facto opus esset, Egmondanus ingenti ardore pugnandi æstuans, cum hostem in conspectu haberet, censuit, eum cum equitatu, quo ipsi præstabant, sine mora adoriundum esse, neque peditum legiones, lento gradu sequentes, expectandas, ne sensim hoste elapso, qui jam per Andelotum, illato Quintinum Commeatu atque præsidio, omnibus copiis retrocedere videbatur, rei benè gerendæ Occasionem, amitterent. Hoc consilium, quamvis nonnulli variantibus sententiis dissuaderent, tamen prævaluit, ita quidem, ut cum universo

equitatu, in octo acies circumducto, Egmondano cum suis præcedente, tantum impetum in Connestablium, tribus circiter milliaribus à Quintino in acie consistentem undiquaque dederint, ut ille quantumvis ferox, Germanici præcipuè equitatus robur, cum suis ferre non posset. Erant enim præter alios Belgas equites, circiter decem millia equitum Germanorum, quorum singuli præter hastas, clavas & gladios, quaterna aut quina sclopeta, ignem glandesq; vomentia, in promptu gestabant. Nam & si Galli initio magna virtute resisterent, tamen cum se multitudine & virtute victos, & pugnæ impares viderent, tandem sese in fugam verterunt, qua in fuga suorum peditum turbatis ordinibus, ad prædam ac cædem eos hostibus objecerunt. Reliqui à suis destituti, abjectis armis se dediderunt Peditum ad Decem millia capta & cæsa feruntur. Equitum nobilium tria millia, in quibus Memorantius ipse cum filio, & Ludovicus Gonzaga Mantuani Ducis frater, Ferdinandi Gonzagæ ex fratre nepos, summæ spei adolescens, Ringravius atq; alii plurimi captivi, Philippo Regi paulo pòst, magna cum gratulatione & Triumpho in castra adventanti, sunt adducti. Signa etiam ferè omnia Militaria & bellica tormenta, cum multa & opulenta

opulenta præda, in manus hoſtium devenerunt. Ex Burgundis præter paucos, qui ceciderant, de proceribus, Ludovicus Brederodius periit. Hac Victoria potitus eſt Philippus, quarto idus Auguſti, Anno Chriſti ſervatoris M. D. LVII. Quintinum cum deditionem facere nollet, ex quatuor partibus acerrimè eodem momento oppugnatum, tandem aliquot poſt diebus, expugnatum direptumque eſt, & magna cæde paſſim fœdatum. Gallicæ claſſis præfectus Caſpar Caſtilionæus, quem Ammiralium vocant, & Andelottus frater, qui oppido propugnando præerant, præter cæteros, ibidem capti ſunt. Ammiralium captum Sabaudus Imperator, in ſuum tabernaculum in caſtris recepit, inde Antuerpiam, poſtea Schlueſam, incolumen perduci curavit, ubi tandem quinquaginta millibus coronatorum redemptus eſt. Cum Antuerpiæ eſſet, & aliquot ſeptimanis febri laboraret, Biblicas ſacras literas, in ſui ſolatium diligenter legit, qua lectione in reformatæ Doctrinæ cognitione ita eſt confirmatus, ut ei deinceps ſemper ad hæſerit. Andelottus,

Andelottus noctu clam evadens, Hanum salvus pervenit. Rebus in hunc modum gestis, & aliquot præterea arcibus & oppidis, Hano, Novioduno, & Channiaco in Suessionibus & Veromanduis, per Johannem Comitem Arembergicum, partim vi, partim deditione captis atq; expugnatis, quòd jam hyems instaret, haud longius sibi progrediendum esse Rex Philippus existimans, Quintinum & Hanum opere præsidioque munit, & Philibertum longè lateque veromanduorum & Bellovacorum vastatis finibus, exercitum, partim exautorare, partim in Hyberna dimittere jubet. Quo tempore Ferdinandus Gonzaga, jam ætate gravis, & acerbissimis articulorum doloribus affectus, belli consilia cum morte commutavit, Paulò pòst, quàm nepotem suum, quem captum fuisse diximus certa pecuniæ summa numerata, liberandum curarat. At Gallus tanta clade accepta, magno animo, novis delectibus imperatis, pro sua & Gallici nominis dignitate, nihil intentatum relinquens, revocatis Guisani copijs, quas Romam ad ferendam pontifici opem missas fuisse ostendimus, quæ tunc in piceno Flaminiaque versabantur, tum etiam & Brissaci equitatu ex Taurinis evocato, nova consilia agitavit. Nec Helvetii in tam gravi casu, Regi

amico

amico & ſocio defuere. Novi quoq; delectus Johanne Guilelmo Saxone Duce, per Germaniam habiti. Ubi autem in unum copiæ convenêre, Guiſanum omnibus præfecit, eiq́ue Termeum Stroſſam, cum aliquot alijs proceribus ad junxit, quorum Conſilio operaq́; uteretur. Is igitur menſe Decembri, rigenteq́ue hyeme, educto exercitu, ea ſpecie quaſi ad fanum Quintinum recuperandum tenderet, de improviſo converſis itineribus, verſus Caletum, oppidum maritimum Flandriæ iter arripuit, quod oppidum per exploratores acceperat, non ſatis firmo præſidio ab Anglis teneri. Quamobrem obſervata æſtus maris reciprocatione, terra mariq́ue oppugnationem aggrediuntur, ac primùm arcem objectam portui, quam Riſebentum vocant, tormentis quaſſare inceptant, qua citò expugnata, portum armatis navibus occupant, militemque exponunt, qui maris receſſu uſiis, per medios Euripos ad ipſam urbis portam contendit. Sed cum oppidani rem ſtrenue, agerent, aliquot Stroſſæ milites, qui eam ſibi partem invadendam ſumpſerant, parvis tormentis, pilarum procella proſternuntur. Ab altera parte, quæ meridiem ſpectat, aries erat lato vallo munitus. Hanc & ſi graviſſimè oppugnabat Guiſanus, ex majoribus caſtris, ut

muri, corona, vallumque defensore nudarentur, tamen eo die, quo oppugnatio cepta, oppidum capi non potuit. Sequenti nocte Strossa tormentis ad pontem promotis, eam portam vehementer quassare cæpit. Quare territo præfecto & defensionem deferente, irrumpentes milites oppidum munitissimum, & per ducentos annos ab Anglis possessum ac defensum capiunt atq; diripiunt, anno Christi servatoris M. D.LVIII. tertio Non. Januarij. Ibi Guisius imposito præsidio, ac Termeo Strossa Urbis præfecto, statim Guiennam contendit, oppidum parvum, sed operibus perquàm munitum, habens arcem ad Septentrionem firmissimam, Itaque Guisius promotis majoribus tormentis, ab omni ferè parte quatuor continuos dies oppidum verberavit; quarto die, cùm miles undiq; scansionem faceret, relicto oppido propugnatores, sese in arcem receperunt: verùm Galli ad arcis portas, admota atque accensa materia, portis, ignem implicuerunt, oppidoque & arce potiti, direpta incenderunt. His rebus, Brumalibus diebus, contra omnium expectationem gestis, terror est injectus hostibus, Gallia verò non parum recreata, quæ ex rebus superiore anno infeliciter gestis, tot claris bello ducibus orbata mœrebat. Neque verò Guisius sibi quiescendum, sed potius ad illustrandam virtutem & ul-

Galli Caletum Anglis eripiunt: Ao: M.d. Lviii.

Galli Guiennam oppidum & arcem capiunt & incendunt.

ciſcendum hoſtem, aliquid deinceps conandum tentandumq́; judicavit. Quare converſis ſignis quaſi incertis itineribus oberrans, tandemq́; ad lævam Lucenburgũ verſus deflectens, Theonvillam, quam quidam Theonis, alii Theodonis villam nominant, extremo Maij pervenit. Theonvillam locum admodum munitum Didenhouum vocant, præſidio tentabat Philippus, qui locus non longè Meti urbe abeſt, inter Mediomatricos & Lucemburgium, ad prohibendum Gallorum progreſſum valdè oportunus. Guiſanus ubi eò pervenit, bipartitis copiis, quarum alteras Neverſii regulo attribuit, alteras ſibi ſumit, ac duabus adverſis oppidi partibus, qua binæ erant portæ, & propugnacula bina, caſtra poſuit, foſſamq́; vallo cinctam, à ſuis caſtris ad Neverſii caſtra deduxit, quò tutò, ultrò citroq́; milites commeare poſſent. Tum Moſella flumine, ex quo latè diductis rivulis oppidum circumluitur, aliorſum flexo, aquisq́; ab oppidi munitionibus averſis, quatuor pontibus Moſellæ alveum ſtravit. Itaq́; ille muralibus tormentis, quatuor ex locis in oppidum, accuratè diſpoſitis, ſumma vi mœnia quatere, & propugnacula aperire, ut ad aggreſſionem militibus via ſatis ampla pateret. Etſi autẽ oppidani, magna virtute reſiſtentes, hoſtem aliquoties repellerent, expugnatũ tamẽ eſt, decimo Cal. Ju. ſed non ſine multorũ militũ & ducum

ſanguine atque jactura: Nam illic periit Petrus Stroſſa Florentinus, Reginæ Galliæ propinquus, belli Dux peritus & impiger, ſed fermè per omnem vitam adverſa fortuna jactatus. Cum enim ipſe cum Guiſano, paululum ad loca oppido vicina, pomeriaque illuſtranda, eſſet progreſſus, & ut fit, humi ſpeculabundus procumberet, ex oppido, tormento adverſum ipſos diſploſo, conjecta pila in Saxum incidit, cujus ſaxi fragmento Stroſſa ita eſt percuſſus, ut paulò pòſt interiret. Quemadmodum & Daniel Ranzovius, fortiſſimus belli Dux, Friderici Daniæ Regis, anno Chriſti M. D. LXVIIII. in obſidione arcis Warburgi, bello Suedico periit. Eodem tempore, quo hæc, à Guiſano exercitus Gallici Imperatore, ad Theonvillam geruntur, Temæus Stroſſa Calcti, & Senarpus Bononiæ præfecti, ultra Gravelingam, Duncher-cum, commodiſſimum maris portum Flandriæ, Neoclesia olim dicta, oppidanis intùs de deditione diffidentibus, & partim fugientibus, de improviſo ceperunt, verum cum id ſe retinere non poſſe viderent, præda onuſti abitum paraverunt, cum magnæ equitum copiæ adeſſe nunciantur, Duce Egmondano comite, cui adjunxerat Rex Philippus Bernemicurtium & Rentiacum regulos cum ſuis copiis. Nam bipartito

exercitu

exercitu profecti ſunt, ut hoſtem interciperent. Pedites ducebant Lazarus Suendicus, & Monneckhuſius, pugnaces & veterani Germanorum tribuni. Hi nacti hoſtem, non procul à Gravelinga, in patenti planicie, acie inſtructa, ei pugnæ poteſtatem fecerunt. Verùm Galli ſe inferiores numero cernentes, intra vallum ſe totum diem, inſtructa acie continuerunt, poſtridiè agmine quadrato ex caſtris progreſſi, ſe recipere Caletum voluerunt. Sed contra adventantem hoſtem, gradum ſiſtentes, aciem inſtruxerunt. Ad Siniſtrum cornu verſus meridiem, in campo ſabuloſo omnem prædam, impedimenta, currus & inſtrumentum Militare deponit, ad dexterum cornu in Septentriones, habebat vicinũ mare, à tergo, amnis profluebat, ut iis partibus tutus eſſet, à fronte novẽ tormenta bellica Curulia, Falconetta & ſerpentaria in hoſtẽ dirigebat: Inde ſclopetarios, mox equitatum, poſtremò, Germanorum haſtatorum phalangem, & Gallos, quaſi triarios, in quos, priores ordines, ſi pedem fortè referre cogerentur, tutò recumberent, optimo ordine diſtribuit. Exercitus ejus cenſebatur ad decem millia peditum, & mille quingentos equites, quos Caleti, & ex vicinis locis contraxerat. His Egmondanus, ſuas Copias, duodecim circiter millium pedi-

tum, & ultrò duo millia equitum, præter voluntarios, qui vaſtata ab Gallis Flandria, ſe in militiam ſpontè contuliſſent, ita oppoſuit, ut quinque alas equitum, quarum tres erant levis armaturæ, ad primam impreſſionem vel faciendam vel ſuſtinendam, in fronte collocarit: Alam dextram Comes pontelanus, ſiniſtram Enricus, mediam ipſe ducebat, quarta robore Germanici equitatus, quinta ordinariis aulæ Burgundicæ equitibus, ſuis quæq; præfectis conſiſtebant; Inde Belgarum, Germanorum & Hiſpanorum peditum Cohortes, certis intervallis ſequebantur, ut in omnis fortunæ pugnam, acies quoquo verſus integris ordinibus flecti & converti poſſet. Ipſe Egmondanus univerſis obequitans, oratione militari, repetita memoria recentis Quintianæ victoriæ, & Gallorum acceptæ cladis, pedites & equites ad pugnæ alacritatem excitat. Galli contrà ſuos animantes, Burgundos fortiter excipiunt, & tormentis primum laxatis magnum detrimentum inferunt, & ipſius Egmondani equum cui inſidebat, primo impetu trajiciunt. Egmondanus accepto recenti equo, præſenti animo, primis ordinibus inſiſtit, aciem dirigit, & cum ſtrenui Ducis & fortiſſimi militis munia obiiſſet, Galli verò impigrè reſtitiſſent, tantū undiq; certamē pugnandiq; ardor exarſit, ut non temerè ſimilis conflictus ſuperioribus an-

nis extiterit. Ibi erat videre ambas acies armis viri q; corruſcantes, equos equis, gladios gladiis, haſtas haſtis oppoſitas, quibus miles contra militem, pede pedem premendo, faciem feriendo, vibrando & jaculando, inter tubarū tympanorūq; clangorē & ſtrepitū, integrum ferè diem fortiter decertabat, & ad omnes inſultus inſtar ahænei muri, utrinq; conſiſtebat, ut diu Marte dubio, alternante fortuna, utri alteris ſuccumberent, & in præmiū victoriæ victi cederent, in incerto eſſet. Donec Anglici Claſſiarii, præfecto Malino Reginæ Angliæ auſpiciis, cum aliquot navibus bellicis, littori maris adnavigantes, latera Gallorū, & potiſſimū equitū, frequentibus Bombardarum ictibus, impeterent; tum primum alæ illorū perturbari, & cedere; Burgundi verò magis animari & gradum premere, denique totam Gallorum pedeſtrem, & equeſtrem aciem turbatis ordinibus diſſipare. Itaq; victoria ea die, quæ in Decimum Tertium Julii Diem incidit, Anno M. D. LVIII. à Burgundis ſtetit, maximè Egmondani ſupremi Ducis, virtute & prudentia, reliquis etiam memoratis ducibus & præfectis militaribus, impigrè ſua munia obeuntibus. Atq; hæc victoria eò fuit memorabiljor, quòd Burgundi tormentis majoribus caruerint, Galli verò iis optimè inſtructi, initio magnā hoſtibus cladē attulerint. Editur magna ſtrages, permulti in fuga celeriter hoſte inſequente concidunt, multi etiā

ſugientes à ruſticis cæduntur, præter illos, qui aquis immerſi perierant: Cæſorum numerus ad mille quingentos fuiſſe dicitur, capti plurimi. Ipſe Termeus, Dux Gallici Exercitus, graviter ſauciatus, præter alios magni nominis tribunos, cum tormentis & ſignis omnibus militaribus, in manus hoſtium devenerunt, Termeus à ſuis culpabatur, quòd pridie ante pugnam non moviſſet caſtra, & ſe Caletũ in tempore non recepiſſet, quòd ille poſtea, ſed ſerò facere voluit. Ex Burgundis non plures quadringentis perierunt. Hac potitus victoria Philippus (quæ magnum illi nomen & gloriam apud omnes mortales peperit, & illuſtri exemplo jam iterum, brevi tempore docuit quantum virtute & felicitate rei militaris, Burgundi Gallis præcellere) hoſtium terras cum validiſſimo & inſtructiſſimo exercitu ingreſſus, tandem non procul Dorlano oppido caſtra metatur. Guiſanus de his certior factus, veritus, ne hoſtis victoria inſolens, ulterius progrederetur, inſtauratis ruinis, impoſitoque Theonvillæ præſidio, caſtra inde movens, ad Moſam amnem acceſſit, inde quid hoſtis moliretur, obſervans, qui & ipſe Namurum ad idem flumen acceſſerat. Ibi cum utrique aliquandiu expectando ſeſe obſervaſſent, tandem Guiſanus Co-

pias,ultra flumen ad Guisam oppidum in Vero-
manduorum finibus educit. Neque tamen ob
eam rem Philippus castra movit,quæ res omni-
bus magnæ admirationi fuit, cum viderent
duos potentissimos exercitus usq; adeò propin-
quos, nihil tamen sese commovere sed ferè to-
tam æstatem in ocio frustra terere. Sed erat
in causa, occulta de pace tractatio, quæ per ca-
ptivos Momorantium,Santandreanum & Am-
mirialium, quem Sanctquintini captum dixi-
mus, atque Termeum, intercedente quoque
Christierna Lotharingi Ducis matre, lectissima
fœmina, vehementer urgebatur. Quamobrem
tandem pax, tot annos frustrà exoptata, tàm
sæpè tentata,inter duos clarissimos Reges Hen-
ricum atque Philippum, Emanuelem item Phi-
libertum,Taurinorum atque Allobrogum Prin-
cipem, cujus potissimum causa bellum gereba-
tur, ad Cambresium non proculCameraco facta
est, sed occultata diu, ne fortè milites, quibus
pacis nomen odiosum solet esse, consternati, de
rebus novis cogitarent. Propterea etiam diu-
tius in castris retenti sunt, ac si tandem dimissi,
quasi de pace convenire nequivisset,& sequenti
anno bellum redintegrandum foret. Erant
enim in utrisque castris centum & triginta
millia militum, quorum maxima pars è Ger-

manico

manico tum peditatu, tum equitatu conſtabat; is inquam, excercitus, qui ſi peccata noſtra tuliſſent, conjunctis viribus, Turcarum Imperatori ex Europa expllendo ſuffeciſſet. Rumor tamen confectæ pacis ſenſim erumpens, apud omnes percrebuit, & diuturnis jam bellis defeſſas nationes magnoperè recreavit. Ferunt Aurantium principem Guilelmum inſtigante Philippo ipſo, huic conficiendæ paci apud Momorantium, & Marſchallum Andreanum, primores Galliæ proceres, præcipuam operam præſtitiſſe; propterea quod in avita Hiſpaniarum regna multis de cauſis Rex, confecta pace, properaret. Interea Philippo Regi, de parentis Cæſaris, ejusq́ue Sororum, pauloq́ue pòſt, de uxoris Angliæ reginæ morte, nuntium eſt allatum. Itaque Bruxellas ſeſe ad ſuorum lugenda funera, dum pacis prodendæ tempus veniret, recepit. Nam ut hic & ſequens annus, hoc læto pacis nuntio, tanquam ſerenitate poſt multos nebuloſos atrosq́ue dies reſtituta, fuit illuſtris, ſic plurimorum interitu Regum inſignis ac funeſtus apparuit. Id quod etiam luridus dirusq́ue Cometes, acutum, in occiduam mundi plagam vibrans telum, Auguſto menſe viſus, non obſcurè denunciare, minariq́; videbatur. Nam hoc anno, in Hiſpania, quarto Non. Septemb.

mortua

mortua eſt Eleonora Cæſaris ſoror, quam Franciſcus Galliæ rex in matrimonio habuerat, quam paulò pòſt Cæſar ipſe Carolus undecimo Calend. Octob. ſecutus eſt, ut ſuprà diximus: Nec multò poſt deceſſit altera ſoror Maria, Lodovici Pannoniæ regis quondam Conjux, Belgarumq; præfecta. Philippus verò & Henricus eam hyemen pacis Confectæ conſcientia quieverunt, initamque pacem, ineunte tandem Aprili, promulgaverunt, anno Christi Servatoris M, D. LIX.

Pacis capita fuerunt præter cætera, ut Superiora omnia fœdera rata eſſent, ut de veteribus Controverſiis ante triginta annos, à partibus Galli, de jure Flandriæ, Artheſiæ, Riſellarum, Dovaci, Tornaci, regni Neopolitani, ducatus Mediolanenſis; tum à partibus Hiſpani, de jure Ducatus Burgundiæ, Provinciæ, civitatum ad Somam, & Comitatus, Bullonoji, utrinq; magna quidẽ olim contentione Cameraci agitatis, ſed ut pridem ſopitis, nulla omninò mentio amplius haberetur, ut reconciliati principum animi mutua præſtent officia, vitentque contraria: ut Christianæ Reipub, commoda ambo promoveant, damnum avertant, ſtudeántq; ut Concilium Generale de Doctrina Christiana Tridenti, adminiſtrante Romano pontifice, continuetur, ad exitumque deducatur: ut ſecuritas Cambreſi Facta Pax, inter Henr: Galliæ, & Philippum Hiſpaniæ reges.

utriusque Regis populis integra præstetur: Philippus Hispaniarum Rex Henrico Gallorum regi restituat Quintinum, Castelletum & Hamum: Henricus verò Philippo Theonvillam, Mariæburgum, Ivodium, Danuilleium & Monturedium: Terovenna, ut nunc est, restituatur Gallo, cujus muri ac propugnacula, quoniam à Cæsareanis excisa fuêre, Vicissim à Gallis, Ivodii, muri ac propugnacula, antequam id oppidum reddatur, diruantur, neutraque urbs in posterum muniatur, neque minus mille passibus ab ea ulla fiet munitio: Hesdinum suo cum agro sine præfectura Hispaniarum regi, tanquam matrimonium, maneat, ita ut deinceps ei Galliæ rex ea de re nullam controversiam moveat: Quicquid uterque rex in Montisferati principatu tenet, idipsum Duci Mantuano reddatur: Sed ea conditione, ut utrique liberum sit, quod ibi extruxit, demoliri, suaque tormenta, machinas & commeatum, & id genus alia exportare: Utque iis, qui alteri parti adversus alteram militarint utrinque impune sit; Gallus Valentiam, quæ Mediolanensis est juris & imperii, Philippo, Genuensibus verò Corsicam Insulam restituat: Cedito item Gallus, oppidis & arcibus, quæ in Hetruria occupavit, Philiberto, Sabaudo, omnia quæ ultrà Citràque

Alpes

Alpes occupavit, reddito præter Taurinum urbem, pinarolium, Clavasium, quæ cis Padum sunt, prætereaq; Cherium & Villanovam, in Astensi agro, ultra padum Alpesque sita; quæ loca Gallus triennium tenebit, quò interea temporis, si quid juris in iis habeat, cognosci decernique possit: Philippus vicissim Astam urbem atque Vercellas retineto, quoad Gallus ea quinque oppida Sabaudo reddiderit: Cætera omnia commemorata, intra quos menses, à promulgatione pacis restituantor: Qui prior reddere volet, ei altera pars quatuor, quos optaverit, obsides dato, hos, ubi alter quoque reddenda reddiderit; incolumes remittito: Sabaudus neutri parti adhæreto, utriusque amicitiam colito: Neuter regum adversus sacrosanctum Germaniæ Imperium, aut ejus ordines & nationes nisi lacessitus aliquid moliuntor, verùm ejus quietem & concordiam pro virili uterque foventor & procurantor. Rumor autem increbuit, Reges inter se pacem fecisse, ut conjunctis viribus cum Romano pontifice, Lutheranos, eorumque Doctrinam oppugnarent, quod quidem ipsorum Concilium minimè obscurum fuit, cum uterque Concilium Tridentinum, ut dictum est, continuatum voluerit, uterque deinceps suo in regno, ejusdem concilii executionem, Lutheranorum

passim flamantibus regis, summa ope urserit. Quo firmius autem fœdus iniret, affinitatis vinculo id ligatum est, atq; sancitum, ut Henrici filiam, natu maximam, Elizabetam, in uxorem Philippus duceret, acciperetq; dotis nomine quadringenta millia aureorum nummûm. Philibertus Sabaudus item Margaritham Henrici regis Sororem in Conjugem acciperet, unà cum dote trecentorum millium aureorum, & Biturigum principatu, qui Berri nunc apellatur, quem principatum Rex sorori, quàm diu vixerit, utendum fruendumq; donavit. Transactæ pacis consiliarii fuerunt ab Hispanis, Ferdinandus Aluares, Dux Albanus, Guilelmus Nassovius, princeps Aurantius, Rigones de Sylva secretus senator, Anthonius perenottus Granuellanus, Episcopus Atrebatensis, Viglius Zvichemus, Regii scrinii per Belgas magister Ab Gallis erant, Cardinalis Lotharingus, Annæus Memorantius Comestabilis, Jacobus Albonius, Mareschalcus Andreanus, Johannes Morvillerius, Episcopus Aurelianus, & Claudius Laubespinna, Regius secretarius. Icto fœdere atq; sancito, Galli, quod ipsi vellent, priores restitutionem auspicari, obsides postularunt & acceperunt. Confirmavit prior Philippus Buxellis nonis Aprilis, Henricus verò deinde Lute-

tiæ

tiæ XIIII. Calend. Julii. Facta præterea potestas omnibus Christiani nominis principibus & civitatibus, sese ad hoc fœdus adjungendi, modò à fœderis publicatione, intra sex menses, obsignatis monimentis atque literis contestentur. Ut autem connubia ex fædere ritè celebrarentur, misit Philippus Albanum Regulum Lutetiam, qui Regis sui nomine, Sponsæ fidem daret & acciperet. Itaq; cum X Calend. Julias Philibertus Sabaudis, & ipse Lutetiam pervenisset, eodem die filiæ Regis Elisabethæ Sponsalia sunt celebrata, Lotharingo Cardinali verba faciente, ac solenni ceremonia Albano paranympho regiam sponsam tradente; Per sex deinde dies, nullum hilaritatis lætitiæq; genus, cum conviviis, tum ludis, Regio apparatu exhibendis, est prætermissum. Septimo verò die, qui fuit tertius Calend. Jullii, Margaritha Regis Henrici soror, Philiberto desponsa est, & certamina equestria habita, in quibus Rex ipse Henricus extitit provocator, unà cum tribus aliis principibus, Ferrariensi, Guisano, atque Nemurio. Prodiit autem rursus in pugnam postridie armatus rex, atq; ubi summa cum omnium admiratione conflixisset, atq; aliquot hastas alacriter fortiterq; fregisset, admonuit eum

Nuptiæ regiæ Hispanogallicæ Parisijs.

Regina

Regina conjunx, Annæus Momorantius, & alii proceres, ut quoniam ingens æstus esset, & ipse jam satis, tum pridiè, tum eo die, certando laborasset, deinceps quiesceret, Cui Rex respondit, se jam strenuè, quatuor decursionibus esse persunctum, quintam velle in Philoberti propinqui sui gratiam obire, idque statim, ut ipsi Philiberto significaret, Momoranti filium misit: mox cum Mongomerrio Lorgeo Comite, Satellitum suorum præfecto, quamvis frustrà, id ne fieret, deprecante, juvene forti & strenuo, tanto impetu concurrit, ut Mongomerii hasta, quam de manu ipsius Regis in certamen acceperat, in Regis pectus frangeretur, & fragmentum per cassidem, non arctè clausam, vi adactũ, regi dextrum oculum perfoderet, fragmentiq; pars intra ipsum frontis cranium, altè infixa occultaque maneret. Illicò accurit Momorantius cum aliquot principibus, qui Regem ex equo in sellam collocarunt, apertamque cassidem plenam cruore cernentes, in Regiam, ut curaretur, portarunt, quod ubi vidit, Mongomerius, ingenti dolore metuque perculsus, ad Regis accidit pedes, ejus facti, à quo omnis fraus culpaque abesset, veniam precans: Cui Rex promptè & clementer ignovit, affuit statim Regina, cum Delphino & aliis Aulæ pro-

ceribus,

ceribus, pene examinata, fletuque & plangore totam Regiam impleverunt. At Rex cum potum petivisset, Ego, inquit, semper operam dedi, ut pro Gallici nominis gloria, meæque patriæ ac gentis securitate, fortiter in hostes pugnans, honestam mortem oppeterem: Jam verò quandò alio mortis genere, mihi Dei voluntate occumbendum esse videam, ei me commendo, ejusque volumtati totum subjicio; Vereor autem, ne quid iniqui in meos consiliarios, religionis ergò, commiserim. Quem sermonem Cardinalis Lotharingus excipiens, monuit, ne illiusmodi cogitationibus, quas malus dæmon ingereret indulgeret. Ex eo vulnere orta est febris molestissima, ut per decem totos dies, acerbissimos cruciatus senserit, eique non solùm hebetaretur visus, verùm etiam loquendi facultas adimeretur. Itaq; undecimo die, qui in decimum Augusti diem incidit, est vulneris dolore consumptus, Rex ætate atque opibus florentissimus, cum quadragesimum primum ætatis annum attigisset, & regnum duodecim annos tenuisset, qui inter hostes tutus, inter ipsa nuptiarum solenia tutus esse non potuit. Hic Rex in summo splendore et & fastigio generis humani positus, cum præter opinionem cruento casu interfectus ceciderit, festaque nuptialia in fune-

Henrici Galliarũ regis mors.

ſtum & lacrymoſum diem converterit, illuſtri exemplo mortales docuit, nihil uſquam in rebus humanis ſtabile, nihil firmum reperiri, ſolidam autem felicitatem in æterno Deo, ejuſque ſincero cultu, eſſe fundatam, cujus vocem ſacratiſſimo verbo ſuo, per incorrupta prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, nos invitantem, in hac tanta doctrinæ luce repudiandam non eſſe. Fertur Genevatibus Sabaudis, qui reformatæ Eccleſiæ doctrinam ſequerentur, in gratiam novi affinis Philiberti, paulò antè graviter eſſe minitatus: Certè multos Lutheranos, in quibus Annas Burgius, & alii ſenatores regii, ſupremi parlamenti judices erant, viros præſtantiſſimos, tunc in cuſtodia detentos, ad necem rapi cremariq́ue juſſerat, minitans, ſe ſuis oculis Burgii flammas aſpecturum: Quamvis illuſtriſſimi Germaniæ principes pro eis magno ſtudio ſupplices intercederent. Burgius tamen poſt necem regis, flammis abſumtus eſt, & ſuo ſanguine, veram Religionis doctrinam ſancivit. Philippus autem, cum jam antè, Cæſari patri aliiſque ſuis quas modò memoravimus regnis, magnificentiſſimè juſta ſolviſſet, etiam ſocero Henrico regi, funebres exequias Gandavi religioſè celebravit, & inter alios magni nominis principes, Franciſcum II. ſucceſſorem,

Gallorum

Gallorum regem, in ordinem aurei velleris, honoris causa ascripsit. Tum ordinata Repub. Belgica, auratisque proceribus ordinum, suis administris commendata, quos amplis quoque muneribus donavit, trigesimo Augusti, anno supra mille quingentos quinquagesimo nono, Flissinga solvens in Hispaniam secundo vento navigavit: Ubi paulò pòst filiam sponsamque regiam, summa Hispanorum omnium lætitia adductam, in conjugem accepit. Nuptiæ celebratæ sunt in Castilia, apud Numantiam, pridie Calendas Februarias anni sequentis, regio luxu & pompa. Eodem tempore Carolus, Philippi unicus filius per Castiliam, aliaque Hispaniarum regna, in principem, patris successorem, solennibus ceremoniis, & magna, omnium congratulatione est inauguratus. Paulò antè paulus IIII pontifex diem suum Romæ obiit, cujus morte plerique mortales, in primis verò populus Romanus, non parùm lætabantur, propter intolerabiles exactiones, & gravissimorum & non necessariorum bellorum onera, quibus subditos indesinenter presserat atque vexarat. Itaque eo mortuo, populus Romanus armati domum Inquisitoriam invadunt, incendunt, ipsum Inquisitorem

Philippi regis ex Belgia in Hispaniam discessus. Anno 1559.

pauli IIII. mors

Inquiſitorem, fugientibus collegis capiunt, captum violant, captivos illic detentos liberant, propterea, quòd religionis prætextu, multos bonos uiros, inimicos ſuos, poſſeſſionibus privaret, variis tormentorum generibus excruciatos necarat, quorum facultatibus ſuos propinquos ac nepotes ditarat. Porrò ſtatuam ejus quam ſibi in capitolio poſuerat, deturbant, caput detruncatũ in Tyberim projiciunt, publico edicto mandant, ut omnium ejus propinquorum & neceſſariorum de Familia Caraffa, tanquam hoſtium generis humani, & quorum nomen ſit deteſtabile, ſtatuæ, tabulæ pictæ, tituli atq; inſignia confringantur, atq; ex hominum memoria deleantur. Sequens deinde pontifex Pius IIII. Johannes Angelus propriè dictus, Mediolanenſis, de Familia Mediceà, & ſi Cardinali Caraffæ, principi palliano, totiq; iſti familiæ, omnium delictorum veniam dederat, & multa liberaliter ſcriptis verbisq; eſſet pollicitus, tamen cunctos, in carcerem poſtea conjectos trucidavit. Henricus II. Galliæ rex mortuus, & ad Dioniſii ædem ſolenni ceremonia ſepultus, quatuor filios & tres filias ſuperſtites reliquit, quorum maximus natu, Franciſcus II. dictus, ut modo diximus in regno ſucceſſit, & Rhemis more majorum, ſed non pari, pompa, propter

Pius IIII. ponti fex.

exhauſtum

exhaustum indefessis bellis ærarium, decimo septimo Septembris die, anno Christi 1559. à Cardinali Lotharingio, Rhemorum Archiepiscopo coronatur. Quo tempore inter alios, etiam Philippum Hispaniarum regem, in ordinem equitum divi Michaëlis, cooptavit. Hoc tempore apud Anglos rerum potitur regina Elizabeta, Henrici Octavi, regis filia, Eduardi vi & Mariæ regum, cui nuper successerat soror, virgo omnibus naturæ dotibus lectissima, vigesimo quinto ætatis anno. Nam & prudentia, & magnitudine animi prædita erat singulari, excellens eruditione doctrinæ, multarumque linguarum scientia, & facundia. Has præclaras virtutes eximia humanitate, & præstanti corporis forma ita exornabat ut regio aspectu & augusta Majestate suis esset venerabilis, exteris verò, ad quos ejus virtutum fama pervenit, perpetuis fermè fortuna successibus aspirante, Deo etiam admirabilis. Ea à Sorore Maria, in custodia detenta erat, præcipuè propter reformatæ religionis causam, ex qua quidem custodia, ab ejus morte, divina ope liberata, & ad Regni habenas constituta, reformandæ in primis religioni, quam pontificiam Angli sequebantur, animum adjecit. Itaque disputationes & colloquia publica, utrarumque religionis partium,

Franciscus II. rex Galliæ.

Franciscus Elisabetha Angliæ regina.

in omnium ordinum Corona, de præcipuis Doctrinæ ſacræ capitibus, inter Doctiſſimos & ſacratos viros, ſolenniter indixit, quo facto, & judicio arbitrioque ordinibus & ſummo parlamento permiſſo; forma Religionis pontificæ, quam Philippus & Mariæ reges, Reginaldo polo Anglo Cardinale apud pontificem Satagente, magnis laboribus & ſumptibus ante quinque annos introduxerant, publico decreto per Angliam & Hyberniam abrogatur, & reformata Doctrina, qualis Eduardo vi rege obtinuerat, quaſi poſt liminiò reſtituitur. Extorres patria, religionis ergò, revocantur, & in ſuas ſedes poſſeſſionesque redeunt. Quod exemplum Scoti paulò pòſt imitantur, Romana pontificia Religione, ſuo etiam in regno planè abrogata, ut latius ſuo loco dicetur.

Religio in Anglia mùtatur.

LIBER

Causa factæ pacis & acceleratæ Hispanicæ navigationis, inprimis memoratur, in Philippo Hispanicæ Inquisitionis confirmandæ, & Concilii Tridentini decreta publicandi, ardens studium. Nam quia quotidianis nunciis & literis cognovisset, contagionem Lutheranæ hæresis, ex Germania, Gallia, Anglia, aliisque vicinis gentibus, in Hispanias etiam penetrasse, & indies magis propagari, eáque non solum homines plebeios, verùm etiam nobilissimos quosque esse infectos, nihil reliqui fecit ad summam industriam, ut in tempore medicinam faceret, et istam, ut vocabat, serpentem et ad novos regnorum suorum motus tendentem pestem, radicitus exstirparet. Quare facta pace, & Philiberto Emanuelo suum in regnum restituto, cum in Hispanias appulisset, statim in Civiliam profectus est, & in delatos Lutheranos, utriusque sexus reformatæ religionis homines, de mense Septembri rogos, & flammas passim excitat. Quin etiam pinciæ, quod est oppidum, Terraconense, nunc Validoletum vocant, sequenti Octobri, viginti octo de summa nobilitate, & illustribus familiis, natos Marchiones, Barones & Comites, mares & fœminas apprehendi & vario tormentorum genere, suo suorumq; in conspectu, cruciari & vivos cremari

mari voluit. Profecturiens rex ſtatuerat, Hiſpanorum militum præſidium in Belgis relinquere. Ordines verò reverenter queruntur, rem iſtam ſibi gravem, & ſuis privilegiis adverſariam accidere, quin etiam ipſum ſui ſacramenti, quo immunitates provinciæ ſolenni inauguratione confirmaverat, graviter admonent, ſupplicantes; ut adminiſtrationem temperet, ne juxta patriæ ſtatuta; ni pacta ſervet, adverſus eum neceſſariò proteſtari cogerentur, ſpondentes, tam in Catholica Romana religione obſervanda, quàm regia authoritate colenda, omnem fidem atque operam, qualem olim Cæſari patri, ejusq; majoribus, præſtitiſſent. Rex tandem precibus exoratus, rationibusque perſuaſus, annuit, mandans ut trimeſtri ſpatio Hiſpanus, omnisq; peregrinus miles, Belgia diſcedat; quamvis occaſione à Turcis, Philippo erepta Zerbiæ, Inſulæ Africanæ, res ad ſequ. annum dilata fuit, quo tempore hic miles tandem illuc evocabatur. Sed enim ad tutandos fines, aliquot ſigna indigenarum militum retinuit, & obſervantiam Catholicæ Romanæ religioni præſtandam, patriis ſæviſſimis edictis renovatis, pauliſper indocto Hiſpanicæ Inquiſitionis nomine, demulcendis Belgarum animis, diſcedens mandavit. Itaque Margaritham Auſtriacam, ſororem notham

tham, Octavii Fernesi, parmæ & placentiæ Principis conjugem, universis Belgicis provinciis, in philiberti locum substituit. Cui Senatum provincialem omnium ordinum, Senatum statuum vocant, tanquam protectorem provinciæ, & belli pacisque arbitrum, consiliarium addidit. Hujus Senatus principes constituit Guilelmum Nassovium Aurantium principem, Anthonium perrenottum Granuellanum, Episcopum Atrebatensem, & Amoralium Comitem Egmondanũ. Mandat præterea minori Senatui, quem Secretum vocant, administrationem legũ ac justitiæ, cui præfecit Viglium Zvidiemum, quibus duabus veluti anchoris Rempublicam constitutam relinquit. Addit tertium Senatum vectigalium ærarii regii, Financiarum vocant, veluti nervum Reipublicæ, cui præesset Carolus Barlamontius, gravi addita censura, ut conjunctis studiis universi, erudita prudentia, pro se quisque communem patriæ salutem, distinctis muneribus promoverent. Distribuit præfecturas, ut Margarithæ Sorori Brabantiæ administrationem, atque Antuarpiæ, peculiariter demandaret, Aurantio principi Burgundiæ Comitatum, Hollandiam, Sehelandiam, Trajectensem ditionem: Iohanni Arenburgico Comiti Transyselanam provinciam, Frisiam & Groningensem

Philippus remp: Belgicam discedem ordinat. & Margaritham Parmensem præsidem provinciæ constituit

Quamobrem & exteris omnibus ſcholis, excepta Roma, ſeveriſſimè eſt interdictum, & Libri Lutheri, Zuinglii & ſimilium ſcripta, pœna capitis prohibiti. Granuellanus autem animadvertens, reformatam tamen religionis doctrinam per Belgiam pullulare, cum propter vicinorum Germanorum, Gallorum & Anglorum quotidiana commercia, tum quod aula Aurantii principis, concionibus reformatæ religionis (erat enim ita pactum, matrimonia libus tabulis, inter Aurantium, atque ejus conjugem Mauritii Saxonis Electoris filiam) perſonaret, tum ille indignari mores, religionemque criminari, Catholicæ religionis interitum, motumque provinciæ divinare, nova conſilia agitare. Itaq; novis Epiſcopis, ut ſummis inſpectoribus ſacrorum, ad Hiſpanicam Inquiſitionem obtinendam, ſine qua integritas religionis ſtare non poſſit, opus eſſe judicabat. Preſertim cum non ſolùm quidam de nobilitate, atque magiſtratu, verùm etiam multi ordinis Eccleſiaſtici viri, Abbates & paſtores, qui amplas haberent facultates & præfecturas, & reliquis ordinibus dignitate antecellerent, remiſſius agere viderentur. Quapropter & majores illas præfecturas, & Abbatias, aliaque opima ſacerdotia, ſtatuit eſſe dividenda, & in plura veluti membra diſtri-

buenda, quò majori, pluribus quàm paucioribus inspectoribus, res animarum curæ essent. Etenim nullam nec potestatem, nec autoritatem Sacerdotum fore, videbat, nisi & amplissimi ordines, Episcoporum reverentia, tanquam freno constricti, & firmamento nixi, in officio continerentur. Archiepiscopus quidem Coloniensis, antiquitus nonnullis in Belgia episcopatibus præsidere solet, tamen cum is longè in Germania abesset, neque unquam ecclesias sibi commissas inviseret, alienaq; lingua uteretur, neque etiam nemo unus Episcopus, tot provinciis oneri ferendo esset, rem, ut ajebat, salutarem ursit. Itaq; tandem per Franciscum Sonnium, Theologum Lovaniensem, hominem confidentem, apud pontifices Romanos, Paulum IIII, exeunte Majo, anno 1559. & deinceps Pium IIII, anno 1560, ineunte Martio, novorum Episcoporum institutionem rex Philippus impetravit, insciis ac invitis veteribus Episcopis & Abbatibus, imò etiam inconsultis provinciarum Ordinibus, qui potissimum ex nobilibus & civitatibus constant. Erant autem in Ordine Archiepiscopi tres, Trajectensis, in locum Archiepiscopi Coloniensis succedens, cui subessent quinq; episcopi, ut vocant, suffraganei, Harlemensis in Hollandia, Middelburgensis in

ſis in Sehelandia, Leoverdenſis in Friſia occidua, Groningenſis in circum jacente agro Weddenſiq; ditione, & Daventrienſis in Tranſyſelana provincia. Secundus Archiepiſcopatus conſtituendus Cameraci, cui ſubjicerentur Epiſcopi Atrebatenſis, Tornazenſis, Odemarienſis, & Namurcenſis. Tertius Archiepiſcopatus eſſet Mechliniæ, cujus ſuffraganei ſunt, Antuerpienſis, Buſcoducenſis, Ruremondenſis, Gandavenſis, Bruggenſis, & Iperius: Epiſcopi Statutum præterea eſt, ut Archiepiſcopatus cum ſuis ſuffraganeis eadem lingua uterentur, Cameracenſis cum ſuis, Gallica, reliqui, Belgica, Singuli epiſcopatus haberent ſeptenos viros doctoris titulo, cùm Sacræ Theologiæ, tum Utriusque juris inſignitos, coadjutores Inquiſitionis hæreticæ, ut vocant, pravitatis, de quibus duo, reliquos ætate & doctrina præcedentes, ipſi inquiſitores eſſent, & proximi à Decano ſententiam de religionis negotio, non ſine annua penſione dicerent. Singuli ſuffraganei epiſcopi infra terna millia ducatorum, annua non haberent, ſuprà habere liceret, ſi quid ad ſummam deeſſet, ex vicinis Abbatiis, Monaſteriis & præpoſituris ſumeretur. Archiepiſcopatui Michlinienſi quinque millia ducatorum annui reditus ſunto illi pro auctario, præpoſitura

 Rumoldi

Rumoldi accedito; nemo in pastorem vel sacerdotem Ecclesiæ recipitor, nisi à duobus Sacræ Theologiæ & utriusque Juris, ut vocant, Doctoribus examinatus & probatus. Episcopus, qui per sex menses à sua Ecclesiæ abest, extra Ecclesiæ causam; tam diu reditibus annuis careto. Hac re Romæ à pontificibus impetrata, & amplo Diplomate confirmata, pius pontifex per cubicularium suum, Theophilum Herema, in Belgiam ablegatum, Anthonium perenottum Granuellanum, donatum Galero purpureo, Romanensis Ecclesiæ Cardinalem creat, simul etiam Archiepiscopum Mechliniensem, & primatem Belgiæ nuncupat, qui eò libentius sedem Mechliniæ collocat, ut regiò concilio, cui cum paucis, ut diximus, præfectus erat, adesset propius. Atque hac ratione, veteribus Coloniensi & Rhemensi Archiepiscopatibus, non minimum detractum fuit. Hæc ante Regis discessum consulta, nunc verò, ut instituerentur, publicata, varie Belgarum animos affecerunt. Nonnullis quidem de Cultu religionis pontificiæ promovendo gaudentibus, plurimis verò omnium Ordinum hominibus condolentibus, & magnam rerum mutationem metuentibus. Querebantur de Hispanorum ambitioso fastu, & dominandi cupi-

Belgarum querela de Episcopis & Granuellano.

dine, videbat Cardinalem Granuellanum pere-
nottum, nunc magna auctum accessione digni-
tatis, se totum ad Hispanorum voluntates ag-
gregare, is auctor novorum episcoporum, is
caput ferebatur, eius unius consilio cuncta Rei-
pub. & religionis negotia administrari, au-
diebant; omnia contra leges patrias, institutaq;
majorum, insciis invitisq; ordinibus, agi mussi-
tabant, Tyrannis Hispanicæ inquisitionis ante
oculos erat, libertatis reique publicæ intole-
randam oppressionem qualis Mediolani, &
Neapoli nuper accidisset verebantur, præser-
tim cum & Episcopi reliquis omnibus ecclesia-
stici ordinis hominibus, potentibus viris, di-
gnitate atque authoritate antecederent, & ipso-
rum possessiones, abstractis reditibus, immi-
nuerent, imò etiam metueretur, consuetas illas
Eleemosynarum largas rationes, atque eroga-
tiones Monasteriorum, in homines pauperes
planè obsoletum iri. Accedebat, Hispanicum
præsidium, quod per Belgas rex tenere velle
videretur, & rumor ferretur, provincias Bel-
gicas in regni formam redigendas, Hispa-
nisque subjugandas esse. Etsi autem graves

caussæ sunt, propter quas Belgarum ordines, dimissionem Hispanici præsidii, ab rege discedente postularunt, tamen ea videtur princeps causa esse, quòd non solùm Hispanorum, verum etiam aulicorum Hispaniensium procerum, qui apud regem plurimum poterant, odia & hostiles machinationes, incunctanter metuerent. Cum enim ordines propter diuturna Italica & Gallica regis & Cæsaris bella, magno ære alieno gravati essent, & ad ejusdem solutionem, novem annorum contributiones, quadraginta millionum auri, vel quod idem valet, quadringentarũ tunnarum auri summam conficientes, regi discedenti spopondissent, putaverunt regii proceres, harum pecuniarum exactiones ad solutionem militarem, sibi nomine regis, meritò committendam fore. Animadvertentes autem, ordines sibi ipsis hanc provinciam reservare, neq; ipsorum manibus nummos velle permittere, graviter quidem illi, Belgarum ordinibus offensi ac perturbati sunt, querentes, eo pacto, magnam injuriam, nec non ignominiam regi fieri, quasi Regiæ Majestati leges ad lubitum præscribere subditi conarentur, neque pecuniarum administrationem ipsi Confiderent. Accesserunt & alii partim de nobilitate, partim de plebe Belgica, homines vagi,

Ordines Belgici solvunt æs alienum regis quadringentas tunnas auri, novem

vagi, sui profusi, alieni appetentes, novarum rerum & honorum Cupidi; occultis inter se odiis ac factionibus, ut in aulis regum fieri consuevit, ambitiose æstuantes, & duci Albano, Cardinali, atque inquisitoribus adhærentes. Hi clamare atque asserere, hæreses praváque religionis dogmata, non posse præcaveri, neq; extirpari, nisi regia potestate, authoritate atq; obsequio, plene &, ut vocant, absolutè stabilito ad quam rem, Inquisitionem Hispanicam in primis esse necessariam, quæ absque armorum præsidio introduci non possit. Itáque his rebus moti nonnulli primores, tanquam ingruentem tempestatem futuræ mutationis, prævidentes, aula decedere statuerunt, alii etiam extra provinciam se suáque transtulerunt. Sub idem tempus Franciscus II Galliarum rex Aureliæ diem suum obiit; anno M. D. LX. nonis Decemb. ex apostemate auriculari putrescente, relinquens viduam Mariam Scotorum reginam, quam paulò antè in Conjugem duxerat. Cui successit Carolus Maximilianus Aurelianus decem annorum puer, Carolus nonus dictus. Huic rex Navarrenus, & princeps Condæus Ludouicus Burbonius, ut regii sanguinis principes, qui deficiente regia prole, juxta legem regni, proximi successores esse consueverunt, summi

annorum contributionibus.

Franciscus II. rex moritur.

Carolus. IX.

tutores & gubernatores regni creantur, admirabili quadam viciſſitudine rerum. Nam paulò antè, iidem à partibus Guiſianis, tanquam ſeditioſi & rei Majeſtatis captivi detinebantur. His duobus adjuncti quidem fuerunt, Guiſius, Lotharingius, Turonenſis, Marſchallus Sanctandreanus, Briſacus, & regina mater, ſed ſarta malè gratia, res in novam factionem Guiſianorum & ſociorum cum regina matre, adverſus Naverræum, Condæum, Conneſtablium, Admiralium, fratrem Andelottum, & Socios ad magnam regni diſtractionem redundantem, non multò pòſt erupit. Ordines autem regni, cum viderent Lutheranam doctrinam longè láteque vagari, & non ſolùm homines plebejos, verum etiam proceres propinquos regis, ea indies magis imbui, conſuluerunt Nationale Galliæ concilium religionis ergò, celebrandum eſſe, captivosque propter religionem detentos dimittendos. Qua re pontifex Romanus inſtigatus, magis ad Concilium Tridentinum univerſale orbis Chriſtiani continuandum inclinabat. Interim tamẽ Galli conventum ac diſputationem publicam Theologorum tàm proteſtantium, quam Catholicorum Romanorum, accerſitis Tiguro, & Geneva, & aliis ex locis viris religioſis

atque

atque eruditis, coram rege, regina matre, fratribus, ordinibus regni, & totius aulæ proceribus, Passiaci instituerunt. Etsi autem ea disceptatione, concordia omninò sanciri non potuit: tamen id Commodi evenit, ut adversarii de reformata doctrina mitius sentire inciperent, & edictum mense Januario, anni sequentis, millesimi quingentesimi sexagesimi primi, publicaretur; quo edicto, religiose reformatis suam doctrinam extra civitates liberè & inoffensè exercere permittebatur, & pax religionis, per Galliam constitueatur. Quæ pax tranquillitatem regni aliquantisper peperit, quo ad Catholici novas turbarum causas reperirent. Porrò Ordines decernebant, ut quæstores superiorum regum, ærarii publici, novas rationes suæ administrationis redderent, propter populi plebisque querimonias, de acerbitate ac frequentia exactionum. Hi erant, Guisiani, Connestablius & Mareschalcus Sanctandreanus præcipui, qui tamen ad evitandas rationes & rescindendum edictum, novum fœdus; instar Antonii, Augusti, & Lepidi triumvirorum Romanorum, inter se pepigerunt, prætextu Catholicæ religionis defendendæ. Quò ut commodius pervenirent, Regem Navarrenum in suas

ex Sorbona Parisiensi

Colloquium de religione Passiaci in Gallia Anno. 1561.

 partes

Rupefocantum, & ſocios, dat lamentabiles literas, flebiliter inter cætera querens, ſe unà cum filiis à Guiſianis captivos detineri, petere ut collecto exercitu, omnem operam de ipſis liberandis adhibeant. Cum autem Condæus & Socii jam antè ſtatuerant; edictum religionis pacificatorium, in quo tranquillitas & Salus regni verſaretur; omnibus viribus propugnare, & in tanto eſſent periculo rex & regina mater, & tota regia domus: militem Germanum, & Gallum, potiſſimum ex reformatæ religionis hominibus undiquaq; contrahunt. Idem Guiſiani ex Catholicis faciunt. Vnde exiſtente per Galliam Primò civili & acri bello, multæ inſignes civitates à Condæo & ſociis occupatæ ſunt, ut Aurelia, Lugdunum, Valentia, Grenobia, Bituriges, poiterium, Mompelirium, Niſmenum, Rupellæ & plures aliæ: Rotomagum, poſt aliquot menſium obſidionem, vi expugnatum eſt, à Guiſianis, Mongomerius gubernator urbis vix ægrè ſalvus, mirabiliter evaſit: Auguſtinus Marloratus, doctrina & virtute celebris concionator, ſacrarum literarum interpres laqueo ſuſpenſus eſt: Rex Navarrenus ex urbe, in caſtris, humerum ſclopeto letaliter ictus, Lutetiamque devectus, expiravit, præmium ſuæ defectionis inſperatum conſecutus. Sequenti

verò anno decimo nono Decembris, memorabili & cruenta pugna, apud Druides commissa, Condæus & Connestablius utrinq; capti sunt, à partibus autem Guisianis sunt cæsi Sanctandreanus, tum magnus prior, frater Guisii, Montorunnius Connestablii filius, Neverius, atque alii Galliæ proceres. Guisius postea Aureliam duos propemodum menses obsessam strenuè oppugnabat, non dubia spe potiundæ civitatis, sed cum vesperi, navigio Ligarim fluvium trajecturus, ex castris progrederetur, à Iohanne poltroto Meræo equo insidente, tormento manuario, tribus adacto globulis, dextro in humero graviter à tergo vulneratur, ex quo vulnere, paulò post interiit. Adolescens ille erat reformatæ religionis, homo nobilis, qui quodam Zelo perverso, quasi Oestro percitus, putabat sibi licere, Guisium, tanquam Tyrannum, & veræ religionis persecutorem interimere, & celerrimo equo, jam evaserat, nisi equi cursu, metuq; suo, turbata mente, de via per sylvam, quasi in gyrum oberrans, & prope castra inscius revertens, in manus hostium; præter opinionem devenisset, illic deprehensus, quæstionibusq; admotus, & confessus, à quatuor adversis equis, vivus quadripartitò discerptus est. Fertur ad excusationem sui facinoris, in acerbissimis tormentis

Guisius à Polroto interfectus

doloribusq;

doloribusque extulisse, instar Mutii Scevolæ Romani, plures illiusmodi conatus diversorum fortium virorum instare, in præcipuos Catholicos rei militaris duces, quorum consiliorum, etiam Admiralius ipse, Castilioneus esset particeps. Cum autem solutus tormentis, ad supplicium duceretur, eum palam Admiralium excusavisse, & innocentem in morte pronunciavisse. Hæc Guisii principis cædes, & confidens istius hominis confessio, aliquem Catholicis metum afferre videbatur, cum soluta obsidione Aureliana, pacem facerent, quæ deinceps quinque annos duravit, præcipuis capitibus, memorati triumviratus, sublatis: neque verò sequentia bella civilia, quamvis sævissima, & multos de reformatis sustulerint, ipsorum religionem, ejusq; publicam professionem, opprimere potuerunt. Ex Gallicis istis bellis, motus vicini Belgici, non obscurè creverunt, quemadmodum etiam Anglicæ & Scoticæ mutationes, eò non parum momenti attulerunt. Nam Francisco secundo, & Maria Stuarda Franciæ & Scotiæ regibus, conjugibus, reginæ mater, quæ erat Guisii soror, Scotorum regno, absente in Galliis filia, præsidebat. Quæ cum Scotos religionis

reformatæ

reformatæ ergò, atrociter vexaret, illique resisterent, majoribus copiis ex Gallia accersitis illos planè opprimere, & vel regno exigere, vel ad pontificiam missam & religionem redigere satagebat. Quin etiam ditiorum & nobilitatis possessiones ac facultates invadere, leges & libertatem regni imminuere, totumque regnum, tantum non, Francico Imperio subjicere conabantur. Igitur proceres Scoti ad arma conclamare, templa ædesq; sacras turbare, sacerdotes pontificios ejicere, denique Anglorum subsidium opemq; implorare. Guisius nuper reginæ Stuardæ, suæ cognatæ, persuaserat, insignia atq; titulum regni Anglici atque Hybernici, suum in titulum sibi assumere, & in insignibus usurpare, quasi Elizabetha, Angliæ non legitimè regnum teneret, de qua re, illa jam ante, apud Franciscum II, non semel frustràquesta erat. A cujus morte, cum Gallos in Scotia, Guisianis artibus, ferociores factos, & majori potentia suo regno insidiari animadverteret, vicinorum preces non negligendas, simul etiam jus & diadema regni sui, omninò propugnandum statuit. Quamobrem Angla, ducem Nortfolckium, cum copiis in Scotiam mittit, qui conjunctis Scotorum armis, cum interim Guisiâ præses moreretur, Gallos adoritur, &

ad

ad Lytham, obſidione cingens, tandem ad pacem toti Scotiæ Angliæq; ſalutarem cogit. Ejus pacis conditiones erant. Gallus miles, Scotia diſcedat, munitiones quas habet, relinquat, tantum in duobus caſtellis ſexageni milites, tanquam in præſidiis maneant: Scoti libertatem & leges regni illibatas retineant. Regina Scotiæ Anglicæ coronæ titulum, & inſignia ne tangat, vel uſurpet: quæq; diplomata iis conſcripta conſignaſſet, intra Semeſtre antiquata aboleat: Iudicium de religione ſtet, à ſummo Parlamento, arbitriove Ordinum regni Scotorum; qui paulò pòſt Comitiis habitis, religionem pontificiam planè abrogarunt. Quæ quidem religio, niſi Guiſius acerbius remedium adhibuiſſet, violenterque egiſſet, ſarta tecta in Scotis remanere potuiſſet, cum majore reginæ authoritate: ut juxta vetus verbum, qui Charybdim vitabat, in Scyllam incidiſſe videatur. Regina Angliæ à Guiſio & ſociis irritata, fœdus cum latinè Condæo facit, mutuato illi grandi ære, & civitate Habelneut pignori viiſſim accepta, editoque ſcripto, ſe non in ipſum Galliarum regnum, cujus regem, ut amicum vicinum, ex veteribus pactis majorum coleret, ſed in Guiſium, cujus inſidias ſibi ſuoque regno animad verteret, & ex cujus manibus, puerum

Religionis mutatio per Scotiam.

regem

regem in libertatem vindicare contenderet, fœdus & amicitiam cum Condæo junxisse. Cardinalis interea Perenottus Mechliniam profectus, solenni ibidem ceremonia Archiepiscopus inauguratur, nemine ex omni principum numero præsente, sub finem anni M. D. LXI. Margaritha autem princeps à primoribus populi, & nobilitate, de his rebus admonita & de futuris Reipub. motibus sollicita, præsertim cum religionis ergò in vicino Galliæ regno, graves tumultus excitati audirentur; principes aurei velleris ac primores ordinum, Bruxellas convocat; & per Viglium Zuichemum, eos affata, ad debitam Regi & religioni Catholicæ Romanæ, obedientiam observantiamq; præstandum, paucis verbis hortatur, monet, ut concordibus animis communem salutem tueantur: Varia quidem, inquit, ad se deferri multorum sermonibus, ex quibus molitiones quorundam, qui res novas spectarent, qui concursationes populi facerent, anim adverteret, quemadmodum autem omnibus fidem non faceret, ita omnia, quæ ex certis hominibus ad se deferrentur, non posse contemnere, istis præsertim vicini regni excitatis motibus. Itaq; de præsenti statu provinciæ accuratè deliberandum, quemadmodum & Respublica tranquillo in statu Regi conservetur,

Margaritha Bruxellas proceres Consiliarios convocat.

conservetur, & Religio sancta Catholica ad Deum opt. Max. juxta veterum patrum doctrinam, rectè deinceps colatur. Et si autem Rex, ipsaque, omnia de ipsis tanquam fidelibus ad ministris & Vasallis, benevolè sibi polliceantur neque aliud expectent; quàm ipsorum spectata fides, virtusque postularent, tamen petere, ut communicato consilio, hæc omnia diligenter considerent, & quid ipsis videretur, quemadmodum ad securitatē tranquillitatemq; provinciæ, res quàm optime administrari possit, intra triduum, vel ad summum, quatriduum referant, quo Rex primoquoq; tempore, de omnibus plenè doceatur, & sicubi aliquid impedimenti, vel difficultatis incidat, id ut maturè legitimis mediis emendetur. Principes & provinciarum præfecti, consilio habito in domo Aurantiæ Principis, post multam & variam deliberationem, consentiente Margaritha Principe, Florentium Montignicum, Hornani Comitis, fratrem; ea de causa, ad regem, cum mandatis mittendum esse statuunt, qui in Hispanias profectus, cum regi Legationem suam prolixè in aula exposuisset, multisque modis de moderando imperio egisset, tandem Augusto, mense anni 62, re infecta domum rediit, nisi quod populus, bona ejus legationis Spe suspen- *Montignij in Hispanias prima Legatio.*

F sus,

Literæ procerũ ad regem.

ſus, paulò interim quietior, ad ejus reditum, domi fuerit. Itaq; hac ſpe fruſtrati proceres, ad hunc ferè modum regi ſcribunt: Et ſi, rex potentiſſime, pro ea, qua Tuæ Majeſt. fide, obſtricti ſumus, jam antea per literas; nuper verò, per Baronem Montignium, de omnibus rebus ad provinciam pertinentibus, te copiosè certiorem fecimus, tamen nunc denuò neceſſariò ſcribere cogimus. Agitur enim de ſalute populi, de incolumitate atq; dignitate provinciæ tuæ Belgicæ, cui niſi in tempore ſuccurratur, & ægrotis rebus afferatur medicina, actum erit. Neq; enim diſſimulandum, animos populi tui variè affectos eſſe, varios & periculoſos ſermones ſpargi de hoc rerum ſtatu, quo Antonius Perenottus Cardinalis, idemq; Archiepiſcopus Mechlinienſis, primasque Belgiæ, unus omnia moderatur unus non ſolum religionis, verum etium Reipub. negotiis præeſt: non enim ordinum conventus celebrantur, non primorum populi, principumve aurei velleris equitum ſententiæ conſultaq; in graviſſimis rebus rogantur, vel audiuntur; ut Majeſtas tua in diſceſſu ſuo graviter ſapienterq; conſtituit. Itaque cum pleraque mutentur contra leges patrias, moremq; majorum, & in religionis negotio, inquiſitio Hiſpanica introducenda videatur, fieri

non

non poteſt, quin graves offenſiones populi excitentur, & periculum gravioris mutationis immineat. Illuſtriſſima princeps, provinciæ præfecta, cujus adminiſtratione nos libenter acquieſcimus, nobis in conſilium convocatis, periculoſum ſtatum Regionis, & multorum adverſa voluntatum ſtudia, ſuperioribus diebus ſignificavit, benigneq; noſtras ſententias rogavit, quo Tuæ Majeſtati, tuæq; provinciæ quàm optimè conſuleretur. Itaque dubium non eſt, quin has noſtras literas clementer ſis acceptu-rus, & pro ingenita tua regia benignitate ac prudentia, mandaturus, ut juxta leges patrias, remoto Granuellano, Reſpub. gubernetur, prout & ineunte principatu tuo, & vivo parente Cæſare, conſtitutum fuit. Eam autem ſolam adminiſtrandæ provinciæ rationem, tibi tuóq; populo ſalutarem deprehendimus, ſin verò aliter videatur, manifeſtum Regionis exitium, quod tamen Deus, avertat omen prævidemus. Magni enim populi motus futuri ſunt, cum & ſubditorum jura ac privilegia imminuantur & optimis quibusque diſcedentibus, præclariſſimæ iſta provinciæ deſerantur, omnium gentium negotiationes ac mercimonia, in celeberrimis tuis emporiis conticeſcant, tributa atque vectigalia regia evacuata conqui-

escant. Quò autem sit illustrior nostra fides, neque ista in nostrum usum commodumque rogare videamur, palam profitemur, nos contentos, si ita expedire videatur, ut nobis dimissis, alios substituas: Neque enim nobis integrum est, cum Cardinali Granuellano in ejusmodi administrandæ Reipub. ratione diutius permanere, neque expedit provinciæ tuæ subditis. Nos quidem in religionis negotio, ut in re gravissima, quemadmodum fideles Vasallos Catholicos & administros decet, nos geremus, & nisi cum collegis nostris principibus viris, prudenter ejus curam hactenus habuissemus, majores haud dubiè motus in hac animorum distractione, & vicinorum tumultu videremus. Hæ literæ, etsi omnium fere principum procerumque consensu, in hanc sententiam ad Regem scriptæ, tamen à tribus tantùm principibus, Aurantio, Egmondano, & Hornano subscriptæ, eorumque solùm nomine missæ fuerunt, ne multitudine subscribentium rex offenderetur, fuit id anno Salutis M. D. LXIII, undecimo die Martii. Harum literarum argumentum Margarithæ principi quoque est expositum, quæ suas etiam ad regem seorsim addidit. Interim & Abbates valdè querebantur de novorum Episcoporum creatione, propterea quod suas

ſuas facultates per ipſorum reditus diminutum, Monaſteriaque ac prædia occupatum iri intelligerent, viderentque primarias Abbatias per Brabantiam, Archiepiſcopatui Mechlinienſi, & reliquis Epiſcopis ſubjiciendas eſſe. Itaq; & Regi & pontifici maximo ea de re ſupplicant. Et man ſerunt quidem illi Abbates in ſuis ſedibus & Monaſteriis, ſed certos annuos reditus, è ſuis facultatibus Epiſcopis contribuere ſunt coacti. Antuerpia verò civitas, miſſis legatis, quod antè fruſtra fecerat, apud Regem dilationem Epiſcopi ſibi deſtinati Sonnii, multis difficultatibus propoſitis tandem impetravit. Quemadmodum aliæ etiam provinciæ quædam non temerè novos Epiſcopos admiſerunt. Rex nonis junii procerum literis reſpondet, Gratum ſibi eſſe ipſorum ſcribendi officium, quod de Reipub. negotiis ſecum communicent, agnoſcere autem ipſorum erga ſe perpetuam fidem ac voluntatem, de qua nunquam dubitarit, ſe verò non intelligere, eos in literis ullam juſtam proferre cauſam, cur ipſe res novas per ſuos moliri, videri poſſet: Sibi autem in animo eſſe, primo quoq; tempore conſtitutis rebus Hiſpanicis, in Belgium trajicere, et Rempub. coràm conſtituere. Cæterum ne tempus elabatur, cum verbis efficacius quàm ſcriptis agi ſoleat, mãdat, ut unus de tribus

Regis reſponſio.

quos ſuprà literas dediſſe diximus, ad ipſum in Hiſpanias veniat, omnia diſertè corám expoſiturus, quò melius deinceps de Repub. queat ſtatuere: Addens in fine ſe ſuos adminiſtros absq; juſta cauſa non gravare conſueſſe, neq; eos ſuo in officio præpediendos eſſe, Cardinalem Granuellanũ innuens. Hortari autem ut interim ſororẽ Gubernatricem ne deſerant, ſed in adminiſtranda Repub. veri fide atq; obſequio deinceps ad ſint. Quo tempore tamen rex, quamvis invitus, & Cardinali ſcribit, mandans, ut ad gliſcentes turbas avertendas, aliquantiſper ex aula diſcedat, & Margarithæ imperat, ut Inquiſitionis nomen pauliſper in hoc tempore inducetur, neq; Hiſpanico more apud Belgas in religionis negotio procedatur. Principes & provinciarum præfecti, literis ad ſe datis non nihil moti, Margaritham principem adeunt, & perturbatum ſtatum provinciæ èxponunt, non ſolùm quod diverſa populi in religione ſint ſtudia, verùm etiam quod magnum æs alienum olim contractum militi debeatur verendúmq; ni in tempore ſolvatur, exteras nationes Belgis mercatoribus ac ſubditis, propter debita, manus injecturas, unde magni motus expectandi ſint. Hujus autem rei, optimum fore medium, generale omnium ordinum Concilium: Cum autem Margaritha contrarium à rege mandatum pro-

Rex mandat Inquiſitionis nomen pauliſper induci.

ferret, vetans nimirum ordinum congregationem, non ausi fuerunt proceres istud latius urgere, itaque verentes ejusmodi interdictum, causam fore majorum incommodorum, ex aula, quemadmodum antè statuerant, discesserunt. Respondent etiam regi per literas 19 Julii, ut dicerent, se quidem ejus administros suis in negotiis minimè præpedire, Cardinali etiam Granuellano nullum incommodum attulisse; optare autem, ut is suum officium faciat, neq; quicquam contra leges patrias tentet, unde periculum Reipub. creari posset, questos autem fuisse de ipso, atq; etiam nunc queri, non ambitione, vel ullo cum ipso contendendi studio, sed pro ea fide, qua regi patriæq; devincti sint, quod si Reipub. tempora ipsorum absentiam ferre potuissent, jamdudum ex provincia migravissent, illud verò salva fide non licere, sed tamen propter dictas causas aulam reliquisse, gratias autem agere, quod coràm de Reipub. statu, ipsos audire vellet. Etsi autem in hoc tempore propter quorundam clandestina consilia, & vicinorum motus, ipsi domo abesse non possint, nedum in Hispaniam ad regem, ut optent, proficisci, tamen paulò pòst se aliquem in Hispaniam cum mandatis ad ipsum reverenter missuros. Dum hæc geruntur, & res inter

Proceres Belgici, ex aula discedunt.

proceres & Cardinalem, indies magis exacerbari viderentur, ultrò citròque dicteriis jactando, & sese mutuò conviciis proscindendo, proceres de fœdere feriendo, sui muniendi causa, cogitarunt. Cardinalis sibi metuens & prætexens causam invisendæ matris tandem, & dictum est, jussu Regis discedit, & in Comitatum Burgundiæ est profectus, postea in Hispanias abiit, & protestantium rebus, quantum potuit, incommodavit. Post discessum Cardinalis, Aurantius & socii, Margarithæ principis voluntate, in Senatum redierunt, sed ea lege, ut si ille rediret, & antiquum ageret, rursum discederent, idq; Regi per literas vigesimò septimo Martii, anno 1564. præter cætera significant. Astiugeris, Dinotus & Meteranus antores sunt, proceres Belgas, qui Margarithæ erant à consiliis, concilium statuum vocant, tanquam universæ provinciæ præsides à rege constitutos, duo alia, Secretum & Financiarum concilia, ad suam Curam inspectionemque traducere voluisse: Viglium autem & Barlamontium horum Conciliorum principes, prose quemque illorum Conatibus acriter obstitisse, mandatum, autoritatemq; regiam asserentes, qui, tria ista concilia, distinctis Senatorum muneribus, ut suprà meminimus, ad publicum Commodum

Proceres in aulam redeunt.

dum, gravi prudentia distribuisset. Sub idem tempus, Concilii Tridentini decreta à Pio IIII pontifice maximo, in Hispaniam mittuntur publicanda, quæ etiam postea Rex Margarithæ mandavit, per Belgiam edici, cùm annexis articulis ad Cleri reformationem ac disciplinam, & ad vetera Caroli V. de religione edicta pertinentibus. Ferdinandus, Romanorum Imperator, hoc anno, vicesimo quinto julii die, qui dies in ferias Divi Jacobi incidit, vitam cum morte commutavit, dicitur, diem obitus biennio antè, sibi ipsi prædixisse, cum Maximilianum filium in Romanorum regem, à Septemviris cunctis suffragiis renunciatum conspexisset. Jam verò & Aurantius princeps, suis literis, statum provinciæ Regi exponit, & de suis rebus locutus, omnia fidelis Vasalli officia reverenter defert, atque ita ait, Majorum suorum vestigiis insistentem, se deinceps perfecturum; orare autem, ne Calumniis de se, ab adversariis sparsis fidem adhibeat, ipsiusque Auraniæ principatum, in Gallia situm, & quorundam Calumniis perriclitantem, Regi Henrico per legatum suum commendatum habeat. Rex deinde tàm universis, quàm Aurantio seorsim liberaliter respondet, ipsorum literas se clementer denuò accepisse

Ferdinandus Cæsar moritur Anno 1564. 25. Julij.

Aurantius scribit regi.

Regis responsio.

& nuper etiam benignè respondisse, de qua quidem ejus benignitate & propensa voluntate, illos non debere dubitare, neq; esse, quod de calumniis ad ipsum delatis, Aurantius suspicetur, nihil enim sinistri rumoris, quasi non is sit, qui esse debeat, auditum esse; hortari autem, ut ea in fide, quam hactenus ipsi præstiterit, perseveret, & senatum aulæ cum sociis equitibus, frequentet, & consilio & industria Rempub. adjuvet, ejus etiam causam, quoad Auraniæ principatum, sibi apud Galliæ regem curæ fore. Portò paucorum tamen, in aula Bruxellis, potentia malè audiebat, non universalis ordinum Senatus habebatur, non judicia more majorum legitimè cogebantur, juris quoq; & legum non magna ratio erat, itaq; nulla regii ærarii, nulla publicorum vectigalium cura, nocentia morum innoxia, innocentia non satis tuta haberi cæpit, largitio & favor multis aditum ad honores præbere, odium atque invidia obstaculo virtuti esse. Cum etiam lege patria, antiquitus liceret, suam cuiq; de vulgo causam, in aula, scripto dictove ipsi proponere, eò res rediit, ut nou nisi per provinciarum præfectos, eorumve ministros, id concederetur. Multi quoq; & graves veterum actionum & debitorum processus, contra Regium Fiscum, remq; publicam re assumpti

pti fuerunt. Accedebant, Tridentiæ Synodi, nova placita, vetera & aspera Caroli religionis decreta, nunc cum sæverissimis regiis mandatis publicanda, quæ res summos & intimos magnoperè perturbavit. Præsertim cum nuper de rigore inquisitionis aliquam mitigationem impetravissent; & regis propensam ad se voluntatem ipsius ex literis deinceps cognovissent. Itaq; proceres Margaritham adeunt, atq; eam de periculis patriæ impendentibus, si ista mandata eum in modum publicentur, diligenter monent. Nonnulli autem censebant, Conscientiæ religionisq; libertatem suæ, cuiq; in domo, esse permittendam, non in publicum cum aliorum offensione prolatandam. Quamobrem Margritha, de consilio rogatuq; procerum, Egmondanum Comitem, Virtute & auctoritate præstantem Virum, cum plenis mandatis in Hispanias ablegat, is de mense januario, anni supra mille quingentos sexagesimi quinti in Hispanias appulit, & à rege, regisq; purpuratis, Madrici clementer exceptus, legationem suam prolixè exponat. Inprimis autem de religionis inquisitione, Concilijq; decretis, in hoc tempore minimè publicandis, & exinde futuris turbis, si acerbè urgeatur, verba facit. Rex illi semel atq; iterum publice audito, &

Egmondanus in Hispaniam ablegatur Anno 1565 menseIan. eius postulata.

ſæpius etiam ad familiare colloquium ſeorſim, admiſſo, tandem reſpondet, ſuum propoſitum propediem, inviſendæ & coram moderandæ Reipub. Belgicæ, nunc bello Turcico impediri, qui quidem Turca maximo apparatu, ac ingenti comparata claſſe, Malitam inſulam oppugnatum veniat. Eo verò finito bello, proximo anno, quantum fieri poſſet, ſe adfuturum, mittere autem in ſolutionem æris alieni veteris, & levamen onerum publicorum egregiam ſummam pecuniæ: Hortari etiam Margaritham Sororem, ut Concilio procerum habito, prudenter deliberet, quemadmodum jus atq; juſtitia rectè adminiſtrari poſſet. Quod ad religionem attinet, eſſe illud graviſſimum, & maximi momenti negotium, quod & ipſi præter cætera urgeant, & ſe maximè ſolicitum reddat: Nolle autem ea de re nimium gravari, neq; poſſe ullam Catholicæ religionis mutationem admittere, imò malle omnia perdere, & millies, ſi fieri poſſet, mori. Quò moderatius autem omnia agantur, expreſſis verbis mandat, ut de conſilio procerum, idonei homines deligantur ex Epiſcopis, & Theologis, & juris conſultis Doctoribus, qui legitimam formulam religionis obſervandæ, in docendo populo; inerudienda juventute, de reformando clero, de

Reſponſio regis

Rex Philippus non admittit ullam mutationem religionis.

de mulctandis hæreticis juxta edicta vetera, & inquisitionis rationem, moderatè tamen, observandæ instituant, quam formulam pari fide ac diligentia, Magistratus deinceps administrent. Audire se, hæreticos damnatos ad supplicium ultimum magna tendere Confidentia, & non solum semetipsos, verùm etiam alios ad constantiam, simili in causa animare, quæ sanè res, tanquam mali exempli; non sit permittenda. Hoc enim modo Catholicæ religionis homines, in vera doctrina perturbari, Hæreticos autem in falsa doctrina obdurari magis. Ne autem illorum Causa deterior, horum verò melior Videri possit, neque probis suæ laudes & præmia, neque improbis justæ pœnæ ignominiæque desint, diligenter esse providendum. Itaq; Rempub: pro temporum ratione moderandam, quò universi Belgæ intelligant, sibi abundè à Rege esse satisfactum. Quicquid autem de delectorum consilio, ad utilitatem provinciæ ita statuatur, id ut sibi maturè significetur, quò deinceps prospiciatur, quid facto opus sit. Hoc tum verbis, tum scriptis, accepto, responso Egmondanus à Rege benignè dimissus, muneribusq; donatus magna omnium expectatione, sub finem Aprilis Bruxellas revertitur, & quinto Maji in senatum procerum ordinumq; vocatus,

legationem

legationem refert, & amplissimis verbis, Regis erga se benevolentiam, Remque publicam prædicat. Literas etiam regias seorsim ad Margaritham Hispanicè scriptas exhibet; quas lectas illa in Latinum & Gallicum sermonem converti jussit. Itaq; Margaritha ad institutam actionem deligit Martinum Rythoviensem (quem rex ipse nominaverat) Antonium Davetum, Hyprensem, & Atrebatensem Episcopos, Jacobum Martinum, Hippolitum persinum, Antonium Meulenarium; magni consilii Senatores, Jodocum Tiletanum præpositum, & Wilmarum Bernardum, Theologos Doctores & professores Lovanii, aliosq; Flandriæ & Trajectensis diæcesis præsides Consiliarios omninò novem, cum quibus regias secretas literas primum scriptò communicat, non paulò aliter, ut ajunt, scriptas, quam Egmondanus ex magnificis Regis verbis, coràm in Hispaniis cognovisset, Bruxellasq; retulisset: Quæ quidem res postea emanans, multorum animos, qui de clementi Regis responsò persuasi fuerunt, non mediocriter perturbavit. Delecti 25 die Maii ad Aulam vocati, & de Regis voluntate edocti, rem in deliberationem vocant, & quinto Junii decernunt, Concilii Tridentini decreta esse publicanda, ea autem non tàm acerbitate pœnarum,

quàm

quàm humanitate institutionis atq; doctrinæ urgenda esse, reformationem ecclesiasticorum in vita & moribus instituendam, juventutem à teneris Catholicæ Romanæ doctrinæ principiis informandam, edicta vetera de puniendis hæreticis observanda, qua tamen in re prudenter considerandum, ne omnes sine discrimine, ut fere solet fieri, morte mulctentur, sed ii, qui vel ab errore resipiscant, vel leviter erraverint, levi pœna, nimirum exilio, virgis, fustéve castigentur. Hæc capita ex delectorum relatione, Margaritha in aula proponente, Aurantius, Egmondanus, Hornanus & socii censuerunt, ista cum magno ordinum senatu esse communicanda, neq; extra communem consensum in re gravissima, quicquam tentandum esse, & in primis moderationem in religionis inquisitione adhibendam, ita enim in mandatis Regis Egmondanum retulisse, neq; se posse aliter assentiri, cum Rex ipsis nihil expresse mandavisset. Interim Margaritha apud Episcopos & provinciarum magistratus concilii Tridentini executionem urget, cui Archiepiscopus Cameracensis solus, licet reclamantibus suis, obtemperat. Margaritha autẽ ista omnia ad regem, 25 junii, & 22 julii perscribit, & quemadmodum proceres ab aliis dissentiant, quid Egmondanus ex ore

Decretum delectorũ de religione.

Regis

Regis retulerit, & vulgarit, (quomodo, etsi Inquisitionis ratio non omnino abrogata, tamen non parum mitigata putabatur) prolixè exponit, Viglioq; mandat curam curiæ, ut rationem habeat juris atq; justitiæ rectè administrandæ, formulamq́; ejus certis capitibus àc legibus aulæ præscribat, ille verò ingravescentem ætatem & corporis imbecillitatem causari, & petere; quemadmodum proximis annis petierat, sui istius gravissimi muneris dimissionem. Proceres offensi, sub prætextu nuptiarum Domini de Montignii celebrandarum, conveniunt, & quid facto sit opus, deliberant, ubi Aurantius palàm profitetur, Concilium Tridentinum, Inquisitionem, & cætera diplomata Regia, in primis de religione, in Hispaniis nuper fabricata, caussam maximorum motuum fore, per inferiorem Germaniam. Rex decimo septimo, Octobris, ut etiam Astingerus notat, sed Moteranus ponit datum Decemb. per literas respondet, ac primo quidem, inquit, quod ad Egmondani legationem attinet, non mea quidem mens, nec voluntas fuit, ut Inquisitionis formula de religione in hiberetur, vel hæreticorum pœna suspenderetur, vel etiam, ut hæc de re ad omnium ordinum Concilium referretur, neq; tamen proptere a quicquam innovando tentare, videri possem, quin

Regis iterata responsio.

quin potius, ut inquiſitores ſedulò officium facerent, juxta vetera parentis Cæſaris, & mea olim propoſita edicta, mandavi, quemadmodum divino & humano jure facere tenentur. Ego verò non obſcurè intelligo cauſam hujus quotidiè magis gliſcentis mali, in religione Catholica. Nam ſi provinciarnm præfectis, & inferioribus Magiſtratibus iſta religio curæ eſſet, quemadmodum jure debebat, non tot hæreticorum turbæ, non ea ſectarum illuvies, non ſolum per meas Belgicas ditiones, verum etiam per alias orbis Chriſtiani partes, & vicina regna erumperet. Quare cùm Socordia Magiſtratus, & veteris religionis negligentia has nobis turbas pariat, quæ non lenitate, ſed ſeveritate coercendæ ſunt, volo ut diligens inquiſitionis ratio habeatur, ut inquiſitores à Magiſtratibus legitimè defendantur & adjuventur, ut juxta decreta Concilii Tridentini, vetus Catholica religio obſervetur, in hæreticos ſeverè animadvertatur, abſq; omni diſſimulatione vel fuco, quod ſi fortè Magiſtratus quidam hac in re remiſſius agere videantur, moveantur officiis, aliiq; diligentiores ſubſtituantur. quicquid etiam de reformatione cleri, & rebus eò pertinentibus, in provincialibus conventibus ſtatutum fuerit, ratum habeo. Hortor itaque te, Margaritha Soror,

Rex Inquiſitionem denuo mandat

obſer-uari ſeuerè. ut iſta primo quoque tempore per provinciam divulges, meaque juſſa non cunctanter exequare. Etſi autem Aurantius, Egmondanus & Hornanus, denuò reſiſtentes iſti decreto aſſentiri noluerunt, tamen Margaritha princeps aſſentiente ſecreto Senatu, illius modi edictũ decimo octavo Decemb. proponit, & ad cunctos provinciarum præfectos & Magiſtratus perſcribit, ejusque obſervantiam ſeverè & religioſè mandat, Regis paternum animum ac benevolentiam erga ſubditos, communemq; patriam prædicans. Superioribus annis magnum certamen inter Anglos & Belgas; de mutuis mercimoniorum commerciis gliſcere cæpit, quod paulatim magis magisq; incruduit. Angli enim has turbas Belgicas animadvertentes, in primis, quod illi in ſuis ad regem querelis & libellis, Inquiſitionem Hiſpanicam deprecantes, Anglorum frequentes & uberes negotiationes obtenderent, quarum fructu atq; exercitio, ſi inquiſitio rogaretur, magna cum ſua & Antuerpienſium, cujus præcipuè civitatis emporium ageretur, jactura, diſcedentibus Anglis, carendum eſſet, intentiores in rem ſuam, & circumſpectiores eſſe cæperunt, non conſideratis pactis conventis, quæ antiquitus inter Angliam & Brabantiam prudenter conſtituta, & concorditer obſervata

fuerunt

ſuerunt. Igitur merces Anglicas, quas Brabanti Flandrique coemptas ex Anglia eveherent, Angli, & pretio & vectigalibus Leondini multò ſolito cariores Belgis reddiderunt, ſingulos panni lanei Ballos, ut vocant, ſingulis engelottis numis augentes, præter conſuetarum impenſarum vel ſumtuum adauctum pretium, ita quidem, ut Angli ſingulum ballum, vel ut vocant, ſtücklacken, ſenis aureis cæſareis minori pretio Antuerpiam tranſportare, & vænum exponere poſſent. Qua ratione illi Belgis aſtutè pannorum mercatum eripientes, iſtum quæſtum ſibi in Angliam transferebant, etiam tum id molientes cum Maria regina Philippo regi nupta eſſet, qui in gratiam uxoris iſta & alia ſuorum ſubditorum gravamina, diſſimulanter ferebat. Neq; Margaritha provinciæ Belgicæ præſes, ad mercatorum querimonias, per conſiliarium regium Chriſtophorum Aſſonuillenum in Angliam ablegatum, ullam ea in re moderationem, anno Salutis M. D. LXIII, impetrare potuit. Imo eodem tempore parlamentum Anglicum, decretum publicavit, quo fere omnes Belgicæ merces manuariæ, ut cultri, acus, aciculæ, fimbriæ, ligamina Anglia prohiberentur, quo ſuos eolucro ditarent. Huic decreto adverſarium edictum Margaritha opponens, per Belgiam vetuit, eam

materiam, ex qua talia utensilia conficerentur; in Angliam transportari. Denique eò res altercationibus rediit, ut Angli severissimè interdicerent, tàm suis, quàm Belgis, pannis laneis, aliisque cujuscunque generis mercibus, ullo modo inter sese communicandis, transportandisque. Itaq; Anglici mercatores, qui dicuntur Aventurarii, anno 1564, mense Majo, in feriis pentecostes, cum quadraginta quatuor onerariis navibus, pannorum aliorumque mercimoniorum plenis, Embdam Frisiæ Orientalis metropolim, cum paulò antè cum Comite Edzardo pactionem certis conditionibus fecissent, feliciter appulerunt, mercesque exponentes Frisiis Germanisque vendiderunt. Margaritha interim suis Belgis denuò omni contractu Anglico Emdæ exercendo interdicente. Angli Emdæ benignè accepti, liberaliterque habiti, etsi propter portus & navigationis commoditatem, qua civitas illa, sita ad Amasum fluvium, plerasque Europæ maritimas civitates, sicuti peritissimi nautarum rentur, superat, tùm propter civium humanitatem, cultumque, & eandem, quam communem cum ipsis habent, religionem, statuerant, sedem suorum mercimoniorum universam istuc translatam figere, Emdamque instar Antuerpiæ, luculentum

Anglici mercatores Embdam merces suas transferũt.

deinceps

deinceps emporium celebrare: tamen partes ex non ingrata recordatione veterum pactorum, & commerciorum, quæ ipſi principes & populi, ut vicini longa annorum ſecula, ſecundis adverſiſque rebus non ſine ingenti fructu, inter ſe mutuo terra mariq; coluiſſent, tandem ejusdem anni, menſe Decembri, deferveſcentibus animis, in concordiam quodam modo redierunt: publicatis utinque edictis de antiqua contractuum communicatione deinceps obſervanda, usque ad proximum Brugis conventum, qui intra trimeſtre ſpatium haberetur. Illicloco Reginæ Angliæ Antonius Brovii Vicecomes, Nicolaus Wotton, Walterus Haddon: Nomine Belgarum verò, Florentius Montmorentius Montignius Comes, Chriſtophorus Aſſoquilleus, & Ioachimus Gellius, dicto die comparuerunt, feriis paſcalibus, anno 1565. Cum autem controverſis capitibus variè agitatis, omninò conveniri non poſſit, & res ad Junium menſem extenderetur, Florentio Montignio,

Hiſpanias ad regem à Margaretha interim ablegato, & Philippo Momorontio ipſi ſuffecto, afferebatur rumor, Philippum regem ipſum in Belgia brevi affuturum, itaque rés ad optatum finem perduci non potuit. Nam Elizabetha regina ſuo in regno novum telonium pannorum Anglicorum, à Maria regina Londini nuper impoſitum, quod præcipuè in contentionem vocabatur, abrogari noluit, ne videretur regni vectigalia, à ſorore ordinata, imminuere. Ad transactionem autem iſtam qualemcunq;, Decemb. menſe initam, eſt recurſum, & ad Philippi adventum controverſiæ ſumma remiſſa: ita quidem, ut principibus, populisque utrinque liberum eſſet, à tranſactione diſcedere, quando quadraginta diebus utrinque mercatoribus indicium antea factum eſſet. Atque ita Embdenſis iſte Anglicus mercatus, præter opinionem, brevi deſiit. Dum hæc in Belgia geruntur, Turca Maltam inſulam, quæ antiquitus Malita dicebatur, in mari mediterraneo, inter Siciliam & Africam, ſitam, magna claſſe invadit. Duces exercitus erant Muſtapha & Pialus Baſſe, ſocii Draguthus nobilis pirata Argierius & Tripolitanus regulus. Erant in claſſe, centum & triginta triremes, quas Galleias vocant, triginta Galeottæ, & viginti aliæ grandes, & plures

Turca Maltam obſidet.

minores

minores naves, magno militum & tormentorum apparatu instructissimæ. Eam insulam, Teutonici milites, ordinis Divi Iohannis, qui aliâs Domini Rodiani vocantur, anno salutis. M. D. XXII, cum à Solymanno, Turcarum tyranno, Rhodo insula, quam ultra ducentos annos possederant, pellerentur, cessêre. Hi enim milites, qui & equites aurati habentur, Henrico V & VI. Cæsaribus, circiter annum Christi, millesimum & centesimum, cum Godefridus Biliònæus, Lotharingiæ Dux, cum sexcentis millibus peditum, & centum millibus cataphractorum equitum Christianorum, in quo, Germani & Belgarum populi, ut Burgundi, Brabanti, Flandri & Frisii præcipui erant, memorabilem illam expeditionem, quasi Argonauticam ex Europa in Asiam, expugnatis Hierosolymis haberet, suum ordinem pro defensione & propagatione Christiani nominis, contra Barbaras & feras gentes, ingenti pietatis & Libertatis amore & studio, Hierosolymis instituerunt, & deinceps variante fortuna, multas insulas maris mediterranei occupantes, tanquam muros & propugnacula orbis Christiani, summa virtute & gloria multos annos obtinuerunt. Sed Imperii Turcici ingruente potentia, pudenda discordia & socordia nostrorum principum, hanc

insulam Maltam Christiani milites penè solam, amissis cæteris, hactenus vix ægrè retinuerunt. Conscripti istius Ordinis milites vel equites in hac insula, tunc erant omninò quingenti, habebant sex millia militum, & totidem tormentis sclopettisque probè instructos iusulares: suum præfectum vel ducem, dominum magistrum vocant, qui eo tempore Franciscus Valettus dicebatur. Insula quatuor propugnaculis, ut Angelo castello, Arce, Michælo & Elmo, natura operéque egregiè munita erat. Hostis decimo octavo Maji, primam scansionem fecit, totumque exercitum cum omni bellico apparatu interram exposuit, qui exercitus circiter quadraginta quinq; millia censebatur. Munitionē Elmū triginta duobus majoribus tormentis, primū gravissimè oppugnatā, tandē expugnavit, quibus oppugnationibus, mille trecenti meritorii milites & centum quinquaginta de dominis equitibus ipsis ceciderunt, ex hostibus præter cæteros etiam Dragutus pirata periit, vir strenuus & bellicosus. Posteris diebus arcem & Michælis propugnaculum, summis viribus tormentisque majoribus septuaginta simul aliquoties oppugnavit, in queis videbantur tres immani magnitudine Bombardæ, Basilisci dicti, singuli septenarum spitamarum

ambitus hiante ore, horribili fragore & sonitu, ducenteis pondo globos evomentes. Quanquam autem propugnaculis infinitis ictibus, aliquot diebus continenter concussis, & cuniculis factis, hostis eatenus muri partem dejecerit, ut justis ordinibus & quadrigis intrare posse videretur, & jam Mustapha ipse cum signo prætorio in fossam insiliisset, non dubia spe occupandi mœnia, & insulæ totius capiendæ: tamen ea obsessorum virtus fuit, ut & operibus adversis ejus conatus eluderent, & indefesso propugnandi ardore, eum tandem munitionibus depellerent, duobus amplius millibus hostium cæsis, cum tantum ex suis ducentos desiderarent. His diebus magister ordinis certò rescivit, Garciam Toletanum, proregem Siciliæ, jussu Philippi regis, cum subsidiariis copiis, brevi affuturum. Accurrit etiam quidam captivus Christianus, qui vinculis solutus, ex classe Turcica evaserat, nuncians, tantam stragem Turcarum, ventilationibus & oppugnationibus, morbis inediaque accidisse, ut quatuordecim millia militum in exercitu vix superessent. Secutus deinde est alter fugitivus Christianus, qui referret, Turcas adhuc semel extremam fortunam ultima oppugnatione tentaturos. Quibus

Quibus nunciis obſeſſi recreati, omnia ad inſtantem oppugnationem, tanquam ad ultimum certamen pro ſe quemq; hortantes, promptiſſimis animis paraverunt. Paulò pôſt adeſt Garcias prorex, cum claſſe quadraginta quatuor triremium, qui ad adverſum inſulæ littus adnavigans, novies mille milites in terram exponit, ductoribus Aſcanio Cornio, & Chiapino Vitello. Hi ad antiquum oppidum Maltham, quod à Turcis inacceſſum erat, deflectunt, quibus etiam ducenti circiter milites Rodii aderant, unà recens advecti. Garcias expoſitis militibus, & ad oppidum adductis, eadem via ad claſſem revertitur, & conſcendens, magnum Bombardarum fragorem edit, cui pari tonitru, immutuum congratulatione ſignum, obſeſſi reſpondent. Qui quidem advenientium militum Chriſtianorum ſtrepitus, ut obſeſſis animum confirmavit, ita obſidentibus Turcis deſperationem attulit; nam ad 12 Septemb. diem, ſoluta obſidione, collectis vaſis, Turcæ omnes diſcedunt, magna præda hominum & pecudum abacta, non ſine ingenti ſuorum clade atq; ignominia, cum emiſſis circiter octuagies millibus majorum tormentorum ictibus, triginta militum millia amiſiſſent.

Ao M. D. LXV. Turca. Maltam relinquit.

Quamvis etiam obſeſſi non ſine ſanguine Victoriam obtinuerunt, nam præter non paucos

gregarios

gregarios milites, propemodum ducenti Domini equites ipsi perierunt: Ita tandem post longam obsidionem, hæc insula, à sacri Rodiorum ordinis Christianis equitibus, contra Barbaros ope consilioque Philippi regis, fortissimè est propugnata. Paucis pòst mensibus Solymannus Turcarum Tyrannus, cum obsidio Malthana suorum, mari non succederet, ipse in Ungariam, terrestrem expeditionem, cum excercitu trecentorum millium militum fecit, & Sygetham arcem & oppidum; unum ex præcipuis Hungariæ propugnaculis, ad Danubium situm, post multas gravissimas & assiduas oppugnationes, actis Cuniculis, & centum Viginti majorum tormentorum continuis ictibus verberatum tandem mense Iulio expugnavit. Ipse autem Solymanus biduò antè, in obsidione senex octuagenarius animam exhalat: Bassa Mahomete Legato nihilominus strenuè rerum in exercitu satagente, & Tyranni obitum summò silentio celante: Quò Selymus filius, cujus partibus favebat, à purpuratis Constantinopoli, sine turbis in locum patris succederet, sicut & accidit. Nicolaus autem Serinius Comes, arcis oppidique præfectus, cum cum suis militibus, quos ex insigni præsidio paucos integros habebat, amisso oppido, se in arcem recepisset, & in

Turca expugnat Sygetham Vngariæ.

ſummas anguſtias redactus, nulla ſpe ſubſidii, in unam virtutem ſalutem poſuiſſet, ut aut fortiter per hoſtes perrumpendum, aut glorioſè moriendum ſtatueret, conglobati per arcis portam in medios hoſtes eruperunt, ubi fortiter pugnando honeſtam mortem pro patria oppetierunt. Serinii caput holoſerico panno involutum, ad Maximilianum II. Imperatorem noſtrum, Baſſa in caſtra ad Strigonium poſita miſit, tanquam victoriæ trophæum in Chriſtiani nominis ignominiam. Quoniam de Concilio Tridentino & Inquiſitione Hiſpanica, frequens mentio, in hoc opere, incidit, operæ pretium erit, paucis commemorare, de utriusque exordio forma & progreſſu. Itaque conſtat, Martinum Lutherum ſtatim initio ſui certaminis à pontifice Leone decimo, Romam evocatum, & doctrinæ ſuæ damnationem indicta cauſa metuentem, à pontifice ad Concilium provocaſſe. Poſtea Carolo Cæſare, graviſſimum edictum Wormatiæ proponente, & proſcribente Lutherum, Germaniæ principes, qui jam Lutheri, tanquam adoleſcentem doctrinam amare, ac pro vera amplecti inciperent, in conventu Imperii, Noribergæ, anno Salutis ſupra mille quingentos Vigeſimo quarto, apud Laurentium Campegium,

Forma & Progreſſus Concilij Tridentini.

pegium

pegium Cardinalem, Clementis Septimi pontificis Legatum, liberum atq; legitimum de religione concilium, in Germania petiverunt. Cæsar autem, etsi primum offensus, quod veluti se præterito, id à pontifice petivissent, tamen & ipse tandem assensit. Quanquam verò deinceps, in omnibus ferè imperii conventibus, Germani indesinenter idem flagitarent; Cæsar etiam & Ferdinandus, & pontifex, tam privatim quàm publicè, ad eorum animos demulcendos, subinde promitterent, tamen variis pontificum artibus, res ad annum salutis M.D.XLII, extracta fuit. Clemens enim pontifex, apud Cæsarem instabat, ut quoq; modo dissidium absque concilio pacaretur, ut, si leniter causa sc piri non posset, armis opprimeretur. Idem spectabat paulus III, illi in Pontificatu succedens. Itaque jam placentiam, jam Bononiam, jam Mantuam, jam Vincentiam, Italicas civitates, loca concilii Germanis suspecta, nominabant, easque leges Concilii, eam formam præscribebant, quibus, cum protestantes minime venturos crederent, indictum Concilium vel suspenderetur vel abrogaretur, vel si in præscriptas leges pro-

testantes consensissent, eos irretitos condemnationi tenerent. Tandem tamen urgentibus Germanis, Paulus III ad Calend. Novembris. anno M.D.XLII, concilium Tridenti, quod est oppidum in Germaniæ Italiæq; finibus, ad radices Alpium, omnibus rationibus Christani nominis indicit, & aliquot consessibus habitis, decretisq; factis sex annis ad mortem suam, per Legatos Cardinales, Concilii præsides continuavit. Ei succedens Julius III. Concilio reassumpto, quatuor annos per Legatos præfuit, cum ultimo anno, Germanicis Mauricianis armis contra Cæsarem excitatis, perculsis patribus, Concilium dilaberetur. Hujus pontificis Legatus, Crescentius Cardinalis, Concilii præses, ita illic mortuus dicitur. Cum scribendis ad pontificem literis valdè occupatus, Laborem ad noctem continuaret, & quò se reficeret, tandem surgeret, visus est illi ater canis, inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram propè demissis, conclave ingredi, & ad ipsum rectà tendere, deinde sub mensam dilabi. Ille perculsus & obstupefactus, ubi se se collegit, famulos in anteriori cubiculo inclamans, lumen inferri jubet, & investigari canem. Cum autem nusquam, ne in vicino quidem conclavi appareret, gravi cogitatione in

morbum incidit, quo morbo, etsi perturbatum familiares consolari conarentur, paulò pòst periit, cum moribundus subinde suis acclamaret, ut canem lectum conscendentem arcerent. Julio mortuo, & proximè succedentibus pontificibus, Marcello II et Paulo IIII nihil agentibus, pius IIII Concilium denuo Tridenti, annos salutis M. D. LX, tertio Calend. Decemb. edicens, ad tertii sequentis anni quartam diem Decemb. continuavit, qua die finem Concilio imposuit. Hoc in Concilio viginti quinq; consessibus, multis decretis pontificiam doctrinam non tam emendare, quam confirmare voluerunt, nihil enim minus quam de emendatione cogitarunt; palam enim sunt professi, se pestiferæ Lutheranæ hæresis damnandæ atq; extirpandæ causâ tantùm coivisse. Itaq; cum eo modo Concilium haberetur, & pontifex, cujus Doctrinam protestantes oppugnabant, se Concilio non modò non submitteret, verumetiam ut adversarius & accusator adesset, & tanquam judex præsideret, atque eorum, qui suffragia ferrent, sententiasque dicerent, voces ac voluntates sibi jurejurando obstrictas teneret, statim ab initio, ut suprà diximus, protestantes principes illiusmodi Conilio sese oppo suerunt, & id tanquam illegitimum sacerdotum Conciliabulum rejecerunt.

runt.

runt. De Concilii autem forma, & ordine publici consessus sic res se habet. Patres, ut ipsi loquuntur, stato die in ædibus Legati pontificii, ut Concilii præsidis, conveniunt, à quibus ædibus usque ad ædem sacram primariam, militum stationes atque equitum bipartito consistunt. Legatus ad horam nonam prodit, præeunte crucifero, adest ei à sinistro latere Cardinalis Tridentinus, sequuntur ejus collegæ, & Archiepiscopi Electores, tum Cæsaris ac principum oratores, deinde reliqui Episcopi suo loco adsunt, postremis templo appropinquantibus milites displosis tormentis tonitru excitant, postea forum occupant, & ibi circaque templum excubias agunt, donec cœtus dimittitur. Ubi venitur in templum, quod vocatur divæ Mariæ majoris, fit sacrũ missæ, finito recitantur Concilii decreta, & simul proximè futuro consessui dies dicitur, tum etiam si qui Legati volunt aliquid in medium proponere, audiuntur: propter varias autem & multiplices, quæ singulis rebus adhibentur ceremonias, in multum ferè diem extrahitur actio, qua tandem finita, Legatus pontificius, eadem pompa domum deducitur. In consessu primum locum obtinet Legatus pontificius, ab eo Tridentinus, inde Legati collegæ, mox Archiepiscopi, electores, ad lævam sunt

Cæsaris & aliorum principum oratores, intermedia subsellia tenent Archiepiscopi, Episcopi, reliquiq; proceres, ut quisq; ætate ordinis suscepti antecedit. Jam verò antea sunt data Theologis themata, quæ discutiant, & sententiam quisque suam de singulis proferant, ut in futuro consessu definiantur: in pronunciandis autem sententiis, eam rationem præscriptam habent, ut sacrarum literarum testimoniis, traditionibus Apostolorum, receptis & approbatis Ecclesiæ Conciliis, & veterum patrum authoritatibus insistant, ut paucis agant, à superfluis & inutilibus abstineant quæstionibus, ut proterviam omnem contentionemq; fugiant; primo loco dicunt sententiam, quos pontifex Romanus misit, Theologi, deinde quod Cæsar reliquiq; principes legaverunt. Præses Concilii, legatus pontificius, indagandæ Veritatis, &, ut ajunt, falsas opiniones confutandi causa, permittit, ut omne genus libros evolvant, itaq; & ex Lutheri & Philippi & Zuinglii & Buceri, aliorumq;, ut vocant, hæreticorum libris dogmata colligunt examinanda, & per sacrum Synodum damnanda. Summa cognitionis ad Theologos, ut vocant, Doctores, præcipuè Hispanos, Gallos, Germanos, quos pontifex atque Cæsar magno numero adduxerant, defer-

tur, nec aliis, nisi Theologis Doctoribus, pronunciare quicquam licet. Theologi autem ita rem agunt, in ædes Legati pontificii, qui locus tunc omnibus patet, præsentibus etiam reliquis patribus, quotidiè conveniunt, & singuli de propositis thematis non interpellati, disserunt, ita tamen ut Ecclesiæ Romanæ judicio omnia deferant. Soli verò Theologi illic loquuntur, & à scribis singulorum excipiuntur dicta atque sententiæ; disseruerunt omnes, quod tunc ad summum triginta dierum spacio fieri consuevit, Episcopi ad præsidem Legatum congregantur, & Theologorum sententias à scribis annotatas exquirunt, deinde ex omni numero singulisque nationibus, quæ tunc adsunt, quidam deliguntur, qui pervestigatis omnium sententiis, dogmata conficiant, postea contrariam doctrinam & mores, gravi censura, paucis verbis damnant. Hæc omnia demum ad universum cœtum referuntur, & palam recitantur decreta, postremo recitatis decretis, rogati Episcopi, cum assentiunt, fit consensus publicus, & tum, cum reliquis patribus omnibus subscribunt, quod ita decretum fuerit, sacrosanctum esse jubent, & Canones vocant. Atque ita Theologi suam quidem sententiam de singulis rebus demonstrant, cuilibet patente

aditu,

aditu, Episcopi verò soli cumque his pauci alii mitrati, definiendi potestatem obtinent, & tunc nemini extraneo ingredi licet. Hæc ita quidem aguntur, sed qui res Romanas familiarius noverunt, ajunt omnia dogmata Romæ jam antè conscripta, jussu pontificis ad Legatum suo tempore mitti, ut præscriptam formulam in differendo Theologi sequantur. Nam non paucos Theologos & Episcopos alit ibi pontifex, & ridiculo proverbio dici solet, Spiritum sanctum Roma subinde Tridentum volare, inclusum manticæ, propterea quòd crebrò pontifex celeribus equis, quid fieri velit, ad suos ibi Legatos perscribat. Pauca autem ex multis Decretis hîc delibanda sunt. Inter alia decretum fuit, damnandos eos, qui sola fide in filium Dei, dominum nostrum Jesum Christum, non etiam operibus hominem coram Deo justificari & conservari asserunt; decernunt, dubitandum esse de gratia & misericordia Dei, tùm invocandos divos, eorundem colendas reliquias, adorandas statuas, panem azymum consecratum adorandum, & pompâ persicâ circumgestandum; Missas pro vivis & mortuis celebrandas, indulgentiarum nundinationem; sacerdotum Cœlibatum; Delectum ciborum, etiam summam pontificis Romani in

Ecclesia divino & humano jure potestatem, & id genus alia plurima doctrinæ capita, pœna Excommunicationis, statuerunt, totumque regnum pontificium, quoad ipsos, instauraverunt; quod præter cæteros Paulus Manutius Venetus, Vir eloquens, libro suo de Concilio Tridentino edito, & pio IIII pontifici inscripto, luculenter exponit. Adfuisse omninò patres ducenti quinquaginta quinque referuntur, in quibus patriarchæ tres, Archiepiscopi viginti quinque. Hujus Concilii Decreta pius IIII missis Legatis, Philippo, aliisque Christiani orbis Catholicis Regibus ac principibus communicat, & pro sua, qua se prædicat, pastorali cura ac potestate, religiosè observari jubet. Hoc edicto proposito & Concilio publicato, etsi plerique rei acerbitate ac novitate perculsi, suam communemque fortunam querebantur, præsertim ista in luce reformatæ, & in publicis Imperii conventibus, toties demonstratæ & propugnatæ Christianæ doctrinæ, quam tot provinciæ, tot populi amplecterentur, tamen alii pontificiis addicti, nihil nec acerbi nec novi tentari referebant, quod non pridem per Belgiam visitatum fuerit. Statim enim exordio motæ Lutheranæ doctrinæ, gravia interdicta contra hæreticos, à Carolo Cæsare esse proposita,
quibus

quibus interdictis, acerrimè in illos sit vindicatum. Prædicabatur ea in causa veterum inquisitiorum diligentia, ac conjuncta cum severitate pietas, in quibus erant Franciscus Hulstius, Jodocus Laurentius, Barnimus Tapperus, Michael Drutius, Jodocus Tiletanus, Michael Bajus, Ruardus Tapperus, aliique plures præpositi Doctores & Canonici Lovanienses, quorum inquisitione & operâ, amplius centum hominum millia, qui Romanæ Catholicæ doctrinæ assentiri nollent, variis cruciatibus, vix annorum quinquaginta spatio, istis in terris perierint, nunc verò contrà, lenitate & conniventia multorum, hæreticos plures & deteriores fieri, & in eam spargi multitudinem, tanquam Zyzania, ut nisi acrioribus remediis evelli atque extirpari, vix ac ne vix quidem possent. Itáque meritò ad Vetera remedia & antiquam Severitatem quàm primum redeundum, esse Lutheri doctrinam planè impiam, hæreticam, seditiosam, & pestem generis humani, Anabaptistarum motus ac turbas per Germaniam & Belgiam allegantes, & Luthero imputantes. Hæ quorundam voces ac studia erant. Princeps tamen Aurantius, Hornanus, Bergensis, Montignius,

Montignius, & alii non nulli Comites ac proceres, & de nobilitate complures cordatiores, ut dictum est, contrà sentiebant, eam edictorum & inquisitionis acerbitatem, in hoc tempore minimè exequendam, quin potius differendum esse negotium, in ipsius Regis adventum, qui coràm omnia pro temporum ratione prudenter sit moderaturus, neque se illiusmodi Decretis intcresse posse. Egmondanus Comes hærebat nunc veluti medius, & quid optimum factu esset, dubitabat. Brabantia etiam præter cæteras provincias de inquisitione querebatur. Inquisitio autem Ferdinando ejus nominis quinto, Castiliæ Rege, Philippi secundi Regis proavo præcipuè innotuit, qui circa annum Christi quingentesimum supra millesimum, expulsis subactisque Saracenis sive Mauritanis, Granatæ, Gallitiæ, Cordubæ, Tholeti, atque alia Hispaniarum regna, quæ illi septingentos octuaginta annos possederant, suam in potestatem redegit, qua Victoria, universæ Hispaniæ, excepta Lusitania, rex factus est. Etsi autem ante ejus tempora, contra Christianæ religionis desertores, quos Maranos vocant, Iudæos & Mahometicos, qui suæ superstitionis tenaces, permisti Christianis, per Hispanias non pauci remanserant, fuit instituta:

Inquisitio Hispanica

Tamen

Tamen paulatim, etiam adversus Christianos ipsos, qui vel hæreseos suspecti, vel Romanis sacris non undequaque assentirent, non sine tumultu & sanguine usurpari cœpit, quare & Catholici cognomentum primus hicRex à pontifice Romano meruit. Arragonii itaque ea gravati, querentes novam sibi servitutem imponi contra leges patrias, primùm Regem observanter deprecari, posteà instantius urgenti resistere, ad extremum ad manus armaque venire, ut ejus Legatum Apilum, cui inquisitionem exequendam mandaverat, cum suis, ipso in templo Sarragosæ, quæ olim Numantia, postea Cæsar Augusta dicebatur, trucidarent. Qua quidem cæde, ac tumultu offensus Rex castigatis subditis, inquisitionem postea summa severitate continuare voluit. Ratio autem inquirendi est ejusmodi. Sunt delecti Theologi, plerumq; monachi, Franciscani, & Dominicani, qui, quos suspectos de religione per suos emissarios audivissent, notarent, eosq; ad se vocatos, de dogmatis Romanæ Ecclesiæ, quæ modò ex parte memoravimus, diligenter rogarent: Quibus si quis annuat, tanquam bonus Catholicus, dimittitur, sin autem, ut hæreticus, in vinculis retinetur. Mox Parochum, sive Ecclesiæ Episcopum, cujus Ecclesiæ, deten-

tus membrorum eſt, ejus rei certiorem faciunt, atque ad examen vocant,ne videanrur alienam ovem; absqne ratione apprehendiſſe. Qui verò ſuſpectus quidem, ſed non confeſſus, convictúsve eſt, diuturno in carcere detinetur, accuſatur publicè, teſtibus documentisque quóque modo urgetur, adhibentur quandoque & tormenta in carcere, loco ſubterraneo & tetro. Quo accedit carnifex, indutus nigra ſubucula linea, velata terribilique facie, is miſerum veſtibus exutum nudatumque, manibus à tergo religatis, circumacta rotula in ſublime tollit, pedibus magni ponderis inſtrumentis appenſis. Ita ille è manibus aliquot horas ſuſpenſus ac cruciatus, querens ejulansque, ab aſtante ſacerdote, de ratione Romanæ fidei, ſuæque Salutis admonetur; poſt laxata rotula, ſuſpenſum corpus, ita in terram decidere permittit carnifex, ut omnia ferè membra luxata quaſſataque videantur. Jam ille penè exanimis, jacensque denuo graviter admonetur. Quod ſi necdum diſertè ſuam de religione opinionem, aliaque poſtulata confeſſus fuerit; iterum atque tertio ita ſuſpenditur atque tractatur, donec aliquid extorqueant, ſi confiteri velit, ſacerdos ſecreto Tabellionem publi-

cum adhibet, qui omnia ex captivi ore clara voce dicentis sed Tabellationis ignari excipiat. Itaque sæpe accidit, rumore sparso de edita confessione, ut istius captivi, vicini, homines incauti, verentes se quoque proditos ad inquisitores ultrò properent seque excusando, vel delicta confitendo, suspectos reddant, ut cum scyllam vitare cupiunt, in Charybdim incidant. Nonnunquam etiam inquisitores, falsum rumorē de captivorum confessione spargentes, eos quos volunt, odiosè notant, in crimenque adducant, biduo antequam sententiam capitis pronunciant, graviter admonent captivum suarum facultatum, ne quid retineat, sed candide omnia indicet, ne familiares suos & domesticos furti suspicione gravet, neque in vindictam Dei omnipotentis, quemadmodum Ananias & Saphira, suis mendaciis incidat. Itaque ejus facultates omnes, misso in ædes tabellione, publicè consignantur, & rediguntur in fiscum. Concilio Inquisitorum & sacerdotum, præsidis & judicum congregato, post latam sententiam, affertur vestis, quam Sambenecam vocant, pallium breve, confectum atro ex panno, absque manicis, ita ut brachia per foramina protendantur: Ea veste damnatus induitur,

 atque

atque Episcopali pileo papyraceo, exhibente picturam hominis in ignem conjecti, cujus ignis Cacodæmon satagit, caput redimitur. Ad hunc modum præcinente Scholasticorum turba, comitanteque universo clero sacerdotali, ad supplicii locum miser deducitur: Obequitat etiam cum inquisitoribus procurator, quem vocant, generalis, gerens velum justitiæ ex rubicundo holoserico, Romani pontificis & Ferdinandi Regis intertextis nominibus, atq; signis, cum argentea cruce elaboratum, magno hominum undique confluentium concursu. Ad locum supplicii, unus de inquisitoribus verba facit ad populum pro sacrosanctæ inquisitionis dignitate, contra damnatam hæreticorum doctrinam, & si quis damnatorum errorem suum, ut loquuntur, revocaverit, absolvitur quidem ille ab errore, sed non à pœna, quæ est vel damnatio ad triremes, vel gladii, vel Virgarum. Reliqui in errore perseverantes, diris atq; execrationibus, diabolo inferisq; devoventur, & catenis religati, ad palum obturati ore, vel exectâ linguâ, lento igne, vivi plerumque ustulantur ac torrentur. Inde præeunte inquisitore, populus in Catholicam Romanam religionem, & sanctam inquisitionem jurans, perpetuam promittit observantiam. Qui ex ordine Eccle-

ſiaſtico in hæreſin incidit, aliis ceremoniis, quam ipſi degradationem vocant, damnatur. Eorum verò qui ex cuſtodia evaſerint, facies, ſtatura, habitusque corporis depinguntur, eaq; in loca, quo putantur evaſiſſe, ut noti retrahantur, quaqua verſum dimittuntur. Hæc breviter de inquiſitione dixiſſe ſufficiat, cujus primaria ſedes eſt in Hiſpaniis, princiæ. Quamobrem cum inquiſitiò & Concilii Tridentini decreta ita urgerentur, varii libelli queruli, paſquillos vocant, de hoc rerum ſtatu & præſagiis futurorum motuum, in vulgus ſparſi ſunt, curiis templisque affixi, unus etiam ipſi Margarithæ non cogitanti obtruſus: Auditis etiam variis diverſarum rerum rumuſculis, ut illiusmodi inquietis temporibus, & ad mutationem inclinantibus fieri conſuevit. Quare Margaritha ſibi provinciæq; metuens, procerum conſenſu, publicato ſcripto intimat, non eſſe mentem regis, nunc inquiſitione religionis populum gravare, quæ quidem inquiſitiò ab anno ſupra mille quingentos quinquageſimo, in ducatu Brabantiæ nulla fuerit. Neque decreta Concilii Tridentini aliter quàm cum reſtrictione conſervandorum regionis privilegiorum, ac immunitatum eſſe publicanda. Quibus verbis populus non nihil recreatus, meliora ſperare, & Margaritha mollit Inquiſitionem.

moderatius loqui cœpit. Etſi autem Brabantiæ ordines, à Margaritha principe, ea de re certiora documenta, ſub fide ſigilloque regis poſtularet; tamen reſpondente Margaritha, id non eſſe ſuæ poteſtatis, ſed regis, cui id primò quoque tempore ſcribendum eſſet, nihil tum quidem impetrarunt. Quo tempore etiam rumor allatus eſt, Philippum regem, Hiſpanicam Inquiſitionem inſtituendam, Mediolani mandaviſſe; populum autem ſtatim armis viribusque reſtitiſſe, turbas verò eò citius deſiiſſe, quod Hiſpani intellexiſſent, nullos reformatæ religionis homines Mediolani eſſe. Urſiſſe eandem pontificem fruſtra Venetiis, nam illos reſpondiſſe, ſi qui eſſent, in ſua Repub. ſectarii, quos reformatos vocant, ſe quidem in eos animadverſuros, verùm non Hiſpanicè: Similem etiam Hiſpanorum conatum in Inquiſitionis negotio Neapoli fuiſſe. Igitur nobiles Belgæ primarii, in oppidis Breda & Hochſtrato, initiò ſequentis anni 1566 conveniunt, & quemadmodum ii, quos providebant, motus præcaveri, & Cardinalitiis molitionibus reſiſti poſſet, deliberant, & quidem inter ſe ſui defendendi cauſa, tandem apud, S. Trudonem, oppidum ditionis Leodienſis, Brabantiæ finitimum, fœdus faciunt, deinde Maximi-

liano

liano Imperatori, tunc conventum Imperii Augustæ vindelicorum in Germania indicenti, & Margarithæ principi supplicandum statuunt. Formam fœderis eam publicarunt. Quandoquidem certis testimoniis constat, quosdam malè feriatos homines, prætextu Catholicæ religionis propagandœ concordiæque studii; id improbè agere, eo omnibus viribus anniti, ut Regem Dominum nostrum clementissimum, nobis adversarium excitent, eoque tandem suis mendaciis ac falsis criminationibus, intolerabili ambitione, & avaritia insatiabili, rem perduxerint, ut Rex contra Sacramentum, quod ipse Deo, fidelibusque subditis Belgis universis præstitit, neglectis contemptisque omnibus, quæ in contrarium subditi aliquoties supplices rogaverunt, ac demostrarunt, Hispanicam inquisitionem tàm crudelem quàm impiam, contra jus fásque introducere, nobisque omnibus tanquam perpetuum servitutis jugum, imponere decreverit. Certum enim esse, ea inquisitione universæ provinciæ, auctoritatem & jurisdictionem, sub inquisitorum redigi potestatem, omnes Belgas, exponi continuis & evidentibus vitæ fortunarumque periculis. Cuilibet enim de plebe, in primis autem

Forma fœderis protestantium.

autem Hiſpanis, & Sacrificulis feneſtram aperiri, ad nocendi artem, ſuumque inimicum ſpecie religionis, pro lubito ulciſcendi, de honeſtiſſimi cujusq; vita & moribus inquirendo, eumq; accuſando, carceri mortiq; mancipando; ita ut neque ratio, neq; defendendi locus contra hanc veluti objectam Gorgonem, ulli concedatur, niſi ad idololatricas & impias ſuperſtitiones improbè redeat, & agnitam veritatem de Deo divinoque cultu ſceleratè abneget. Quamobrem conſideratis omnibus, quæ miſeris Belgarum populis hinc eventura ſunt, quæque ad contemptum divini numinis & ad corporis & animi interitum ſempiternum, in nos univerſos redundabunt; judicamus noſtri eſſe officii, remque ipſam publicam poſtulare, ut pro viribus caveamus, ne cum facultatibus, uxoribus, liberisque noſtris, prædæ adverſariis noſtris exponamur, qui religionis, inquiſitionisque prætextu, rem ſuam agendo, noſtro malo creſcere, omniaque divina & humana miſcendo, omnibus dominari ſatagunt. Itaque Sacroſanctum fœdus ineuntes, nos mutuo obligamus, ſolenniterque juramus, pro virili illiusmodi inquiſitioni reſtituros, neque permiſſuros, ea alio modo, ſive clam, ſive palam, ſive edicti, ſive mandati, ſive viſitationis vel refor-

mationis, aliove qualicunque prætextu, ut recipiatur; quin potius acturos; ut si intro ducta fuerit, antiquetur & funditus exstirpetur, tanquam fons & origo omnium malorum. Attamen coram Deo & hominibus protestantes, recta freti conscientia, nihil nos hoc fœdere attentaturos, quod vel ad contemptum Dei opt. max: vel imminutionem Regiæ Majestatis, ejusdemve ordinum detrimentum pertinere posse videatur, cum id nobis unicè cordi sit, ea nostra mens, is sensus, Regem Regiumque statum tueri, conservare Rempub: Seditionibus & tumultibus popularibus omninò adversari. Atque hoc quidem sancitum fœdus sanctè inviolabiliterque, per totam vitam tenebimus, nunquam re vel verbis contra scienter facturi. Pollicemur etiam nobis nostrisque fœderatis, mutuam corporum nostrorum ac facultatum opem, ac subsidium, qui ratione istius confœderationis, in odium & periculum apud adversarios venient, quantumvis eam vel rebellionis vel seditionis, vel alterius sceleris criminantes, & vim injustam, quæ Rempub. Christianam, & nos universos evertere tentant, Speciosis catholicæ religionis, & veræ pietatis titulis, palliantes. Constat enim, hoc institutum nostrum ex Zelo studioque sancto

promanare,

promanare, quo & Gloriam Dei promovere, & Majestatem Regis conservare, & tranquillitatem publicam tueri, & nostram nostrorumque salutem defendere laboramus; quod & Deus à nobis requirit, & natura ipsa postulat. Volumus etiam, ut quisque nostrum, in hoc negotio, se suaque consilia, communi fœderatorum & fratrum consilio, vel eorum sanè voluntati, qui ad res administrandas delecti fuerint, reverenter subjiciat, ut nostræ unionis ratio constet, & hoc nostrum fœdus sit firmum ac sempiternum. Præpotentem viventem Deum, creatorem cæli & terræ, tanquam justum judicem, hujus nostri consilii testem, invocantes, ut sacri spiritus gratia actiones & conatus nostri, bene prosperèque & feliciter ad gloriam ejusdem, ad communem patriæ salutem tranquillitatemque eveniant. Atque huic fœderi etiam quosdam proceres & nobiles Catholicæ Romanæ religionis adfuisse memorant, quò Communibus viribus inquisitionem oppugnarent, qui tamen postea defecerint. In quibus Comes Megensis fuisse dicitur, qui Bruxellas veniens, & à Margaritha in aulam vocatus exponit, sibi ab homine certo, viro nobili clam indicium factum esse, de multitudine Lutheranorum, qui facta societate cum non nullis proceribus

ceribus ac nobilibus, tùm indigenis, tùm exteris magnam manum peditum & equitum numero ad triginta quinque millia conſcripſerint, eos propediem in provinciam irrupturos & omnia vaſtaturos; non tàm religionis cauſa, quàm novarum rerum ſtudio & lubidine, cuncta perdendi: Eſſe delectos mille quingentos, qui undecim dierum ſpatio ipſam principem Margaritham, aulamque ſint petituri. Itaque ſi Regis permiſſu liceret, ſibi videri, ut aut ad arma quàm primum deſcenderetur, ad ipſorum occupandam audaciam, aut aliquid ſaltem illis de religione concederetur, quo mitigata edictorum aſperitate, ipſorum animi demulceantur, minusque ſit periculi. Egmondanus etiam in Concilio præſens, idem ſe cognoviſſe affirmabat, idemque fere ſentiebat, addens tamen, ſibi non videri, eos cum armis affuturos, vel aliquid vi tentaturos, neque enim clam militem poſſe colligi, de quo præter inanem rumuſculum ad huc nihil certi allatum, quin equites proceres ipſos ſatis eſſe ſolertes & concordes defendenda provincia & cavendis motibus. Interea fœderati Maximiliano Imperatori & ordinibus Imperij Auguſtæ congregatis latinè ſupplicant, & tyrannidem Hiſpanicæ inquiſitionis & Concilii Tridentini, qua Belgarum

Fœderati ſupplicant.

animi, magna cum publicæ quietis & totius provinciæ perturbatione, non leviter sauciarentur, prolixè exponunt, petentes, ut apud Philippum Regem agat; ut in fundendo piorum sanguine, deinceps supersedeat; neq; iram Dei in se omnemque domum Burgundicam & posteritatem provocet, & ut negotium reformatæ religionis & Reipub: pacis Clementer procuret; vehementer etiam atq; etiam rogant. Habebatur hic conuentus Martio & sequentibus mensibus, magno Septemvirorum & reliquorum Germaniæ principū & ordinum numero, tum quod primus hic esset à Cæsare Maximiliano indictus conventus, tum, quod Solymanus ipse, Turca ingentibus copijs, ut modo diximus, in Vngariam irruisset, & Sygetham Vngariæ, & postea Iuliam Transijluaniæ occupasset. Hoc in conventu Cæsar ipse se obtulit, ad expeditionem belli, contra Solymannum summis viribus instituendam, cujus præclaram voluntatem, omnes ordines, magna gratulatione acceperunt, magnumq; exercitum decreverunt, Habuit enim in castris Cæsar, circiter centies mille, instructissimos pedites & equites. Actum præter ea est de constituta religionis & Reipub: pace conferenda, de moneta Imperij & Burgundio, Belgicæ provinciæ, æquabili eademq; sonte, & proportione

Maximiliano Cæsari.

taxanda

taxanda ? & moderanda, de promulgata proſcriptione Guilelmi Grumbachi; Guilelmi Stheinij Iodoci Sebiti & aliorum complicium qui arcem & oppidum Wirtzburgum, proximis annis, vi atq; armis occupaſſent. Ad quam Imperij proſcrip tionem exequendam Elector Saxoniæ Auguſtus, Dux exercitus, publico decreto eſt conſtitutus. De Belgarum verò querelis id actum eſt, ut & literis apud regem principes intercederent & aliquanto poſt Cæſar, fratrem Carolum Archiducem Auſtriæ, ad regem in Hiſpaniam, ſplendida Legatione mitteret, ut ſuo loco dicetur. Eodem etiam tempore, ſcriptum nomine populi Belgici, ad Regem Philippum eſt publicatum, quo reformatæ religionis cauſam, repetitis veteris Eccleſiæ hiſtoriis, & ſacrarum literarum teſtimoniis copioſè tuebatur, & eandem amplectentium innocentiam, & ſincerum fidelemque erga Regem animum prædicabat. Margaritha verò, cum jam inter cætera afferretur, complures è nobilitate ad urbem properare, an admitterentur, ad Concilium refert: Re autem explorata, inermes modeſtè adventare, & cauſam adventus eſſe, ut principi certis de rebus ſupplicarent, decretum fuit, ut intromitterentur, conſtitutis tamen portarum excubiis. Intereant Concilio

ferè omnes proceres, equestris ordinis, senatusque secreti primores & provinciarum Præsides, Aurantius, Egmondanus, Arescotus, Hornanus, Bergensis, Megensis, Arenburgicus, Hochstratanus, Barlamontius, Montignius, Harchicourtius & alii. Itaque nobiles die tertia Aprilis ingressi Bruxellas, quinta ejusdem mensis, aulam adeunt, numero supra trecentos, quamvis alii quingentos ponunt. Aderant Ludovicus Nassovius, Aurantii frater, Culenburgius, Comites, & alii procerum amici & propinqui. Henricus verò Brederodius Baro, juvenis disertus & audax, ex veterum Hollandiæ Comitum familia prognatus, primum omnium nomine verba facit; post, orationem scripto Margarithæ Concilioq; tradit: ut diceret, istam hominum nobilium congregationem, cui etiam multi de nobilitate, qui certis de caussis coràm non adessent, assentirent, in Regis reiq; publicæ commodum fieri, neque aliam ob caussam institutam esse. Magno autem se cum dolore audire, quod quorundam calumniis gravati, seditionis & rebellionis absentes accusati sint, quod cum extris quibusdam principibus ac ducibus conspirarint, fœdera cum Gallis Germanisq; fecerint; quod repudiato Rege Philippo, alium provinciæ principem ac

Fœderati supplicant Margarithæ 5. Aprilis Ao 1566

Dominum

Dominũ variis habitis conventiculis, clandestinisq; consiliis, expetiverint, quod ut impium & nefarium facinus, nunquam sibi in mentem venerit, ita sanè de maximo gravissimoque crimine, sibi nunc necessariò esse respondendum: famæ enim non minorem, quàm vitæ rationem esse habendam. Itaq; rogare, manifestis, illis mendaciis, & improbis calumniis fidem non habeant, ipsosque calumniatores qui sint, indicent, ut & sua sibi nominis existimatio salva constet, ad posterósque illibata conservetur, & mendaces isti delatores meritas sui facti pœnas, aliorum in exemplum luant. Quemadmodum enim, si nocentes ipsi & rei imminutæ Majestatis reperiantur, gravissimas ignominiæ notas atque supplicia non recusent, ita contrà, sua constante & probata fide, & innocentia, in illiusmodi alienæ famæ Violatores severissimè animadvertendum esse. Sperare autem illustrem nobilitatem, reliquosq; primores socios, qui adessent, quiq; abessent, Principis atque Concilij iusticia atque æquitate futurum, ut ne gravissimi istius criminis odio atque invidia graventur, & rogare, ut iste suis necessarius accessus clemẽter accipiatur. Etenim inquit, Marga: Princeps, vosq; Concilij proceres non solũ vobis vicinisq; omnibus verũ etiam cunctis populis

Christiani nominis, plus satis notum est, qua fide, quoque studio, hi Belgarum populi, erga Principem suum semper fuerint, quos inter, nobilitas principem sanè obtinet locum, qui pro Salute atque dignitate sui principis, vitæ fortunisque suis domi militiæque nunquam pepercerunt. Hoc instituto Majorum nostrorum, nos ut fideles clientes, & subditi Regis Philippi nostri præclare insistentes, operæ pretium facturos putavimus, si his dubiis formidolosisque temporibus, vos cum hoc illustri nobiliũ cœtu adiremus, quorundam reverenter admonentes, quæ ad salutem Regis & provinciæ, & nostrum omnium commodum maximopere pertinerent. Sperantes eum videre diem, cum istud nostrum studium, omnium officiorum & præclarissimum & fidelissimum Regi præstitisse videamur. Porrò quæ sit edictorum ratio, de inquisitione religionis observanda, de Concilij Tridentini decretis publicandis, quæ acerbitas mandatorum, nunc aliquoties iteratorum, omnes scimus. Etsi autem Regis præclara est voluntas, & religionis Catholicæ summum studium, tamen diligentem temporis esse habendam rationem constat. Quæ enim antiquitus olim salubriter, utiliterque instituta & præcepta sunt, ea omnibus tem-

poribus,

poribus, omnibus deinceps hominibus, pari severitate absque incommodo mandari urgerique non possunt. Sapientis autem Legislatoris leges, statutaque sua tempori accommodare. Conferamus ista tempora cum Caroli temporibus, an similia reperiemus. Caroli tempore ubi in paucis Germaniæ locis Lutheri Doctrina innotescere cœpit, eam is veluti pullulantem herbescentemque, convellere, & Concilio generali eradicare conatus est. Nunc verò non solum Germanos, sed & Gallos & Anglos & vicinos nostros, aliosq; longinquos populos consideremus: an non bonam Orbis Christiani partem, ad mutationem Doctrinæ inclinare, neque istis edictorum vinculis sese constringi amplius velle videmus? quos motus? quas turbas? quas propemodum regnorum, imperiorumque mutationes vel eversiones, religionis causa concussa, passim excitatas videmus? Itaq; hinc nobis patet, siquidem oculos habemus, quid in nostra provincia nostro Regi ex isto edictorum rigore, expectandum sit: Tunc enim tua res agitur, paries cum proximus ardet. Carolus certè Cæsar, sua Religionis interdicta, subinde pro tempore sapienter est moderatus, præsertim anno salutis, supra mille quingentos quinquagesimo, ex qua quidem moderatione,

universa Belgica civitas, in primis Antuerpia, magnos postea ac uberes fructus sentit. Itaq; cum nunc ex isto edictorum iterato rigore, severissime mandat executionis, varias populi mussitationes, & diversa omnium ordinum studia appareant, merito magnos motus Reipub. exulceratis hisce temporibus, nisi in tempore gliscentibus turbis remediũ afferatur, in his terris veremur. Nemo enim ab inimicorum injuriis ac calumniis tutus erit, cũ subReligiouis prætextu optimus quisq; in odiũ & invidiam, ab adversario ræpietur. Nos quidem hactenus putabamus, te, Margaritha princeps, ope consilioq; Aulæ procerum, senatusve ordinum, huic malo fuisse subventuram, sed quoniam hactenus cessatum est, cur autem cessatum, non apparet, nos tam publicè quam privatim ista dolenter queri, & fideliter indicare, necessariò cogimur; non enim solum damna publica, verum etiam privatæ calamitates nobis singulis & universis in agris extra oppida & munitiones habitantibus, præcæteris ante oculos & maximè metuenda sunt. Quod si igitur periculo propiores, præter cæteros anxii, vestrum auxilium atque opem contra ingruentẽ vim ac Tempestatem imploramus, nobis, ut spero, venia dabitur. Quam obrem rogamus, ut imminentia considerantes pericula, spectatum hominem in Hispanias,

quam primum in hoc tempore mittatis, qui formidolosum provinciæ statum Regi denuò exponat: Ne autem nos Regi vel imperare, vel administrandi modum præscribere velle videamur, cui omnia deditissimi animi obsequia pro virili præstare, sumus paratissimi, generale tantum, omnium ordinum Concilium, more majorum petimus, ut Rex ejusdem interventu omnia ad salutem publicam clementer administrari & dirigi patiatur. Obsecramus autem te illustrissima princeps, ut interea temporis inquisitionis Regiorumque edictorum rigor, propter bonum publicum abrogetur, vel saltem suspendatur, quoad à Rege responsum relatum fuerit, palàm protestantes, quod Regis Reique publ. amore & studio, ad præcavendos motus ista proponamus, quemadmodum fideles administros & clientes decet. Quod si verò hæc nostra admonitio respuatur, neq; in tempore imminentibus motibus medicina afferatur, Deum Opt. Max: & Regem, vosq; ipsos & nostram contestamur conscientiam, nos in culpa non hærere, neq; publici motus vel seditionis, quæ alioquin haud dubiè imminet, reos videri posse. Postremò & aliũ libellũ supplicẽ, plebis reformatæ doct. nobiles sibi ipsis inscriptũ Marga: tradũt, ejus ferè argumenti, quod reformari parati sint,

 arma

arma, si quæ sumsissent, ponere, & in religionis negotio generalis Ordinum Conventus Decreto parere, modò jussu Margarithæ nobiles, ipsis caverent, defensionemq; contra adversariorum injurias promitterent. Ad hæc Margaritha postridiè in hanc sententiam respondet, se clementer ipsorum postulata audivisse, & libellum supplicem legisse, ea autem se Regi propediem esse transmissuram, neque dubitare, quin quam moderationem inquisitionis ipsa jam antè ipsorum adventum, ope concilioq; quorumdam procerum, conata fuerit introducere, eam Rex sit ipse comprobaturus: mandaturam, se se quoq; singularum provinciarum Magistratibus, ubi jam inquisitio sit instituta, ut secundum eam moderationem ita res administretur, quò cordatus quisq; sibi satisfactum sentiat, neque amplius habeat querimoniæ causam. Quod verò attinet ad inquisitionem, & Regiorum edictorum abrogationem vel suspensionem, non quidem sibi eam esse potestatem, ut minime ipsos lateret, injussu Regis quicquam agere, se autem diligenter apud Regem hac de re acturam, certa spe ac fiducia, Regem supplicantibus, ex ingenita Regia benignitate illud clementer esse largiturum, quemadmodum quidem Antuerpia nuper impetravisset, idque eo etiam

Margarithæ responsio.

facilius

facilius futurum quod confidat, illos Catholicæ Romanæ Religionis, quæ hucusque hisce in terris obtinuit, fideles deinceps fore sectatores. Cum autem nobilius hoc responso necdum satisfactum esse videretur, qui tamen eo in tempore quoquo modo placandi erant, consilio quorundam Senatorum, in primis verò Christophori Assonvillæi, Margarithæ jussu, Comes Hochstratanus, & Secretarius Bartius ablegati, nobiles qui jam ex aula discesserant, interpellant, nomine totius Concilii pollicentes, in religionis negotio, nihil innovatum vel mutatum iri, antequàm Regis ipsius responsum sit allatum: quin omnibus minoribus magistratibus & præfectis Regis esse mandandum, neminem religionis ergò capiant, nullius bona proscribant, nisi manifestæ seditionis reorum; quod tamen crimen à Concilio aulico prudenter discernendum sit, omniaque eo in statu mansura, quoad Rex in conventu omniũ ordinum aliter statuerit. Ad hæc nobiles respondent, se certò confidere eam constantẽ promissis, coactis magistratibus atq; inquisitoribus ipsis, istam suam voluntatem probaturam, eique ut pareant, mandaturam, cui decreto sese omnes etiam reverenter subjicere, atq; ita deinceps gesturos, ut & Rex & Margaritha princeps & proceres sibi satisfactum sentiant,

Rogant etiam, ut si qui motus vel tumultus fuerit excitatus, is ut maturè compescatur, inq; authores pro merito animadvertatur, denuò contestantes, se horum omnium, si quid fortè ejusmodi acciderit, prævios monitores, & omninò esse inculpatos. Constituunt autem quatuor viros, qui tanquam censores providerent; ut interim per singulas provincias ritè omnia juxta responsa Margarithæ principis administrarentur. Cœpit in hoc concilio Geusiorum nomen, quod postea motis factionibus, & crescente bello civili, apud exteras nationes passim innotuit. Cum enim Margaritha princeps, isto nobilium adventu ac postulatis, non nihil commoveri videretur, subdit quidam de concilio lingua Gallica, non esse verendos istos Geusios, id est, mendicos, qui brevi sanè tempore extirpandi sint. Ajunt Barlamontium istius vocis auctorem esse, ego verò pro certo affirmare nihil possum. Ipsi quidem proceres ac nobiles sibi hoc cognomen postea sumpserunt, se Geusios ubique vocantes, & in arctioris fœderis vinculum paliis cinericei coloris vestientes, quibus in palliis, mendicorum instar, Catinos ligneos, antè pectus dependentes, habebant, inscriptos Gallicè, Vive Les Geux, id est, Vivat Geusius, iis ex Catinis, in Conviviis plerique potitabant,

Geusiorum nomen.

tabant, illudq; veluti faustum sibi elogium acclamabant. Appendebant præterea collo numismata aurea & argentea, latere in altera imaginē Regis Philippi impressam, altero verò peram & duas sese complectentes dextras continentia, ita Gallicè circum scripta: Fidelis Regi usque ad mendicitatem: neq; etiam non ediderunt ex ære nummos utrinq; inscriptos: Coronati Vianenses: flamma ferroq; cum notatione: Domus Burgundica. Interdum pro lubito etiam usi sunt vestibus nigris & torquibus ferreis: Certè non obscura calamitatum futurarum, quæ postea totam provinciam inundarunt, præsagia. Quanquam eo tempore, cùm fortè in littore maris, insolitū genus piscis, aspersi notis & maculis, mendicorum ollis catinisq; similibus, caperetur, id vulgus in felix faustumque omen fœderatorum Geusiorum, cupidis sanè votis converteret. Margaritha itaq; de imminentis periculi gravitate solicita, nobilium confœderatorum, quorum numerus quotidiè crescebat, postulatis, pro temporis ratione, quoquo modo satis faciendum esse judicabat. Itaque tandem Regiorum edictorum atq; inquisitionis mitigationem, Inquisitoribus & provinciarū Magistratibus mandat, graviter monens, ut moderatè in religionis negotio agāt, ne acerbitate pœnarum confœderati excitati, edicta

Inquisitionis mitigatio, à Margarita edicta

aliquid

aliquid detrimenti Reipub. afferant, cujus ipsi postea authores videri possent. Cum autem, id quod erat, judicabat, Regem non parum isto nobilium conventu & libello supplici offensum, omniaque quæ accidissent, in aulam sinistrè delata atque accepta esse, decernit Legationem de communi Concilio, ad Regem Hispanias; hi erant Iohannes Marchio Bergensis, & Florentius Montmorancius Baro Montignius, qui quidem Montignius nunc secundò mittitur, quorum fide solertia & prudentia sperabatur, Regis animum quodam modo placari posse. Bergensis crus laborans, aliquot diebus substitit, Montignius verò, quia periculum in mora, progressus, Idibus Junii in Hispanias prior appulit. Margaritha autem statim, antequam se Legati itineri darent, datis literis, Regem de omnibus rebus quæ in Concilium venissent, quæque acta essent, certiorem facit: Tum etiam de adventu Legatorum, & quemadmodum Aurantius, Hornanus & socii, de Regis erga se indignatione persuasi, aula provinciaque excedere velle viderentur, facit mentionem. Itaque Rex, occasione sumpta, de Comitis Megensis nuper ad se de conventu nobilium & Lutheranorum machinationibus perscripto Bruxellis judicio, has ultimas Margari-

Montignij secunda Legatio, cum Bergensi in Hispaniam.

thæ

thæ literas dissimulans (qui tamen Legatorum adventum expectaret) Madricio rescribit, se quidem jam diu profectionem in Belgiam constituisse, sed gravissimis de causis, & in primis bello Turcico, hactenus præpeditum substitisse, nunc verò eo confecto bello, se propediem iter ingressurum, omniaque coram cogniturum, & benè clementerque moderaturum, inprimis verò, ut sancta Catholica Christianæ religionis fides, qua in fide ipse vivere & mori constituisset, sarcta tecta conservetur, neque tamen propterea vel sanguinem fundendum, vel etiam indicendum esse universorum ordinum Concilium, quin se etiam assentiri, ut qui vel temeritate, vel instigatione aliorum, de fide aberraverint, atque ad sanam mentem redierint, iis ut ignoscatur. Neque esse sui instituti, ut nova Inquisitionis vel edictorum formula proponatur, sed antiqua parentis, Cæsaris jussa, suaque decreta, quæ hactenus essent observata, deinceps rata velle. Quemadmodum autem Cæsar parens, ejusque majores, suos hostes, etiam longè potentissimos, non sint veriti, sed ope consilioque suorum procerum, iis restiterint imperterriti: ita se quoque neminem metuere, & suis istis in Belgia clientibus, tanquam fidelibus administris, qui jam pridem tot argumenta, suæ erga

Legati audiuntur à rege, ad Sylvam Segoviam.

ipsum fidei, ac spectatæ virtutis ediderint, totum confidere. His etiam Rex seorsim ad Margaritham literas secretas adjungit, quibus ostendit, se cum molestia quidem audivisse, quod Aurantius & Hornanus ipsius erga se gratiæ & benevolentiæ diffidere dicerentur, adeo tamen nullam inde concepisse indignationem, ut eos potius inter fidelissimos clientes etiam nunc haberet, quorum studio virtuteque niteretur, id si ita necessum videatur, illis ut indicet, multa suæ cum benevolentiæ significatione mandat. Legati ad sylvam Segoviam, ubi Rex magnificum & sane Regale monachorum Hijeronimi fratrum Cœnobium, Divo Laurentio dicatum, sumptuosissimo exquisitissimoque atque ad posteritatem commemorabili opere exædificat, in Hispaniis Regem inveniunt, & in aulam admissi mandata exponunt, ejus fere argumenti. Quandoquidem eo jam res in Belgia rediit, ut rigor ille de religionis inquisitione, atq; edictorum, sine maximis Reipub. motibus observari non possit, post multam variamque actionem, Margaritham tandem, Conciliumque ad id remedium descendisse: Videri Consultum ac necessarium, ut ad procerum nobiliumque postulata, de inquisitione Hispanica, edictisque vel abrogandis, vel saltem suspendendis, prudens

ad

ad tempus adhibeatur moderatio, ad arbitrium Regis, quoad ei visum fuerit. Magnam præterea apud plerosq; proceres, & primores ordinum hærere animorum diffidentiam, existimantium, se apud Regem graviter delatos esse, propterea, quod, cum mitigationem Regiorum edictorum, in negotio religionis postularent, rerum novarum studio teneri, & seditionem spectare, viderentur. Jam verò non solum primores ac nobilitatem, verùm etiam populum ipsum, universalem ordinum conventum expetere, de quo nuper Egmondanus sua in Legatione coràm, & Margaritha princeps deinceps per literas diligenter egissent. Orant itaque, ut præsentem statum Reipub. prudenter consideret, conventum generalem ordinum omnium provinciarum decernat, & ex religionis temperatione, (quam Flandriæ, Hannoniæ & Arthesiæ ordines etiam suis suffragiis probavissent, quamvis Antuerpienses eam tanquam Cardinalitiæ factionis inventum non admisissent:) futuræ tranquillitatis spem, subditis faciat, opinionemq; proceribus depersuasa ejus erga ipsos malevolentia, quoquo modo eximat, ut omnes intelligant ei salutem & quietem publicam summæ curæ esse. Hæc cum essent Regi copiosè proposita isque cum suis deliberaret, ecce, de

gravioribus motibus Belgicis, rumor in aula increbuit, quibus hæreticorum doctrina per Belgiam publicè doceri, divorum imagines ac statuæ violatæ, ædes sacræ à Geusiis spoliatæ & eversæ dicebantur, quem rumorem certi postea nuncii confirmaverunt. Itaq; Rex attonitus, intentiori cura cum suis omnia consultavit, Legati auditi jubentur in aula manere, cumque propemodum annum de die in diem vario prætextu retenti essent, tandem Bergensis morbo correptus interiit, Montignius verò Mottam Medina captivus ductus, ibidem judicis sententia damnatur, & ultimo supplicio cum alijs afficitur, ut Richardus Dinotus Neteranus & Aistingerus & alii, scribunt, quam contumeliam Comes Hornanus, Montignii frater ægerrimè tulisse, & de ea palàm conquestus esse dicitur, ut infra suo loco dicetur. Utriusque bona à Rege proscribuntur, vel ut vocant confiscantur, non profuit illis Catholica Romana, quam sequebantur religio, non intercessio Clarissimorum amicorum, non sponsæ regiæ, filiæq; Cæsareæ, quam se apud regem facturam ipsa spoponderat deprecatio: deniq; non pro fuit quod uxor Bergensis, audita morte mariti si quid forte à suis peccatũ esset, sacra pontificia per suam provinciam restituerit, quiq; assentiri nollent, exilio

multaverit,

mulctaverit. Varii etiam atq; infausti rumores de horum Legatorum in Hispaniis interitu, non solùm per Belgiam; verùm etiam apud exteros populos passim odiosè sparsi fuerunt. Belgatum autem motus sic habent. Paulò post abitum Legatorū, gliscente in dies magis reformatæ doctrina, populus in Flandria ejus religionis avidus, inter privatos parietes diutius contineri non potuit, sed, veluti diu compressa flamma, erumpens, domos tectaq; conscendit, itaq; primùm in campos effusi, extra oppida concionatores ministrosq; Ecclesiæ, qui ex Germania, Gallia, aliisq; vicinis provinciis incunctanter confluerent, habere religionemq; reformatam docere, attentè audire Verbum Dei, laudes Deo canere, & Sacramenta Ecclesiæ juxta incorruptam Apostolorum doctrinam administrare. Antuerpienses exemplum secuti, sexto Calendas julias, & ipsi porta magna turba exeunt, mille circiter passibus ab urbe conciones audientes, idem faciunt vicinæ aliæ Arthesiæ, Hannoniæ, Brabantiæ, Hollandiæ, Schelandiæ, Geldriæ, Frisiæ, aliarumq; provinciarum civitates, quæ veluti per diuturna obsidione pressæ, famelicarum instar, sese verbo Dei, tanquam pane cælesti pascere prosatagebant. Ac initio quidem inermes postea verò contra edicta regia armati conveniebant,

Conciones publicæ in campis, per Belgi provincias.

Margaritha vult Bruxellis discedere.

ſui ut ajebant, contra Catholicos pontificios muniendi cauſa. His rebus cognitis, Margaritha princeps, magno in metu fuit, itaq; inops penè conſilii, conſtituit, ſuaſu quorundam, ad montes Hannoniæ, vitandi cauſa periculi, Bruxellis diſcedere, flebiliter querens, ſe jam totum bieñiũ multorum Conſilia & conatus, facilè, quò tenderent, attendiſſe, omniaq́; plena ſeditioſorum tumultuum deprehendiſſe: jamq́; itineri accincta erat, cum Viglius præſes accerſitus, animoſè conſuleret, nequaquam Regiam aulam, ejus fidei demandatam, deſerendam; neque Regium Concilium, tot procerum, in hoc tempore, quanquam formidoloſo, veluti turpi fuga, prodendum eſſe. Quin advocandos proceres, eorumq́; fidem & opem, qua regi obligati ſint, eſſe implorandam, & præcipuas civitates præſidio confirmandas. Quòd ſi aliter fiat, eam & ſui nominis & dignitatis jacturam non parvam facturam, inq́; Regis indignationem graviſſimam incurſuram. His verbis confirmata, Mansfeldicum Comitem accerſit, eiq́; curam urbis aulæque commendat, ſimul agit apud Magiſtratum oppidanum, ne portæ confœderatis aperiantur, & quod paulò antè recuſatum fuerat, impetrat, ut aliquot Cohortes peditum, in præſidium civium Bruxellis recipiantur. Princeps etiam Aurantius ope

conſilioq;

consilioq; Margarithæ, magnam fidem in hoc tempore præstat, monet, ne animum his motibus despondeat; pollicetur, se omnem motuum Lapidem, ut Brabantia quam primum tranquilletur, ut Antuerpia pristinum in statum sine molestia restituatur, quam cæteræ Civitates & provinciæ omnes facile sint secuturæ; Hortatur, ut alij principes præsides, suis in provincijs parem diligentiam ad hibeant. Itaq; Hochstratanus Mechliniam, Egmondanus in Flandriam, Hornanus Tornacum, Norcarmus Valencinam, Megensis in Geldriam, aliique aliò præfecti suas in provincias custodiendas mittuntur. Aurantius Antuerpiam veniens, apud civitatem egit, ut reformatæ doctrinæ conciones, aliquantisper differrentur, promittens, generale omnium ordinum Concilium brevi congregatum iri, in quo certi aliquid de reformata religione, communibus suffragiis decernatur. Illi verò, qui se nunc protestantes appellari volebant, contrà sentiunt, asserentes, ex illiusmodi sacrarum concionum, & veræ religionis exercitii dilatione, majores populi motus fore, siquidem nullus ordinum conventus, cujus nulla jam dum spes appareret, sequeretur: neque verò Verbi Dei doctrinam publicam, tot annis tantoperè expetitam, piè nunc suspendi vel intermitti

Aurantius Antuerpiam venit.

posse. Armatos se quidem ad conciones extra urbem progredi, sed id necessariò facere, propterea, quod adversarii ipsorum vitæ ac fortunis, Variis modis insidientur, dimissa autem Concione, placidè redire domum, & arma in portis deponere, ne quisquam criminari posset, quasi cum telis intra mœnia, motus excitandi causa, esse cupiant. Porrò decimo octavo die Augusti, Antuerpiæ festum anniversarium divæ Mariæ celebratur, quo in festo ingens statua Divæ Virginis lignea, ambitioso habitu, aureaque trabea adornata, tanquam tutelaris Dea, aliquot opificum humeris, per celebrioris Urbis Vicos circumgestatur, comitante longo sacerdotum ordine, & aliquot opificum collegiis, magna cum pompa & strepitu. Circumgestata, tandem reducitur, & in medio templo, unde elata fuerat, reponitur, ut pro more adoretur. Sacrifici autem Verentes, ne illi aliquid in propatulo accideret, cum varia populi dicteria, in pompa jactari audivissent, in sacellum, loco editiori solito recondunt, ita tamen ut per cancellos videri posset. Postridie Aurantius Antuerpia Bruxellas rediit, & sequenti die, qui fuit dies vigesimus Augusti, multi cives Antuerpià se eodem conferunt, quos inter nonnulli Flandri & Galli erant, Margarithæ principi

Iconomachia Antuerpiæ Ao 1566

cipi ſupplicatum, pro impetrando in Urbe templo, Concionibus ſacris reformatæ religionis audiendis. Accidit autem illo die, ut quædam muliercula, eo in templo ante ſacellum ſedens, in uſum ſacrorum cereos venderet, obambulante, ut fit, nautarum turba; cum ex iſtis quidam ad illam, tu, inquit, mulier, apageſis cum tuis iſtis mercibus, nemo enim illas deinceps eſt empturus; Acceſſerunt pueri idem ingerentes, & acclamentes ſtatuæ, Mariola, inquiunt, ſatis tibi hactenus honoris eſt exhibitum, accenſique cerei, quæ tamen non niſi lignum & lapis es, brevi autem de tua ſede deturbabere, & juxta ſacram doctrinam periclitâbere. Mulier offenſa, pulverem de pavimento oculis puerorum aſpergit, & oborta rixa, conſurgens, vicino ſacrificio rem indicat, ille Marchioni, qui iſtius Urbis major eſt magiſtratus; Is ſtatim cum altero urbis conſule, ſatellitibus ſtipatus, ad templum advolat, ad ſedandum motum, nihil autem reperit, niſi muliebrem adoleſcentulis excitatam rixam; Cumque Marchio pueros excedere templo juberet, illique reſponderent, ſe primum laudes divæ virgini ſacras, ut fieri ſolet, audire cupere, is tamen exactis pueris fores templi claudi mandat; Eo digreſſo pueri aliam templi adverſam januam apertam reperiunt,

quæ rurſum ingreſſi, Pſalmos Germanicos, ea hora, qua canticum Mariæ cani conſueſſent, canere cœperunt, eo clangore, qui extrà erant, moti accurrunt, novum enim erat & inuſitatum, Germanicos in templo Pſalmos audiri. Sed jam & adultiores accurrentes concinunt, & per plateas inceſſerat rumor; de motu in urbe excitato: Et tabernis, domibusq; clauſis pro ſe quisq; ex publico domum confugerat, cum ſtatuarum pugna in templo cœpit. Itaq; Marchio cum ſuis rurſum id ædem ſacram recurrit, ibi cum magnam ſtragem divorum vidiſſet, & in tanto motu & ſtrepitu, ullam ſe opem illis ferre poſſe diffideret, tacitus diſcedit. Vitandi tamen majoris motus cauſa, miniſtrum Eccleſiæ ad debellatores iſtos mittit, rogatum, ut deſiſterent, & templo abſtinerent, id verò fruſtra fuit. Quidam etiam de Geuſiis eandem ædem ingreſſus, Suggeſtum conſcendit, poſtulatoque novi teſtamenti codice, paſtorem ad diſputationem provocat, id conſpicatus nauta, pontificiæ religionis, vi alterum de ſuggeſtu deturbat, nautæ ſtatim brachio à Geuſiis ſclopetto trajecto, & undique clamore ſublato, novus tumultus excitatur. Eadem veſpera à magiſtratu omnes cives eam noctem cum armis, ſuas ante domos vigilare ſunt juſſi, ardentibus præ fo-

ribus

ribus lucernis, itaque tota lucente civitate, non ſolum in primaria divæ virginis æde, in qua Septuaginta altaria, plena ſtatuis, imaginibusq; fuerunt; verùm etiam per omnia templa divorum & monachorum collegia: hæc clades totum triduum graſſata eſt; quibusdam monachis ex tetris cœnobiorum carceribus extractis, quorum alii duodecim annos alii plus minus, propter veræ Doctrinæ confeſſionem, detenti fuerant. Res erat mira, quod tota civitate excubante, pauci de plebe pueri adoleſcentuli, permixti nautis, hujus Tragœdiæ authores, totas noctes, ardentibus facibus per urdem, templaq; liberè inermes vagarentur, clamantes, vivat Geuſius. Neq; enim Antuerpiæ, Gandavi, & aliis celebribus urbibus, ultra trecentos de infima plebe fuerunt, qui has machinas, concurſationesq; fecerunt. Quòd autem quidam ſcribunt, iſtos Iconomachos à proteſtantium partibus ad iſtud facinus pretio conductos fuiſſe, affirmare non poſſum; quin alii contrà ſcribunt, Catholicos magnis promiſſis, conductas operas plebejas eò impuliſſe, quò plauſibilem apud regem, Belgas impietatis & rebellionis accuſandi eosque opprimendi cauſam haberent, quod etiam ego in medio relinquo. Certè & ſi multis in locis Catholici, exquiſitis quæſtionum

 tormentis

tormentis, in authores horum motuum apud captivos Iconomachos diligenter inquirerent, tamen auditum non est de primoribus populi, vel nobilium, vel virorum principũ protestantium, vel etiam de Magistratibus, vel concionatoribus quenquam culpatum, ut magis fatali quodam impetu, quàm instituto proposito, uno ferè tempore, perplerasque provincias, illiusmodi homines, statuas deturbasse videantur. Porrò nocturnis temporibus Antuerpiæ Canonicorum ædibus hartulæ affixæ leguntur, cum hac notatione, jugulentur sacrifici, Canonici & Monachi, item aliæ interdiu in vulgus sparguntur, ista verba continentes: permittitur suæ fidei libera professio reformatæ Ecclesiæ hominibus, modò se Regi fideles & obedientes subditos præstent, nullos tumultus excitent, & Magistratuum jussa sequantur. Putabantur posteriores hartæ ab Urbis Magistratu prudenter esse subornatæ, quò fervidis ingeniis, qui rem ad vim deduci peroptabant, tumultuandi ansa præcideretur. Dum hæc ita geruntur, quidam protestantium Concionator, voluntate senatus, eodem in templo Antuerpiæ suggestum conscendit, gravem ad populum concionem habens, inter alia monet, ne gravioris tumultus aut seditionis causam darent, neminem læderent,

modestè

modestè viverent, & omnia fideliter ad Magistratum deferrent, gravi denunciata pœna. Itaque moti plerique, refregerant & repererant, sacra signa, vel aurea vel argentea vasa, fideliter senatui tradunt, additis suis nominibus & habitationum locis. Cum tamen Ecclesiæ ministri, qui jam plures erant vocati, propter hos motus a quibusdam in odium atque suspicionem vocarentur, Senatum adeunt, & proponunt, se coram Deo & hominibus sanctè testari, se statuariæ istius pugnæ atque tumultus minimè esse conscios, multò minus reos vel authores videri posse, imò verò si quid importunè, vel injuriosè vel seditiosè factum sit, si quæ sint secuta furta, rapinæ, sacrilegia, ea se crimina graviter pro suo munere, privatim & publicè reprehendisse, neque existimare, ullum suæ doctrinæ Ecclesiæque socium, his esse criminibus obnoxium. Fateri, ipsos à Deo sibi in Magistratum datos, quibus parére teneantur, non solum propter pœnam vitandam, verùm etiam propter bonæ conscientiæ Custodiam, neque dubitare, quin omnes sui idem libenter sint facturi, onera & vectigalia publica, quæcunq; ipsis fuerint imperata, libenter præstituros, eos autem, qui ejusmodi Magistratus decretis resistant, Dei mandatis ordinique resi-

Ministrorum Ecclesiæ Antuerpiæ excusatio.

ſtere. Paratos etiam ſe, ſuosque, Magiſtratui, fidei Sacramentum dare, omninoque obedire, prout ſacrum Verbum Dei, & ſalus publica poſtulaverit. Rogare autem Vehementer, ut templum publicum ſibi in urbe concedatur, neque ægrè feratur, quod hactenus, aliquot conciones, cum id populi voluntate rogatuque feciſſent, in publico habuiſſent, nullius autē mentem vel conſcientiam ſe ligaturos, neminē etiam ad ſuum ſenſum, religionemque adacturos, gratias agentes ſummo Deo, clementiſſimo patri, quod ad publicum Chriſtianæ religionis exercitium, legitimis mediis perveniſſent. Senatus re deliberata, illis duo templa, quæ divi Michaëlis & divi Jacobi nuncupantur, interdictis reliquis, tandem concedit, quorum alterum Germanica, alterum Gallica Eccleſia obtineret. Septimo Calend. Septembris, Auntinntius concionatoribus per duos è nobilitate internuncios Bruxellis miſſos, edici jubet, ut relictis omnibus templis, in Vico Urbis, quam Neapolim vocant, tantùm conciones haberent; excubiis, earumque magiſtro, quodam Senatore, in eum locum deſtinatis, quò tutò populus convenire & religionem celebrare poſſet. Quia verò populus ea in templa, quæ modò in urbe memoravimus, jam frequens convenerat, permiſſa

Senatus Antuerpienſis duo templa reformatis in urbe concedunt.

permiſſa quidem tunc eſt ibi concio, ſed ita, ut deinceps ſacri conventus ad deſtinatum locum haberentur. Redit ipſe Aurantius properè Antuerpiam Margarithæ juſſu ad hos motus ſedandos, qui motus Margaritham magis ſolicitam, & civitatem dies noctésque in armis continuam fecerant; is cum delectis, quaternis ex omni multitudine, idoneis arbitris, ab utraque Germanica & Gallica Eccleſia, rationem ineundam eſſe ſtatuit, quemadmodum compoſita civitate, utrinque abſque periculo, religio celebrari poſſet. Itaque inter eos re aliquandiu diſceptata, in hæc tandem capita convenit, ut Catholica pontificia religio, in ſuo ſtatu, ſuis in ſedibus ſarcta tecta maneat, neque ullo modo à proteſtantibus præpediatur, ut proteſtantibus ſuam religionem liberè exercere liceat, non in templis Catholicæ religioni ſacris, ſed in Neapoli jam antè deſtinata, tribus in locis, binis in ſeptimana diebus, die Solis & Veneris: Sint Eccleſiæ miniſtri tres, duo Germani, unus Gallus, quibus miniſtri vel ægris Corpore vel morte ereptis, alii tres ſubſtituantur. Ut miniſtri ſint omnes vel indigenæ Belgæ, Regisq́; nati ſubditi, vel ſaltē cives jurati alicujus Belgicæ Civitatis: Ut proteſtantes ſuos ſacros conventus habeāt, absq; Sclopettis & haſtis, omniq; graviori armatura,

ſed

ſed in hoc tempore, gladiis & pugionibus, illis accinctis ſui defendendi cauſa eſſe liceat: Ut ſalva ipſorum religione, tàm miniſtri quàm populus ad plenam obedientiam Magiſtratui teneantur, in omnibus Reipub. muniis ac oneribus neceſſariis: Ut ſine convitiis & maledictis, absq; ſannis atq; dicteriis, in adverſam partem ſacram doctrinam & bonos mores, piè & tranquillè populum doceant: Idem pontificii faciant. Et ſicubi vis ingruat, vel neceſſitas poſtulet, Communi ope Rempub. utrique defendant. Miniſtros et Seniores Eccleſiæ, reliquosque diaconos, qui in Conſiſtoriis Cenſuræ morum, & pauperum curæ præſint, absque conſenſu Magiſtratus, ejusve qui ejus loco ſit, non creandos; neque Conſiſtoria conventusque niſi eo præſente agendos. Neutri, Magiſtratui in adminiſtratione juſtitiæ, in plectendis noxiis, impedimentum afferant, neque ſe Magiſtratus officio miſceant. In compitis & Triviis cantilenas ne canant, Magiſtratus utriusque Religionis ſocios, omnesque alios, qui tranquillè & modeſtè in Repub. vivunt, æquo jure contra vim atque injuriam defendat ac protegat. Sontes verò quicunque ſint, ſecundùm leges patrias puniat. Hoc ſtatutum valeat, ratumque ſit, quoad aliud ſtatuatur. Idque Aurantii tanquam præfecti

Regii,

Regii, & Reipub. Antuerpiensis nomine, solenniter publicatur, Capitis & fortunarum denunciata poena; adversus violatores, & pacis publicæ perturbatores. Additumque præterea est, voluntate jussuque Regis, religionis Inquisitionem planè abrogari, utque ab ea deinceps urbs Antuerpia & Belgarum populi, boni publici causa immunes sint atque liberi, palàm edicitur. Quo edicto, quæ hactenus de observanda religione Romana, de puniendis hæreticis, diversis temporibus promulgata sunt interdicta, etiam palàm antiquantur, tantisper, quoad Rex universali omnium ordinum Consensu, de religionis negotio aliud decreverit. Conscribuntur tria signa peditum ad præsidium urbis. Adduntur Leges militares, quibus in primis Philippo Regi, ut Duci Brabantiæ, Aurantio ut Burgravio Antuerpiæ, Senatuique, ii qui in militiam ascribuntur, Sacramentum dicunt: Rempub. omnes salvam velle: Ut singulis momentis signo dato, quocunq; loco cum armis in procinctu sint, Centurionibus & Tribunis, præfectisque suis, in omnibus dicto sint audientes: Ut diligenter ipsi vigilias obeant, neque alium nisi ægri, cum consensu Tribuni sibi substituant, quibus in vigiliis ne sint poti, ne canant, ne dormiant, ne vel clamoribus vel Sclo-

Inquisitio Antuerpiæ plane abrogatur.

Leges Militares Antuerpiæ.

pettorum

pettorum ſonitu, ſtrepitū concitent. In delectibus agendis, nemo aliud nomē ſibi ſumat, quàm quo ſacro Baptiſmati ſit initiatus, neque aliis quàm ſuis armis utatur: nemo locum ſuum deſerat, neque ab uno centurione ad alium absque commeatu tranſeat, clandeſtináve conventicula habeat, neminem ex oppidanis cujuscunq; ſexus & religionis, dicto factóve, lædant: ne tumultum rixamve moveant, claſſicumve abque Magiſtratus conſenſu canant; controverſias autem ſuas præfectis ſenatuique deferant, eorumque judicio ſe ſubjiciant, civitatis Antuerpiæ jura ac privilegia ne lædant, ſed pro virili tueantur. Quòd ſi quid cognoverint, quod è Repub. eſſe videatur, id fideliter Magiſtratui indicent. Poſtremò ne ſacros conventus utriusque religionis atq; exercitia publica impediant, ſed concordiam atq; quietem utrinq; teneant. Hæc ab Aurantio adminiſtrantur Antuerpiæ, ſub finem Auguſti, initiumque Septemb: Eisdem diebus exiit pictura, qua in pictura viſebatur Regis de Inquiſitione edictum, incurvato ligno appenſum, id edictum proteſtantes funibus cum detrahere nituntur, pontifex & monachi contrà ſumma vi laborant, ut retineant, lignumque erigant, Proteſtantes vociferantur, ſe mandatum Inquiſitionis abrumpere & abolere, pontifex

reclamat,

reclamat, ſe vi & Conſilio reſtiturum, atque inquiſitionem edictaque Regia; iis invitis retenturum; quæ pictura gravioris poſtea ſecuti Certaminis & varii eventus præſagium fuit. Intellexerant proteſtantes, ſe acerbè de magnis criminibus denuo incuſatos; quaſi non ſolùm demolitionis ſtatuarum authores fuiſſent, verùm etiam conſpiraſſent de occupanda Curia, ejiciendis pontificiis Antuerpia, eorumque invadendis bonis; itaque ſeſe libello ſupplici apud Magiſtratum graviter purgaverunt; quin & nova ſibi in urbe exædificari templa ad ſacrā doctrinam; tum etiam peculiarem locum ſepeliendis ſuis mortuis (cœmiterium vocant) quoniam cum pontificiis de eo conveniri non poſſet, petiverunt. Eo impetrato; tanta populi alacritas, in ædificandis templis, ea liberalitas in contribuendis impenſis; is ardor & ſtudium fuit; ut vix ædium jacta fundamenta crederentur; cum jam planè perfectum opus; abſolutumque viſeretur. Etenim videre erat, non ſolùm operas ac cæmentarios, ſtrenuè operi incumbere, noctes diesque laborare, verùm etiam mercatores ac nobiles, tum equeſtris dignitatis viros & fœminas, pecunias Argentea & aurea vaſa, torques, annulosque aureos, & quicquid monilium & rerum pretioſarum, ad manum erat; veluti

certatim pro se quemq;conferre. Atque hanc templorum exstructionem reformatis propterea concessam putaverunt, ut à cogitatione armorum, eorum animi vocarentur, & Consilia belli abjicerent, in aliis etiam Belgicis, quibusdam oppidis, reformati nova templa petiverunt, sed extra mœnia tantum impetraverunt, Interea apud S. Trudonem, Durflei in pago Antuerpiæ vicino, & Bruxellis, nobilium fœderatorum conventus sunt habiti, quo Egmondanus & Areschotus, â Margaritha legati mittebantur, motus si qui essent, componendi càusa: hi conventus eò reciderunt, ut ad postulata inter alia fœderati responderent, quod ad inquisitionem attinet, non esse servatam fidem, gratias quidem agere propter missos Legatos in Hispanias, sed longam moram Regii responsi interponi, interim se ExtraOrdinarium Ordinum conventum flagitare, neminem quidem ad conciones habendas incitasse, verumtamen non negare, quosdam si bi fœdere junctos, ejusdem cum protestantibus esse religionis, ut sacras conciones omninò non possint improbare, quin potius & si conati sint, conciones præpedire, tamen propter minas sibi à plebe intentatas, remorari non potuisse, Margarithæ itaque officii esse, ut inde ortis turbis moderetur, De

Regis

Regis quoque erga ſe benevolentia, minimè dubitare, ejusque adventum maximè exoptare, neq; enim ſe rerum malè geſtarum ſibi eſſe conſcios. Quod verò cognoviſſent, Margaritham ipſis non ſatis fidere, ſe etiam quaſi perduelles inſimulari, coactos fuiſſe, fœdus ſui defendendi cauſa facere, rogare autem, ut Gubernatrix, cum aurei velleris equitibus, ipſis ſecuritatem ſpondeat, & deinceps viciſſim omnem fœderatorum obedientiam expectet. Hæc certè rerum mutatio planè Margarithæ præter opinionem accidit, ea enim tumultuaria dejectio ſtatuarum ab infima plebe, injuſſu Magiſtratus, diverſis in locis facta, occaſionem dedit, publicas reformatæ doctrinæ conciones permittendi. Nihil enim minus pontificii cogitarunt, ſed cum improviſum impetum populi, inſtar torrentis deprehenderent, majoremque metuerent, qui exterorum regnorum veluti conſenſu niti, & multorum in provincia procerum ac nobilium ſtudio & favore, tacitè adjuvari videretur, & Rex Philippus ejusque Subſidia procul eſſent, tandem ex Conſilio Aurantii primorumque procerum Margaritha fecit id, quod in tali caſu facere neceſſum fuit, ut ſuam authoritatem inquiſitioni ſaltem ſuſpendendæ, & proteſtantium religioni publice celebrandæ apponeret. Itaq;

Transactio inter Margaritham & fæderatos.

tandem vigesimo tertio Augusti, anno M. D. LXVI, transactio à Margaritha his ferè conditionibus cum nobilibus fœderatis facta fuit, ut deinceps Regi fidem & obsequium præstent; ad turbas & tumultus compescendos omnem industriam atque operam adhibeant; Iconomachos pro viribus coerceant, ac provideant, ne qua injuria clero, Magistratui & nobilibus pontificiis inferatur, & plebs statim arma ponat; ut inquisitio intermittatur tantisper, donec Rex de Religione aliter statuerit, ut reformatæ religionis conciones quidem publicè permittantur, iis in locis, in quibus jam antè habitæ & receptæ sint, sine armis; ubi autem non habitæ, non habeantur, neque ullæ novationes recipiantur, ut communibus viribus unà cum reliquis Regis subditis, tàm rebellibus, quàm externis patriæ hostibus fortiter resistant, ut novæ religionis homines ad paritionem regiorum mandatorum, quæcunq; Regis & generali omnium ordinum Concilio decernantur, Fœderati inducant & persuadeant. Priorum motuum, supplicationum & fœderum actiones Nobilibus ne sint fraudi, Margaritha, princeps Regia potestate & authoritate, quam Rex suis ad ipsam literis dedisset, plenam securitatem & impunitatem Nobilibus præstet. Fœderati

nobiles,

nobiles, tàm pro suis, quàm pro se, ea fide & obsequio, quo Regi devincti sunt, atque obligati, conditiones omnes observent, & pro virili tueantur. His aliisque rebus eò pertinentibus Bruxellis transactis, biduo pòst Tabulæ ultrò citroque confectæ & publicatæ sunt, minoribusque magistratibus, à Margaritha executioni mandatæ. Itaque statim nobiles fœderati arma deponunt, & suos populares arma deponere, & pacem colere jubent. Margaritha etiam in suam quamque provinciam, principes Gubernatores misit, ad icononomachos compescendos, quorum tamen impetus tàm citò compesci non potuit. Proinde cum post publicatam pacem, tamen quidam malè feriati homines, nulla nec pastorum, neque interdictorum habita ratione, in statuas, Bibliothecas ac templa grassantes debacharentur, graviter quidem in eos à Margaritha principe, consensu procerum & fœderatorum, vindicatum est, cum alii in furcam suspensi, alii flagris cæsi ac proscripti sunt, quidam etiam Concionator ad Marchæ-nas, ubi Benedictorum Cænobium est, inter seditiosos inventus, ad suspendium tractus est. Atque ita quidem tunc pax & tranquillitas provinciæ est recuperata. Quo

Tranquillitas Provinciæ ad tempus restituta.

Quo tempore hæc Antuerpiæ fiunt, eadem quoque per plerasque alias civitates Brabantiæ, & provincias Belgicas, Flandriam (quæ regio statuarum & Fanorum motus prima sensit) Hollandiam, Zebelandiam, Geldriam, & paulò pòst per TransySelaniam & Frisiam, ut paulò supra diximus, acciderunt. Passim enim quasi signo dato, plebs ad pugnam statuarum excurrebant, & publicas conciones repurgatæ doctrinæ, intra extraque oppida flagitabant. Erat sanè in omnium fere animis, ea de statuarum falso cultu, sparsa & inveterata opinio, ut nisi pueri impetuosè pugnam movissent, statuæ vel per se divinitus casuræ fuisse videantur, quò suæ Deo laudes, quibus hactenus ligna & lapides, inani clangorè circumstrepebant, tandem ab hominibus ipsis, ut vivis Dei templis atque imaginibus, intelligente voce & spiritualibus Psalmis redderentur. Et scitè quidam ex reformatis, hoc versu, literis interjectis majusculis, ejus pugnæ annum denotavit: 1566.

Con CIo saCra FLVIt, tVMIdI CeCIdere deastrI. Catholici contrà suam fortunam, Ecclesiæque suæ cladem ad exemplum Iudæ Maccabæi, in vastatione templi Hierosolymitani, ab Antiocho facta, deplorantes, eundem anni numerum ex sequentibus capitalibus literis eliciunt.

SanCta

SanCta EVa ConCuLCata sunt; & ContaMInata. Etenim non solum multa passim templa & monasteria vastata & spoliata, verùm etiam planè diruta & eversa scribuntur; monachis & sacerdotibus immaniter vexatis ac trucidatis, dispersis ac laceratis Bibliothecis præstantissimis, mortuorum epitaphiis ac monumentis, signis atque tabulis admirandi operis, ac immensi pretii, fœdè violatis atque confractis. Alibi tamen aliter res actæ sunt, etenim Brugenses: Lovanienses, Alostani, Tenerumundi, Curtacenses, Dunckerkani, & quædam alia oppida, reverentia pontificiæ religionis, sese iconomachis fortiter opposuerunt, & Leowardienses in occidua Frisia, similes tumultus veriti, certo judicio processerunt, ut cum urgeret populus, authoritate publica, è templo statuas composite removerent, & supellectilem sacram auream & argenteam, ad usus publicos asservatam, mature colligerent. Groningæ etiam ii, qui reformatæ doctrinæ addicti erant, primum in pago suburbano, Helpmanno, conciones sacras habuerunt, postea crescente turba, in urbe, Franciscanorum Monachorum templum à Senatù de statu religionis in Brabantia edicto, supplices impetraverunt, ex quo templo etiam statuæ consentiente Magistratu, per operas publice con-

ductas, sunt remotæ, reliquis omnibus templis integrè Catholicis reservatis. Sub hoc tempus scriptum denuò prodiit Lingua vernacula Belgica, inquisitionem Hispanicam multis verbis impugnans, enumeratis incommodis & calamitatibus, ex eius introductione eventuris: quin etiam ex sacris & prophanis historiis aperitur, duas diversæ religionis formas in una provincia, si quidem certis suis limitibus legibusque constringantur, tranquillè coli & observari posse, quod tamen alii viri docti statuunt, fieri non posse, utrinq rationibus atque exemplis instructi. Sed in istius rei dissertatione non parvum momentum in rerum, temporum & locorum circumstantiis, videtur esse positum, de quo suo loco dicetur. Hortantur subditi regem ad religionis pacem, anno 1555, à Carolo Ferdinandoq; Cæsaribus, inter sacros Romani Imperii Ordines, utilissimo sanè gravissimoque Consilio ad perpetuam Salutem & tranquillitatem Germaniæ publicatam, etiam in Belgiam recipiendam. Commendatur prudentia Mariæ reginæ, olim Belgiæ Gubernatricis, quæ fratri Cæsari Carolo autor inquisitionis, per Belgas moderandæ vel potius abrogandæ fuerit monent, ut Rex pravis consiliariis, & malè sanis hominibus, qui non tàm Re-

gis dignitatem, & vel patriæ incolumitatem, quàm sua spectent commoda, sibi caveat: Demùm sub patriæ loquentis persona, ad hunc ferè modum Regem alloquuntur: Rex serenissime, multos nunc annos majoribus tuis Ducibus Burgundiæ fidelem operam terra mariq; navavi, totis viribus ad tuam dignitatem tuendam incubui, tuæ potestati ac voluntati me totam tradidi, & tu me vicissim in tuam fidem tutelamque solenniter recepisti; rem verò tanquam ex stipulato debitam non peto, neque facultatum mearum, quas pro tuis commodis dignitateque summis periculis impendi, compensationem postulo, hæc, inquam, non postulo, cedam juri meo, cedam Majestati tuæ, ne ista tàm exprobantis, quam querulantis esse videantur: Tantùm postulo, ne meis tuisque ornamentis spolier ne peregrini immeritò expellantur; variarum gentiũ commercia, in quibus ego vitam & spiritũ duco, tollantur; ne fideles tui subditi, quos in sinu meo complexuq; alui, opprimantur, & tandẽ me cogantur deserere: advigiles advigiles Rex, fortunis & commoditatibus tuis, quæ subditorum tuorum quiete & felicitate, ad te regnumq; tuũ redundant, quibus semper secundis adversisque rebus, tu, majoresq; tui præter cæteros Europæ Reges floruerunt. Quod si feceris, & has meas preces non invitus admiseris, me

me deinceps ad perpetuum tui obſequium pro officii mei ratione excitatam, fideliſſimè devinctam habebis. Et ſi autem populus Belgicus, de impetrata religionis libertate, magnoperè gaviſus, ſummas gratias Deo ageret, quod ſolutis inquiſitionis, Epiſcoporum, Conciliique Tridentini vinculis, libera conſcientia veram de Deo doctrinam, juxta ſacrarum literarum oracula, inoffenſe palam audire, & profiteri liceret; tamen illud gaudium, non fuit juge gaudium: Nam & Margaritha paulò pòſt literis regiis de ipſius indignatione edocta, nihil ad ſummam diligentiam reliqui fecit, ut clementem Regis animum quoquo modo ſibi retineret, & ut nobiles fœderatos, qui catholicæ religionis eſſent, ab aliis reformatis abſtractos, ut cunque ſibi placatos haberet. Et rex ipſe blandis ſuis literis ad diverſos principes præſides & proceres, ſumma cum benevolentiæ ſignificatione datis, non nullorum animos flexit, fœderatorumq; nobilium conſpirationem ita labefactavit, ut multis clam titubantibus, aliis palàm deficientibus, fœderatorum numerus facile tertia ex parte decreviſſe videretur, quæ diſtractio magna poſtea cauſa fuit ſecutæ cladis, ut ſuo loco dicetur. Rumore literis regiis, & multorum relatione, de adventu atque offenſione regis, de detentis

in

in Hiſpaniis Bergenſi & Montignio Legatis, increbeſcente, principes & proceres, quinto Nonas Octob. Teremondæ oppido Brabantiæ, de ſuis patriæque rebus deliberatum conveniunt. Aderant Guilelmus princeps Aurantius, Egmondanus, Hornanus, Hochſtratanus & Ludovicus Naſſovius, Comites. Præter literas Montignii, quibus ipſe ſuarum rerum in Hiſpania ſtatum aulæque indignationem, de motibus Belgicis ſignificârat. Legebantur etiam Franciſci Alani, Philippi regis apud Galliarum regem Legati, ad Margaritham ſcriptæ literæ, continentes, Aurantium, Egmondanum & Hornanum, Belgicarum turbarum authores eſſe, in quos Rex ſuo tempore graviſſimè ſit animadverſurus, interim illos amicitia fucata & humanitate demulcendos, quaſi Rex ipſis Rempublicam tutò committeret, & ſubditorum ſuorum obedientiam & tranquillitatem ſedatis motibus, ſolis acceptam ferret. Sed enim Regem in purpuratorum conſeſſu Madricii queſtum eſſe, eos motus, non ſolum ad ſuæ Majeſtatis authoritatisq; Contemptum, verùm etiam ad divini numinis contumeliam, magnoperè redundare, ut mallet reliqua ſua regna omnia atque provincias periclitari quàm factum impunitum relinquere, dejerando, ſe ipſum in Belgia, cum filio Carolo, &

Principū Conventus Teremondæ Ao 1566. quinto Nonas Octob.

conjuge Regina brevi, affuturum, & in societatem fœderis, pontifice & Cæsare appellatis, in rebelles istos & præfractos authores, exemplum justitiæ, omnibus Christiani nominis hominibus staturum, quemadmodum etiam ad Margaritham ipse scripserat. Addiderat Franciscus, Regem hac Occasione, quam ipse & majores pridem optaverant, Belgarum imperium ad plenum obsequium esse reducturum, & absolutam tandem dominationem indubiè consecuturum. Itaque perculsi proceres, in diversas sententias eunt. Nam alii tàm severè de Rege non sentiebant, alii consulebant, optimum factu esse, in tempore ex Belgia excedere: Nonnulli verò respondebant, rem Belgicam concordibus animis, non fore difficilem, neque media ad communem salutem, consentientibus studiis esse defutura. Egmondano autem mitius de Rege sentiente, & palàm asserente, se neque in exteris terris, cum liberis, quos haberet plures, cum dignitate vivere, neq; Regis gratia, ex qua penderet totus, omninò carere; plerique re dubia discedunt, sperantes tamen eum ad suum tandem sensum colendæ concordiæ & defendendæ patriæ perductum iri. Cum autem postea Calendis Aprilis anni sequentis, Auraniius cum Egmondano, Willebroci & Hellegati

agens,

agens proposito periculo Hispanicæ crudelitatis, disertum responsũ postularet, man sit ille in sententia, respondens, se bona in in spe esse, concionibus reformatorum abrogatis, & punitis Iconomachis, Regem quieturum, neque gravius in provinciam esse animadversurum. Hortari autem Aurantium, ut relictis protestantibus, ad Regem Catholicosq; secum rediret, nihil dubitans, quin Rex eum resipiscentem, cumulatam in gratiam, dignitatemq; sit re positurus. Ad quem Aurantius: Equidem Egmondane Comes, jam pridem Hispanorum artes mihi notæ sunt, neque tibi ignotæ, habeas tibi tuisque eam, quam Voles, gratiam, eaque gaudeas, opto autem, ut sit prospera & salutaris. Ego verò, jam animo prospicio, te tui facti paulò post pœniturum, & pontem fore, per quemHispani inBelgiam transibunt, qui tandem pons ipse concidet. Ajunt, Egmondanum persuasum magnificis pollicitationibus, adeò Regis gratia confisum, ut dimoveri instituto non posset, ideoque & Hornanum penè invitum & veluti reluctantem, suas in partes traxisse, cum diceret, parem sibi cum illo fortunam fore, quidem utrique dictum in faustum omen fuit, ut infra memorabitur. Horum duorum principum discordia, distraxit & cæteros

proceres

proceres & nobiles fœderatos. Fœderati autem reformati nihil reliqui faciunt ad summam industriam, ut associatis viribus Hispanos arcerent, & patriæ libertatem defenderent, in primis in Aurantium respicientes, cujus authoritas, cùm propter opinionem singularis prudentiæ, tùm propter multorum inGermania principum amicitiam, affinitatem ac potestatem, summa erat. Ille verò Regis ingentem vim ac potentiam prudenter considerans, quem & per se & instigatione purpuratorum, non solùm religioni reformatæ, verùm etiam Libertati provinciarum offensissimum sciret, tùm etiam propenderet, ardorem religionis principio quidem in populo magnum, tamen pedetentim defervescentem, non satis stabilem, ad periclitandam fortunam fore: moveri non potuit, ut in Belgia remanendum, & regi vi atque armis resistendum esse, judicaret. Præsertim cùm Egmondani Comitis summæ apud nobilitatem, & copias militares, tùm etiam apud sacratos viros, authoritatis, adversa studia, fluxamq; vulgi fidem, quibus omnia rebatur perturbatum iri, non obscurè animadverteret.

Quemad-

QUemadmodum Rex, Belgarum motibus perculſus, cum ſuis de Repub: Conſultârit præter cætera, proximo libro diximus: Etſi autem ſtatuerat Belgiam petere, & ad iter propterea maximè inclinaret, quòd ex Margarithæ literis cognoverat, eam ad Octobrim menſem, propter quorundam procerum conniventiam, periclitanti Reipub: præceſſe vix poſſe; tamen variis ſenatorum ſententiis, in diverſa diſtrahebatur ſtudia: Erat, ut diximus, Belgicis provinciis graviter offenſus; accedebant hi motus Reipub: & fervida Aulicorum Concilia, eorum in primis, qui inveteratis odiis, Belgarum proceres perſequebantur, Hi Regis ægrum animum magis exulcèrabant. Cum autem alii moderatè & clementer, alii graviter & ſeverè agendum eſſe judicarent; qui profecturientem in propoſito confirmabant, & tamen moderationem crudelitati præferebant, conſulebant, unam eſſe in præſentia Regis ſalutem Belgiæ poſitam, ut Rex maturè, ſua quaſi manu, recentibus vulneribus medicinam ipſe afferat: Omnium enim propemodum Belgarum animos non obſcurè

nutare

mutare, cunctamq; civitatem diversis hæresibus fœderibusq; implicatam, planè conquassatam videri: ut periculum sit, ne sese ab Regis imperio obsequioq; abstrahentes, non tam sibi quàm Regi ipsi, magnas difficultates attrahant: Constare cùm ex ultima antiquitatis memoria, tùm gestis nostrorum temporum; quid Regis præsentia apud subditos possit. Dominum enim ministro, hæredem principem, ex terno Duce; Regem præfecto, Imperatorem legato; apud omnes populos, in primis verò apud Belgas suorum principũ amantissimos, esse gratiores; Ubi enim Rex, ibi populus Vbi Majestas regia; ibi obsequiũ: Divinitus enim ita esse comparatum, ut subditi in faciem principis sui intuentes, singulari ergà eum accendantur amore ac studio; multò verò magis viva ejus voce afficiantur, ut ejus dicto libentissimè audientes, veluti manuducti, non solùm imperata non inviti faciant, verùm etiam ultrò ad obsequia promptissimi sint, & parati. Quòd si verò mittatur Dux quispiam, ex omni numero, quos Rex sanè præstantes habet, cum exercitu, an is fœdera procerum, cum inter se, tum cum exteris principibus icta, felicius Rege solvet? an conspirationes nobilium? an motus populi, diversaque civitatum studia prudentiùs reprimet atque sedabit,

Rege?

Rege? atque eo Rege, qui non solùm prudentia ac magnanimitate singulari est præditus, verùm etiam admirabili humanitate atque amore subditos suos vicissim prosequatur? Quin potius verendum, ut proceres Belgæ, quorum alii generis nobilitate atque dignitate; virtute alii; & gloria rei militaris; reliquis regiis Ducibus inferiores non sunt, suorum studiis excitati, externo Duci cum exercitu intranti provinciam; obviam sint processuri; summisque viribus repugnaturi quod quidem Regi ipsi facturi non sint. Pleraque excitanda esse Regi, quæ nunc motibus publicis collapsa, videntur atque prostrata; & severis legibus vindicanda: Exstirpandas hæreses, constituendam religionem, revocandam fidem; instauranda judicia, reformandum Clerum; inquisitionem confirmandam; auctoritatem Regis exequendis edictis stabiliendam; denique æmulationem inter Anthonium Perenottum Episcopum Atrebatensem; Cardinalem, & non nullos primi nominis proceres, principem causam horum motuum, quibus nunc amplissima Provincia, conflictatur, conciliandam. Ea nisi ab ipso Rege componi tranquillarique non posse. Regem autem ab exercitu in omnem euentum ita instructum & paratum fore; ut vel potentissimis adversarijs

terrori, & amicis, fidisque subditis saluti cum dignitate queat esse. Non tamen promiscuè sæviendũ in imperitam multitudinẽ eorum, qui à pravis hominibus perversè edocti sunt, atq; seducti, quibus Rex, tanquam bonus pater, delinquentibus liberis, pro ingenita benignitate sua, clementer sit ignoturus. Nullam enim virtutem magis commendare Regem benignitate & clementia. Hac inquiunt virtute commotæ Respublicæ ad pacem & quietem reducuntur: Hac obedientes populi ac pacatæ civitates, in officio & quiete continentur, præsertim si benignitas, cum severitate, æquabili Legum Harmonia temperatur. Itaque quemadmodum innoxiæ quidem turbæ parcendum, ita tamen in seductores populi, quibus authoribus hæresis introducta, & Respub: commota sit, haud connivendum, sed pro merito animadvertendum esse: Regis parentem Cæsarem superioribus annis, propter levem unius urbis Gandavensis motum, per mediam Galliam, infestissimi nuper hostis regnum, hyberno tempore, gravissimis alioquin bellis distentum, in Belgiam non sine discrimine transijsse, ut in tempore ipse adesse, & principijs obstare posset, quod per legatos præstare non posset. Neque fefellit opinio sapientissimum Cæsarem. Clementi enim

severitate,

ſeveritate, caſtigatis auctoribus, conſervata multitudine, Gandavenſe incendium, quiete saluteque patriæ, feliciter eſt reſtinctum. Iam verò Margaritham Principem, multosque proceres, atq; alios fidos ſubditos, ſua expectatione, nequaquam fruſtrandos eſſe, qui ad frequentes, literas, prævias profecturientis Regis nuncias magna ſpe, deſiderioque teneantur: qua ipſi expectatione, contra Varios adverſariorum impetus ac conatus rebus iſtis dubijs, ac formidoloſis, ſe ſuosq; ſuſtineant. Quamobrem Regi eſſe iter maturandum, neque cunctatione optimam rei bene gerendæ occaſionem amittendam, ut in tempore hoc exortum incendium, priusquam univerſam Rempub: deflagret, extinguatur, celeritatem enim cum in omnibus rebus, tum in bello plurimum poſſe. Quod ſi verò ut quidam ſentiunt, hoc imminente autumno, Rex juſtum & tanto Rege dignum excercitum atque claſſem non facilè poterit comparare, tum etiam propter autumnales, hybernasq; tempeſtates, iter ultra Hyemem pauliſper differendum eſſe videatur; tamen utiq; præter Ver proximum cunctandum non eſſe; interim blandis literis, Margaritham & Proceres appellandos; ut iſtam moram moderaté ferentes, priſtinum Regi obſequium & fidem

constanter deinceps præstent. Et si autem quæstione de itinere mota, quidam exstiment Oceano, Zehelandiam versus, in Belgiam potius navigandum, quam Genuam in Italiam, propter itineris brevitatem, tamen alij judicarunt, hoc iter Genuense, longo illo videri tutius; Ita rogati sententiam in Concilio regio, responderunt Ruigomes de Sylua de quo patrio regulus de Vola Comes Melitanus, Ronneus de figareus, Dux de feria, Fresneda, & Regis confessarius Imo Ruigomes, se ipsum obtulisse scribitur, provincijs Belgicis ea ratione tranquillandis. Si quidem Rex ipse præter spem proficisci gravaretur. Hac audita oratione Rex in Concilio ad sylvam Segoviam Octavo Calendas Decembris indicto in sententia magis con-
Ao. firmatur, Madricium discedit, paulò ante febri
1566 aliquo Septimanis conflictatus, ex qua nunc convaluerat, omnia ad profectionem terra marique primo vere paraturus; Morbo autem implicitus, qui varijs, gravibusque curis initio putabatur, tamen audiendis causis, Habendis consilijs, alijsque Regijs obeundis munijs etiam cum admiratione Consiliariorum, satagebat.

Aliquot vero ante discessum diebus ad Margaritham Principem, Viglium præsidem, alios-

que

que proceres, Humanissimas literas, Hispanicè sua manu ex Segovia exaravit, gratias agens, quod formidolosis istis temporibus, egregiam fidelemque operam, sibi Reiq; Publ: præstitissent, itaque ut pergerent, multa suæ cum benevolentiæ Significatione cohortabatur, Margaritham etiam de suo adventu certiorem fecit, quæ classem curavit, Duce Catthemio, in Regis adventum in Sehelandia adornari. Ad Aurantium etiam Calendis Augusti, in hunc modum scribit. Literas tuas vigesimo Septimo Maij, & decimo quarto Junij, ad me datas benignè accepi. Ex ijs autem literis, quas ego ad Sororem Margaritham nuper dedi, indubiè cognovisti, quod tu de ijs rebus, quarum ipse, in prioribus memini, præter rationem sis Solicitus, Enimvero teipsum falleres, iudicans tibi non plenam adhiberi fidem, & si quid sinistri de te delatum fuerit, tamen ita levis non sum, ut qui plurima tuæ fidei, officijque experimenta habeam, delatori sim crediturus. Quamobrem missa suspicione, certò ijs literis, quas olim hac de re tibi scripsi, tuisq; rebus gestis confidas, neq; cures rumusculos; quos ij spargunt, qui fortassis tuis commodis & meis rebus male velint. Doleo res tuas in eo, quo scribis, statu esse. Quo ad dimissionem, quam

Ao. 1566. 1. Augusti Rex Ahilippus scribit ad Aurantium.

petis: Res provinciæ ita ſehabent, ut tales viri, qualis tu vir es, quorum in fide, conſilioq; ſum totus poſitus, in hoc tempore nulla ratione dimitti debeant: præſertim me tam procul abſente, quin potius æquum eſt, ut ſe quisque ſuis ex ædibus, ad hoc incendium extinguendum proripiat, quemadmodum tu diligenter Antuerpiæ feciſti, quo quidem præclaro tuo officio, valde ſum delectatus, certò etiam mihi perſuadeo, te ad meam communemque ſalutem ac tranquillitatem Rempubl: adminiſtraturum eſſe, operamque daturum ut iſtis in locis, quæ quieti Publicæ abſutura videantur, maturé occurratur, quemadmodum tibi, de cujus fide non dubito, quique non aliter, quam te tota Vita geſſeris, deinceps ſis geſturus, diſertis verbis nunc mandatum volo. Vt autem meum candorem libertatemque perſpicias, celare non poſſum, multum ſermonem de tuo fratre hic ſparſum eſſe, qui iſtis motibus interfuiſſe dicitur: quoniam autem ea res, ſeriam mihi cogitationem fecerit, jubeo, rem ut tranquilles, & ſi ita expedire videatur, fratrem à te aliquot diebus removeas; Pridie Idus Auguſti naſcitur Regi ex Elyſabetha conjuge, filia primogenita, ipſa die divæ Claræ, quam propterea Iſabellam Eugeniam Claram vocavit. Diſcedens decernit Supplicationes

Iſabella Clara

plicationes, ad omnia templa divorum, per totam Hispaniam, quas cum suis religioso Voto, in Sigovia ipse obit, pro felici in Belgiam instituenda profectione, prosperoque statu Reipub: Præeunte mense Iulio, Rex dederat literas ad Maximilianum Cæsarem, ejus nominis secundum, quibus statum Belgarum, & quid sui esset sensus, certiorem fecerat, consilium ejus, opemq; desiderans. Cæsar exeunte Septembri respondens, inter alia, moderationem consulit, in primis in religionis negotio, & nequaquam vi & armis, sed ratione & Consilio progrediendum esse docet. Multos esse magni nominis Germaniæ Principes, cum fædere, tum cognatione atque affinitate, Plerisque Regis in Belgia Proceribus, conjunctos, quos si ob causam religionis, quam eandem colerent, oppugnari viderent, nequaquam essent deserturi. Quid autem inde sit futurum, ipsi prudenter esse perpendendum: minime quidem recusare, pro sua cum ipso conjunctione, & necessitudine, quamvis Turcico Bello, alijsque difficultatibus admodum præpeditum, quin se intercessoris personam, Regi ejusque Clientibus atque subditis libenter interponeret, ut quantum omnino fieri posset, tolerabili ratione, reconciliatio institui, gravioresque calamitates, ex bellis metuendæ,

filia regi nascitur.

Anno. 1566.

præcaveri poſſent. Hoc Cæſaris allato reſponſo, plerique aulæ purpurati non nihil offenſi fuerunt, exiſtimantes, rem Cæſari non agi ſeriam; propter illam, quam Guilelmo Aurantio, cum aliquot Germaniæ Principibus, in primis vero cum Auguſto Saxonum duce, Rom: Imperij Septemviro potentiſsimo, Cæſarique gratiſſimo, intercedere audiviſſent affinitatem, Iam verò alij Conſiliarij Regij in aula Madriciana aliter de regis profectione conſulebant, referentes, iter Regi nequaquam ipſi ingrediendum eſſe. Cum enim non niſi magno cum exercitu, & tanto Rege digno, terra marique apparatu, ſit eundum, isque exercitus non ſolum ex Hiſpano, ſed & Italo & Germano milite, ad proximum ver, paſſim ſit conſcribendus, non videri eas equitum peditumque copias, eamque claſſem eo tempore maturè poſſe comparari. Accedere ſævi & periculoſi maris inopinatas tempeſtates, metuendas Geuſiorum, Hugonotorum & Anglorum, prædonum inſtar confluentium, ſi Zeelandiam verſus navigetur, impreſſiones, ſi vero Genuam eatur, Afrorum, Maurorum, & Turcarum, aliorumq; ex maritimis Provincijs conſpirantiũ hoſtium, infeſtas claſſes expectandas, qui in omnem caſum intenti, hanc qualemcumque invadendi

vadendi Regis oportunitatem non sint neglecturi. Neq; vero consultum videri, ut Rex quemadmodum parens, olim cæsar, per Galliæ regnum profectionem instituat, tunc intus, & extra à Belgarum populis, vicinisque omnibus pacatum, nunc vero primorum procerum, ac subditorum, vicinorumq; motibus, non minus quàm Belgia ipsa perturbatum. Jam verò quis ignorat, Regem ab Hispanijs, abesse non posse. Quanti enim motus per Hispanias concitati sunt? Carolo Parente Cæsare designato, ac propterea in Germaniam ad Imperatorium consequendum Diadema, resq; imperij constituendas profecto? Nota enim esse Hispanorum ingenia, qui nisi á Rege, Regisve disignato successore, qui præsens sit & adultus, in officiò, contineri non possunt: Turcarum præsertim isto continente bello, & quotidianis propemodum, in Hispaniarum littora, ex Africæ portubus, maritimis excursionibus, quibus non solum naves, cum pretiosissimis omnis generis mercimonijs intercipiunt, verum etiam magnum numerum liberorum capitum deprædantes, in miseram ac deplorandam servitutem abripiunt. Imò vero non temerè verendum, Regem,

Regem, cum recuperata Belgia, quæ quidem ſpes non ſit dubia, populorum & Procerum erga ſe animos, ſtudiaq́ue advertat, ipſos ad colloquia, congreſſusque familiares, pro Regia ſua affabilitate, admiſſurum, ipſorum querelas, cauſasque coram cogniturum, ut paulatim tandem nimia Familiaritate, ipſorum, ut fieri ſolet, asſueſcens moribus, Belgarum, fortè magis, quàm Hiſpanorum res curaturus ſit. Neque deeſſe exempla aliorum populorum, qui ſimili in cauſa, ad obedientiam reducti, varijs artibus ſuos Principes occuparint, & quandoque ſuam in hæreſim ſenſumque perduxerint. Quid autem Belgarum populis, cum propter innatam de ſuis immunitatibus privilegijsque vanam perſuaſionem, multarumque continentium provinciarum diverſitatem, atque inconſtantiam, tum propter Lutheranæ hæreſis qua plerique infecti ſunt, contagionem, fidendum ſit, regi ipſi, pro ſingulari ſua ſapientia eſſe perpendendum. Neque enim Zizania, quamuis ad tempus ſuppreſſa, ſuo tempore non reſurgunt, neq; virus ſemel imbibitum ita eijci poteſt, quin membra corporis conquaſſata ac debilitata relinquat, quæ deinde quoque Vicinos & familiares inficiant. Proinde Regi ipſi in Belgiam proficiſcendum non videri, Sed præſtantem aliquam

liquem ducem,quos Rex ſane complures habet, ampla cum poteſtate,cum exercitu mittendum, qui Margarithæ Principi, Proceribusque fidelibus adſit, cujus Virtute & ſeveritate, Provincia ad priſtinam tranquillitatem reducatur. Notum eſſe Regem, & parentem, Proaumq; Cæſares, Belgiam tot per annos, per cognatas Principes fæminas, aliasque provincias atque regna per legatos bene & feliciter, hactenus adminiſtraſſe: Neque verò ullam,quæ timiditatis notam daret,clementiam,interponere, ſed armata vi atque manu tumultuantibus Belgis refractarijs ſubditis, eorumque ſocijs, reſiſtere oportere, Omniaque tentanda, vel, quod Deus avertat omen, perdenda potius, quam vel inquiſitionis, vel regiorum de religione, edictorum, Concilijque Tridentini moderationem, qua & Romanæ ſedis dignitas, & eccleſiæ Catholicæ authoritas, & Regis nomen ac majeſtas labefactari poſſe videatur, permittendam, neque cunctorum ordinum Concilium, in quo de religione decernatur, in Belgia eſſe indicendam: quin potius in hoc tempore, contra perverſiſſimos hæreticos, per ſtrenuum ducem, ſæveriſſimæ caſtigationis exemplum omnibus mortalibus & ad poſteros eſſe ſtatuendum & provincias Belgicas ea ratione eſſe ſubjugandas:

fieri enim non posse, ut lenibus remedijs compescantur, neque necessum esse, ut Rex suis semper ipse adsit, magisque præfectum regium absente rege, quam regem ipsum præsentem decere, summæ in subditos severitatis pænas exercere. Ita consuerunt Cardinalis Granuellanus, Dux Albanus princeps inquisitionis tum inquisitor Hæreticæ pravitatis Generalis, & Spinosa, Consiliarij Regij: Dux de Teria, cujus supra meminimus, mutata sententia in hanc quoq; tandem sententiam pedibus ivisse dicitur. His rationibus, Madricij, persuasus Rex, sententiam mutavit, ut manere domi vellet & severius per Legatum agere. Itaque instituta deliberatione, de mittendo Legato, Alij Carolum vnicum tunc Philippi filium, circiter viginti annorum adolescentem, Belgarum hæredem, ijsdemq; ut ferebatur Catholicis, propterea gratissimum, magnæ spei Principem, mittendum voluerunt; Alij existimantes adolescentem haud tanta belli mole curisq; gravandum, Ducem, Medinæ Cæli; Alij Ferdinandum Albæ Ducem legendum consulerunt. Lectus autem est plurimorum suffragijs Ferdinandus Dux propterea, quod non solum ætatis honore atq; auctoritate multorum ex continuatione bellorum, Caroli parentis atque ipsius Regis auspicijs contracta gestorum,

verum

verum etiam ſcientia rei militaris, ac ſeveritate Imperij, tum Belgicarum & Germanicarum rerum peritia, reliquis anteferri putaretur; Ruigomes etiam aliorum ſententijs victus in Albani tandem Lectionem, non ægrè conſenſit, quod mallet eum Hiſpania procul abeſſe, & difficillimis periculoſisque bellis, in exteris provincijs implicari. Carolus autem, qui Belgiam ſibi hæredi præ omnibus optimo jure deberi iudicaret, cujus adminiſtratione, auſpicanda, Regiæ indolis exſpectatæque virtutis ſuæ illuſtre ſpecimen edendam ſperaret, eam repulſam graviter, moleſteque tulit, eaque cepit, juvenilem animum, indignatio, quæ alijs poſtea ſuſpicionibus aucta, illi apud inquiſitores ac purpuratos capitale odium atque invidiam peperit, & tandem immaturam mortem acceleravit.

præterea interdicit universis, ne quis vim vel injuriam sacratis hominibus, ædibusve, deinceps ullam inferat, ipsorumve bonis manus injiciat, vel etiam ope Consiliòve adjuvet; pœna constituta capitis & fortunarum: nam se eos tanquam manifestos fures & sacrilegos, suos, patriæque divini numinis communes hostes, & perduelles declarare, & impunè, imò cum honore & præmio, cuilibet occidendos proscribere atque exponere: civitates etiam, quæ eodem in crimine hæreant, omnibus privilegiis & immunitatibus edictis publicis privat. Interea Rex Bergensem & Motignium Legatos, ut supra diximus, Madricii tenebat, spem faciens, cum Albano Duce in Belgiam propediem esse reversuros. Confœderati nobiles, qui hactenus velut arbitri & intercessores inter magistratum & plebem fuerant, Margarithæ Consilia ad bellum spectare, ut supra diximus, animadvertebant. Etsi autem etiam, ex delectibus Catholicorum, Megensis, Mansfeldici, Arenburgici comitum; Ducis Erici Brunsuicensis, auspiciis Margarithæ habitis; adversus ingruentem vim sibi cavendum esse judicarent, nihil tamen plerique, exceptis paucis, ut Brederodio ad Vianam, & Tholousio ad Antuerpiam, & alibi, sese commoverunt: sed blandis Mar-

garithæ

garithæ verbis,& amplis promissis delimiti, inter spem & metum aliquandiu quieti hæserunt, prudenter varios belli casus, & incertos rerum eventus, si quid temerè moverent, secum revolventes. Itaque nullam quidem factionem præ se ferre, nullos concursus facere, sed omnia prius amicè tentanda, quàm extremam fortunam periclitandam esse censuerunt: attamen intus Hispanicam gentem, atque inquisitionem odisse, palam autem magis ad gubernatricis, quàm ad plebis partes inclinare. Plebs cognita catholicorum conspiratione, & animadversis conatibus, cum Nobiles ipsos perculsos viderent, ad Regem libellum supplicem pro retinenda conscientiarum & religionis libertate, paraverunt; Inter cætera, quæ proximo mense Aprili acciderant, quæq; Nobiles libello supplici postulaverant, quid Margaritha apud Regem ipsorum causa, per Legatos, literasq; egerat, Rex responderat, nuperque mandaverat, quid demum Margaritha de rebus moderandis spopónderat publiceque permiserat, repetunt. Deinde sua innocentia & fide demonstrata, referunt, religionem Christianæ fidei, quæ ex Deo sit, hominis mentem animamque tangere, eam fidem in levibus quidem animis, ad vanam simulationem impietatis, vi atque armis quan-

doque

doque premi & flecti posse, omninò autem in piorum, recteque sentientium pectoribus, opprimi, extirparique non posse, quemadmodum & sapientissimus Gamaliel in sacris literis consulit. Jam vero, inquiunt, serenissime Rex, istam nostram reformatam doctrinam, ex Deo esse, & ab ipsis usque Apostolis, ad nostram ætatem propagatam, certo tibi persuadere debes, Rogamus autem propter nomen Domini nostri Iesu Christi, ut qui suo sensu doctrinam Romanæ Ecclesiæ, capere non possunt, ijs permittere ne graveris in locis publicis, ubi tibi tuisq; administris id ita visum fuerit, reformatam exercendi doctrinam liberam potestatem: quam ut veram, & ex divinis, Prophetarum & Apostolorum scriptis promanantem Sanctorumque patrum orthodoxis concilijs, conformatam religionē, nos libenter amplectimur: cui pie constanterque ad hæremus, in qua coram Deo vivere & mori constituimus. Et ne præfractè agere cuique videamur, eam nostram doctrinam libero & universoChristiani Orbis, vel Provinciali Europæ Concilio, ex Germania, Gallia, Angliaque congregato, judicandam reverenter subijcimus. Absit autem, ut hac religionis libertate, ullam spectemus vel Reipub: mutationem, vel publicorum onerum

ac vectigalium abolitionem, quin potius ad omnia, antiqua fide ac obedientia sumus paratissimi: pollicentes præter solitas exactiones, tributa atque vectigalia, honorarij loco, tricies centena aureorum millia, Tuæ Majestati, nos primo quoque tempore esse præstaturos, Catholicosque Romanos suis in sacris intactos relicturos, certa spe, te hoc nostrum propensi & grati animi qualecunque studium, quo & summi Dei gloriam & tuam dignitatem, & nostram Provinciæque salutem, quærimus, benigne consulturum. Neque verò absimilis laudatissimi Cæsaris Alexandri Geveri benignitas, historiarum monu mentis celebratur, qui quanquam Ethnicus & idolorum cultor, tamen Christiani nominis hominibus, quos ipse hæreticos judicabat, in ipsa urbe Roma, templa aperuit ipsorum religioni pacem & tranquillitatem dedit. Idem Constantinus Magnus, primus Christianorum Imperator, magno suo commodo fecisse legitur, nam hæc ejus pietas erga Christianos & beneficentia, qua non minus illorum, quam Ethnicorum doctrinam publicè proponendam censuit, in amplissimi Romani Imperij propagationem, totiusque orbis salutem, ac felicitatem magnopere redundavit. Neque audiendi sunt, qui nos non Christianos,

sed

ſed hæreticos vocant, magnumque diſcrimen inter Chriſtianorum eccleſias & noſtros conventus ponunt, Noſtram verò doctrinam eſſe orthodoxam & verè Chriſtianam religionem, plus ſatis conſtat, tum ex ipſis articulis fidei, quos profitemur, tum ex precationibus, & ex univerſo divino cultu noſtro. Quod ſi cuiq; necdum eſſe ſatis factum videatur, offerimus, ut diximus ex indubitatis ſacrarum literarum oraculis, ſanctorumque patrum Auguſtis teſtimonijs, in publico Chriſtianorum legitimo Concilio, ulteriorem demonſtrationem. Quid autem Romanus Pontifex, is qui ſe Chriſti in terris vicarium appellat, quique ſua & multorum opinione, errare minimè poteſt, quid facit? an non & Iudæos manifeſtos Chriſti hoſtes, homines blaſphemos, non ſolum in urbem Romam recipit, verum etiam templa, Scholasque, palam concedit? multi præterea Chriſtiani Cæſares, etiam Arrianis, Novatianis, alijsq; palam convictis & damnatis hæreticis, ſacrorum ſuorum cultum, atque exercitia, ſuis in urbibus permiſerunt, quamobrem? an propterea, quod ipſorum falſam approbarent doctrinam? minimè, ſed quod ejusmodi moderatione, diverſarum religionum, in hac humanæ mentis imbecillitate, tranquillitatique conſulerent.

Postremo Cæsar parens, Carolus Quintus tuus, & Carolus nonus Galliarum Rex, Lutheranis Hugonotisque protestantibus, singulari sapientiæ & clementiæ laude, nuper religionis pacem dederunt, qua re, cruentis istis tumultibus, & diuturnis bellis civilibus, tandem finem fecerunt.

Quod si verò nostræ preces, apud te locum non invenient, sed vis rationi prævalebit, vel quod nostram religionem non intelligas, vel quod affectibus, vel pravis amicorum consilijs, occupatus, transuersum rapiaris; nos tamen patienter possidebimus animas nostras, & manum Domini fortem expectabimus, quæ certo in tempore aderit, & suos tandem á miserijs atq; interitu, prostratis hostibus, vindicabit. Hoc scriptum exeunte anno á primoribus civibus & mercatoribus Antuerpiæ protestantibus sub notatum, Comiti Hochstratano traditum fuit, ut ad Regem mitteretur. Quod scriptum á Regijs consiliarijs ita exceptum est, ut vocarent superbam & inanem opum ostentationem, qui vicinorum Regum ac Principum animos sibi devincire open & subsidium solicitare velle viderentur. Ego veró an ad Regem Philippum pervenerit, non possum asserere. Hisce diebus Antuerpiam Venit Matthias Flacius ex tractu

Illyrico

Illyrico prope Dalmatiam, oriundus, qui à quibusdam Ismael Germaniæ, ut cujus manus contra omnes, & contra quem omnium manus, nominatur; aderat, & Ciriacus Spangenbergius, & alij Augustanæ confessionis Doctores, Martiniani à priore nomine Lutheri nominati, magno apparatu, ut cum adversarijs, quos Zuinglianos vel Caluinianos vocant, quorum doctrina, ut illic in majoribus templis, ita passim per Belgiam, Heluetiam, Galliam, Germaniam, Angliam, Scotiam, in illustri est, de sacra cœna publicè disceptarent, quo quidē dissidio, cū protestantes Lutherani, ut communi nomine utrisque in Belgia appellantur, inter se laborarent, quamquam in fundamento & plerisque alijs capitibus Christianæ fidei consentirent, magnam reformatæ doctrinæ contra Catholicos communes hostes propagandæ jacturam fecerunt, Aliquoties autem congressi, utrinque habitis concionibus & confessionibus sui dogmatis, publicé editis, re integra, magistri Germani, metuentes propediem majores motus, cum viderent bonam populi partem, adversarijs addictam, discesserunt. Jam vero Catholicorum indies crescente potentia, & Margaritha rerum adversus protestantes satagente, oblita moderatæ passionis. Itaque impulsu nobilitatis

Henricus Brederodius, octavo die Februarij,
Anno Anno ſalutiferi partus, milleſimo quingenteſi-
1567 mo, ſexageſimo ſeptimo, cum illi paulo ante
Regia, urbeque Bruxella, à Margaritha eſſet interdictum, ſcripto illam affatur, hujus fere argumenti: Proteſtantes, Catholicorum ſævitiam ac contumeliam diutius ferre non poſſe, ideoque ex fædere populum plebemq; opem & auxiliũ nobilitatis poſtulare, rogare, ut concionibus reformatæ doctrinæ publicè permisſis, edicta adverſaria, nuper publicata, abrogentur; ut captivi eccleſiæ miniſtri, eorumque auditores ac ſocij, abſque injuria, liberi fiant ut milites, qui intra extraq; provinciam conſcripti ſunt, præſidiaq; oppidorum dimittantur, quo libertas patriæ, dignitas Reipubl: omnium ordinum ſalus atque incolumitas, conſervetur. Addit orationem nobilitatis ſcripto comprehenſam, ejusdem fere argumenti, qua præter cætera, ſuperiorum menſium, Catholicorum injuriæ atque maleficia, præter datam fidem, proteſtantibus diverſis in oppidis illata, prolixè referuntur, orant ut datam fidem ſervet, & ſecuritatem nobilibus, plebique præſtet. Margaritha decimo ſexto die Februarij, ſcripto reſpondet, ſe mirari, quinam illi proceres, quive populi ſint, qui ejusmodi querelam attulerint, cum

multi

multi ex confœderatis, non solum in observationem Inquisitionis edictorumque consenserint, verum etiam in regijs, suisque promissis, de ipsorum tuendis commodis, ac securitate, factis, plane conquieverint. Qui propterea etiam pristinam fidem atque obedientiam Regi debitam, reverenter detulerint, sibi etiam præter opinionem accidisse, ait, quod asserant, alijsque persuadere studeant, religionis, quam reformatam vocant, exercitium, se volente permissum, cum in nupera transactionis formula, diserte legatur, Proceres non nullos, præter datam fidem, populo religionem mutavisse, quæ quidem mutatio plane injussu suo acciderit. Quod dimissionem militum, equitum peditumque petant, haberet locum, si ipsi veterem religionem non novam se invita secuti fuissent. Quin cogitent, quanta sua cum indignitate, aliquot in locis, ecclesiasticæ conciones in publico, quamvis absque armis sint habitæ, ut reliqua novæ religionis taceantur exercitia atque offendicula, quæ & suis consistorijs & ingentium pecuniarum collectionibus, quas Regijs subditis extorsissent & administratione Sacramentorum, & abusibus factorum coniugalium, ad successionem hæreditariarum, aliarumq; tam sacrarum, quam civiliũ rerum confusionem ten-

dentiú, Belgarū populis, præbuissent. Ea enim se non permisisse, neq; sibi in mentem venisse. Quæ verò ad ipsorum libellum, quinto Aprilis anni elapsi, ab ipsa sint permissa, conscientiæ ipsorum causa, cujus libertatem prætendebant, factum esse, de religione verò nullam fuisse mentionem, cujus mutationem ipsi contra conscientiam, introduxerint. Quamobrem sibi justam esse succensendi causam, quod sua sponte, in præiudicium Regiæ Majestatis, aliquid movere sint ausi. Ex quo & Regem vehementer commotum, alterationem illam religionis ferre non posse, præsertim cum audiat, subditos per novos quos crearint, magistratus, Regios suos administros, ad sua placita exequenda cogere, Cujus sane facti culpam, ipsos brevi esse præstituros. Neque illos stetisse promissis, suorumque verborum falsis cavillis, atq; interpretationibus, pro lubitu tortis, lusisse. Id ex eo constare, quod multi de Magistratu suis in locis, novam religionem permittere noluerint. Se enim expressè ista verba suæ responsioni tunc inseruisse; ne cuiquam essent offendiculo: ne inordinatè agerent: Neque verò, se videri posse, quicquam suis verbis admisisse, contrarium, quod quosdam propter maleficia, justam pœnam meritos, in vincula conijci jus-

ſerit, Fanorum violatores atq; ſtatuarum, quos ipſa nequaquam ſit dimiſſura. Non ſolum autem ædes ſacras, tum ſacerdotales atq; hoſpitales domos, verum etiam nobilium caſtra, multos èx confœderatis ſpoliaſſe, quosdã ſacrati ordinis homines ſuis è poſſeſſionibus dejeciſſe, Eccleſiaſticis vim atq; minas attuliſſe, populum commoviſſe, multisq; modis vexaſſe, Regis civitates atq; oppida occupariſſe, bellica tormenta rapuiſſe, adminiſtros Regios loco moviſſe, atq; expuliſſe, exercitium conſcripſiſſe, vi aciemq; produxiſſe, imo univerſis catholicis ipſiusq; celſitati, vim atq; arma fuiſſe minitatos. Conſtare ex interceptis literis Valencenam miſſis, ipſorum conſilia atque conatus, quibus niſi præpotentis Dei manus prævertiſſet, Regem ipſum, eos ſua ſpoliare provincia atque imperio voluiſſe, neque vero alio ſpectare, quam peterent militũ dimiſſionem, abrogationemque edictorum, quam quod gladium Regi, à Deo traditum, ipſi ejusque adminiſtris, è manibus extorquere ſtudeant, mandare autem ſe graviter, ut Brederodius & ſocii confæderati, populum à tumultu ac rebellione contineant, neq; regis iram ac indignationem in ſe graviorem provocent,

Hos

Hoc accepto responso, Protestantes soliciti, Catholicorum potentiam quotidie augeri videbant. Hi enim spe atq; animis pleni, tanquam secundo vento navigantes, & Regem Margarithamque Principem, suis à partibus habentes, undique contractis auxilijs, se suosque, contemptis adversarijs, confirmabant. Itaque quasi classico audito protestantes etiam diligenter rebus suis providendum putaverunt, ictum fædus inter socios confirmaverunt, alios in partes traxerunt, aliquot urbes occupaverunt, occupatas adversus Pontificiorum vim ac insidias, munierunt. Pontificij autem ad bellum inferendum promptiores fuerunt, tum quod veterani Regijs edictis, contra Geusios tanquam iconomachos perduelles patriæ, & pacis publicè perturbatores, excitati, ad ipsos confluerent, tum quod & arctius nunc quam antea, Pontificiorum duces, conspirarent, & alacrius, animosiusq; quàm solent, rem gererent: Geusiorum verò fæderati primores, partim ut supra diximus hæsitarent, partim deficerent, horum milites nunc multò, quàm antea negligentius dicta capesserent, & statuarum potius proterui confractores, quam virorum fortium strenui debellatores videri vellent. Quamobrem vndique [illegible]is [illegible] bellum Geusijs iconomachis,

& templorum

& templorum everſoribus, qui tanquam præda, hoſtibus paſſim erant expoſitis, à Pontificijs eſt illatum. Cæperat tunc iconoclaſtarum nomen, etiam apud ipſos fæderatos, grave & odioſum eſſe, quos propter inſolentiam, meritas pœnas luere dicebant. Ita Pontificij ferociores facti, conciones reformatæ doctrinæ palam prohibere, eas qui frequentarent, in vincula conijcere, à reformatis baptiſatos infantes, rebaptiſare, eorum nuptias retractare, publicos congreſſus etiam eccleſiaſticos interdicere, Eccleſiæ miniſtros proſcribere, inquiſitionem & edicta regia renovare. Hac territi inopinata perſecutione, multi Belgia exceſſere, quidam ex agris in urbes, munitaque fæderatorum loca, seceſſere. Eſt in Hannoniæ finibus, celebre oppidum Valencena, commoditate loci, fertilitate ſoli, aërisque jucunda ſalubritate, peramænum. Situm enim in agri planitie, duobus navigabilibus, iſtic confluentibus fluminibus, Scalde atq; Somna, interluitur, quorum fluminum lenibus eluvionibus, per extructas in eorundem alueis, intra oppidum Catharactas, certis valuis, juxta acceſſum ac deceſſum aquarum, ad easdem vel recipiendum, vel emittendum, apte fabrefactas, omnem circa agrum ingenioſo & felici opere, quando ita res fert, in-

Valencena oppidũ Hannoniæ.

undare potest. Est præterea fossa, muroq; bene munitum, & ex frequenti Gallorum Belgarumq; mercatu satis opulentum, distans ad meridiem, septem circiter milliaribus, à primaria Hannoniæ civitate, quæ Montes vulgo dicitur, ab eaque civitate, secunda Hannoniæ civitas, numeratur. Huic oppido, quod protestantium religionem sequeretur, multique eódem, ob eandem causam, ex agris confluerent, Margaritha Princeps præsidium, quinque peditū ac quatuor equitum cohortium, per Nortcarmium, Marchionis Bergensis, Hannoniæ præsidis legatum recipiendum imperat, Illi vero primum suis confisi mœnibus, ac militibus Gallis, quos jam intus habebant, præsidium animo se recusare atque excusare, quod super data pecunia, se à recipiendo milite immunes redemissent, Margaritha verò instat, & missis Aressoto. atque Egmondano legatis, cum nihil impetraret, perduelles istos judicat atque proscribit. Illi quanquam partim metu proscriptionis, partim legatorum intercessione, moti, tandem in præsidium certis legibus, im primis ut beneficio transactionis in religionis negotio, cum Margaritha super facta, fruerentur, consenserunt: tamen cum

Hostes

Hostes eas leges non admitterent, existimantes subditos à suis principibus leges accipere non dare oportere, præsidiarium militem admittere noluerunt. Itaque obsidentur valloq; cinguntur, omnis ager circumquaque vastatur, ut obsessis exitus omnis intercluderetur. Quamobrem oppidani ad confæderatas ciuitates, ac imprimis de nobilitate socios, subsidium rogatum mittunt. Quanquam autem plerique de nobilitate grauiter suæ fidei admonebantur, quod ipsorum impulsu, ac magnificis pollicitationibus, Valencenenses ad arma progressi, præsidium recusarint & difficulter obsidionem tolerarent: tamen illis obsessorum Angustiæ parum curæ fuerunt: Vnus Brederodius, de oppidanis, solicitus, Sed suis & confæderatorum Viribus parum fidens, Margaritham Supplicibus literis, quando ipsi aditus negabatur, de Valencenensium reconciliatione tentauit. Sed cum illa nullam seruandæ pacis rationem, nisi in obedientia regiorum edictorũ, Magistratuum q; ostenderet, esse positam, nihil impetravit. Itaque aliquot de plebe, præcipuè Flandri, subitaria coacta manu, obsessis opem ferre voluerunt, sed carentes duce idoneo, & ad sacerdotum sacrarumque ædium spolia, ac vexationes infamo conatu, deflectentis, nulla disciplina militari

militari nullam obſeſſis opem, ſibi autem ipſis pernitem attulerunt. Nam orchianorum & Duacenſium qui ſunt in finibus Arteſiæ circiter Septẽ milliaribus, Valencena diſtantes, præfectus Raſſegenius, hanc rem edoctus, cum totam noctem maximis itineribus, cum ſuis, qui omnino erant ad trecentos Sclopettarios, & centũ equites ad hoſtem contendiſſet, ſeq; cum Norcarmio, qui paulo ante vicinum oppidum Amanſium, cum decem peditum cohortibus & una equitum turma occuparat, conjunxiſſet, ad ſextam horam matutinam poſtrenum hoſtium agmen aſſecutus eſt, nec mora, ſumma vi adortus, nullo negotio diſſipavit, Illi repentino ac inopinato impetu perturbati, & multitudine ſuperati, in vicinum oppidum Tournovium, plerique incolumes evaſerunt: tertiam vero partem ex ſuis amiſerunt, in quibus etiam Tournaviani multi fuerunt, qui Valencenenſibus, inter cæteros opem ferre voluerunt. Itaque Nortcarmius cum ſuis celeriter inſecutus, Turnovium cum novem cohortibus peditum deditione capit, & in concionatores, qui illic erant miniſtri eccleſiæ, & primarios proteſtantes ſæviens, eos laqueo ſuſpendit. Confirmato oppido, cum Valencenam verſus iter flecteret. Proteſtantium manum ſibi obuiam factam, con-

ferta

ſerta manu profligavit, ut centum ſexaginta ex ijs caderent, cæteri ſibi fuga, ſalutem peterent. Illi vero ex Duaco, Tournovio, reliquisque vicinis oppidis, adauctis copijs, & comparatis tormentis muralibus viginti duobus; erecto Vallo oppugnationem Valencenæ ſummis viribus, inſtituit. Obſeſſi quanquam ſe animoſe propugnarent, tamen conſiderantes ſe à plerisque nobilibus proeſttantibus, quibus maximè initio confiderant, deſeri, hoſtium vero copias quotidie angeri, benignis autem Margarithæ literis, præteritorum veniam, ſi præſidium reciperent, pollicentibus, & magnificis Nortcarmij promiſſis, de ſalute atque incolumitate omnibus conſervanda, fidem ad hiberent: tandem Concilio habito, plurimorum ſententia de ditione agere cæperunt, & ſe oppidumque invitis Gallis militibus & non nullis civibus diſſuadentibus, quod Pontificij ipſis tanquam hæreticis, fidem ſervaturi non eſſent, quemadmodum accidit, in hoſtium poteſtatem tradiderunt, vigeſimo tertio die Martij. Nortcarmius oppido potitus, occluſis portis, aliquot dies, in miſeros cives contra datam fidem graſſatus, miniſtros eccleſiæ civesque primarios, de religione ſuſpectos omnibus facultatibus ſpoliat, ſpoliatos ad ducentos in (queis Michael

Herlinus

multitudine comprehenditur, ac detentus retinetur. Megensis itaq; ira percitus, neq; sibi temere ab oppido, quantumvis firmo discedendum existimans, suburbium occupat infessis itineribus, omni commeatu intercludit; Cives in angustias redacti, ac insueti bello, inter se tumultuari, alij Catholicos, eorumque sacra laudare, diutinam obsessionem, famemq; timere. Megensem desiderare, alij contrarium sentire, Veram reformatam religionem non deserendam, obsidionem aliquantisper tolerandam, protestantium, quorum vires contemnendæ nonsint, subsidum breui expectantium. Qua ex contentione, tumultu civili pugnaque intra mænia orta, altera parte Catholicorum præpotente, Megensis cum exercitu intromittitur urbemque oppressis exactisque Geusijs, suam in potestatem redigit. Megensis deinde duodecim cohortes peditum prope trajectum Vtrechtum vocant, ducit, eo consilio, ut oppresso milite præsidiario, qui Vianam obtinebant, oppidum caperet. Multipassim de protestantibus, per agros ac vicos, ut Waterlosij, Lanoy, atque alibi profligati capiebantur, captique, tanquam perduelles ac seditiosi, capite laqueoq; plectebantur,

ciæ adduxiſſet, eum tamẽ in gratiam ac rogationem Margarithæ ſororis, eſſe dimiſſurum. Neminem enim regiorum Ducum, ſororem regiam apud regem gratia atque authoritate antecedere, neque eam ſuæ iſtius, laboris & periculi plenæ gubernationis fructum, cuiq; eſſe conceſſuram. Præſertim, cum non difficile ſit, rurſum unitis & ſedatis provinciis, peregrinum militem aditu provinciæ arcere. Huic rei in primis ſe accommodabat Egmondanus Comes, pro ſuo erga regem ſtudio & aucupio novæ gratiæ; is enim per pleraſque Flandriæ & Arthesiæ civitates diſcurrens, ſedulò laborabat, ut quibus in locis Proteſtantium religio, concioneſque ſacræ celebrarentur, abrogarentur. Etſi autem Aurantius & Comes Hochſtratanus, Anthonius Lailanus, Antuerpiæ idem fieri vellent & vehementer denuò, apud Reformatos inſtarent, ut ſaltem per trimeſtre ſpacium concioneſ ſacras ſuſpenderent, ipſorumque templa regio ſigillo, contra omnem vim pontificiorum obſignarentur, tamen ne tunc quidem aliquid impetratum fuit. Aurantius verò animadvertens, rem tendere ad majores motus, & ſana conſilia apud multitudinem non valere, denuò Margaritham de dimiſſione interpellat, ſed

frustra; ille tamen officium deinceps fecit Est vicus propter Antuerpiam, Ostervelium, eum vicum protestantium manus, ductore Tolousio, insederat, ut aucti multitudine urbem intrarent, suisque essent præsidio. Hoc intelligens Margaritha Princeps, Johannem Gravium hominem impigrum, ex Brabantiæ præfectis præcipuum, cum quingentis equitibus, & quadringentis peditibus ex vicinis locis Flandriæ & Brabantiæ ilicò contractis, ad eos disturbandos, properè mittit, illi improviso hostium adventu perturbati, eorum impetum non sustinuerunt; sed plurimis cæsis, non nullis etiam cum domibus horreisq; quò sui occultandi causa profugerant, concrematis; pauci per devios, ignotosque calles, fuga salutem quæsiverunt: Multi cum ad propinquum fluvium Schaldam, spe vel tranandi vel pervadandi, procurrissent, ipso in fluvio sclopetis petiti, miserè perierunt inter captivos quidam deprehensus est, cum judice conscripto confederatorum protestantium, ex quo ipsorum consilia hostibus patuerunt. Fuit hoc die decimo tertio Martij. Protestantium vero Antuerpiæ audito hoc tumultu, ad arma concurrentes, & per marinum pon-

Oster-
velium
vicus.

rem, ad portam contendentes, eruptionem facere, ſuisque opem ferre voluerunt, Sed Aurantius qui tunc ad Vrbem erat, Regius præfectus, precando obteſtandoque, tum etiam caſtigando cives, quod erumpentes non ſolum nullam laborantibus laturos opem, Sed ſibi potius ipſis exitium attracturos diceret, propterea quod magnum equitum foris robur, intus verò ſe duce periculum nullum eſſet, vix ægré cives ad Vrbem continuit, vicit tamen quorundam vis ac pertinacia, qua vrbis portæ, quos Aurantius claudi juſſerat, à concurſantibus civibus, refractis repagulis, aperirentur, ut ſuis Oiſtervolij ſuppetias ferrent, ſed illi non longe à mænibus egreſſi proceſſerant, cum de ſuorum clade audientes ad vrbem regrederentur, querentes ſe in pio conatu, fœderatis fratribus opitulandi, eſſe præpeditos. Quam ob cauſam, etiam Aurantius, magna apud populum invidia deflagrabat. Sed ille firmo propoſito, ſalubriq; conſilio, de non aperiendis portis, innixus,

probabilem rationem facti reddebat, quod non exercitatos bello cives, domi continendos, neq; præsenti periculo extra mænia, veterano militi, & jam parta Victoria ferocienti equiti objiciendos judicaret. Civitatẽ etiam populosam non temere in hoc tempore, aperiendam, ubi non solum hostis pro foribus, sed & intus diversa partiũ Catholicorum & protestantium studia viserentur, Eó tamẽ excrevit horũ murmur, atq; tumultus, ut in urbẽ reversi, aliquot majora bellica tormenta, atq; arma, quibus instructi, forum frumentarium occuparant, civitati extorserint, atq; explicatis vexillis recta pergerent, ad occupandam curiam. Etsi autem Aurantij, Hochstratoni & senatus reverentia atq; intercessione moti, ferociam remiserunt, tamen effractis carceribus, æris alieni & criminum nomine, detentos captivos liberaverunt; Postridie major & periculosior tumultus in ponte marino, per urbem extitit, ut civis contra civem armatus, instructa acie consisteret, jam jamq; infestis animis inter se concursuri, omniaq; passim cædibus & rapinis fædaturi viderentur, nisi Aurantij senatusq; Vrbis, gravi & tempestivo mandato, tribus signis civium ex foro dimissis & tormentis in armentariũ reductis,

sine

ſine cæde, & ſanguine denuo tumultus ille compoſitus eſſet, ſed ecce de repente nunc tertius multo gravior motus extitit. Qui enim in Vrbe erant Germani, Itali & Hiſpani Catholici aſſociati Martinianus, qui Auguſtanam confeſſionem profitentur, equorum forum armati occupant. Confederati Geulij, quos Calviniſtas vocant, ex adverſo armis, animisque parati, in acie conſiſtunt, tormenta bellica, vtrinque certatim, ex armamentario in publicum repetuntur, magnoque apparatu in partem adverſam, expediuntur; Res non procul dimicatione fuit, duravitque biduum, cum pro ſe quisque, ſibi, ſuisque & reipublicæ metueret, neq; aliud quam cruentum funeſtumq; certamen, & vaſtationem pulcerrimæ opulentiſſimæq; urbis, victus à victore expectaret. Tanta erat animorum concitatio. Itaq; per omnes paſſim domos vicosq; vrbis planctus, ploratusque mulierum ac puerorum, ſuam & communem fortunam miſerantium exaudiebantur, cuncta querulantium deprecantiumque vocibus, & gemitibus, tanquam jam occuſuræ civitatis, complebantur. Interim Aurantius & Senatus utramque aciem obequitare, ſummos infimosque precari, atque obteſtari, ne præcipiti ira ac in ſano fu-

Anno. 1567. rore, civile bellum excitent, ne se, ne Rempub: Vrbemque longe omnium nobilissimam, ne liberos conjugesq; suas, in interitum præcipitent, quin animum colligant, seque revocent: non audiant seditionum authores, homines inquietos, civilis certaminis sanguinisque cupidos: Præfectum autem Regium & suos legitimos magistratus audiant, qui singulari judicio ac gravitate, si quid sit inter ipsos natum dissensionis ac controversiæ, sive sacrarum rerum, sive prophanarum, honestis & tolerabilibus conditionibus sint moderaturi, & rem ad æquam stabilemque transactionem ac pacem redacturi. His paulatim deliniti cives, cum nequaquam sibi verba dari, sed certas pacis concordiæque leges, magno studio proponi cognovissent ab armis tandem paulatim discesserunt, & sua quisq; in tecta, alij post alios, quorum primi fuerunt, Itali atque Hispani, deinde confœderati protestantes, postremo catholici & Martiniani, se se receperunt. Conditiones autem fuerunt ejusmodi. Ante omnes cives utriusq; religionis, cum Philippo regi, tum Aurantio principi, præstito sacramento, recipiant, salutem remq; Antuerpiensem sibi curæ fore. Magistratus extra

triuṁ

triam ordinum civitati consensum militem in urbem ne introducat; jura ac immunitates civitatis integras summa cura custodiat; pacta atq; conventa religioni constituendæ, superiori autumno, inviolata servanda, quoad Regi ordinibusq; aliter videatur: utriusque religionis partes, Reipub: causa, sibi mutuo pacem benevolentiamq́; præstent, & sicubi necessum, opem & subsidium pro virili ferant: omnium rerum præteritarum, injuriarumq́; oblivio esto: Aurantius claves urbis portarum custodito, ad quietem salutemque publicam, prudenter & fideliter administrato. Diurnæ nocturnæq; excubiæ, tum ex cive, tum ex jurato milite, per urbem habeantur, quibus nemo nisi vocatus adsit, equites quadringenti, præter pedites, jam ante conscripto, urbi sint præsidio: Instructa classis Schaldam naviget, harumque rerum impensas, nemine excepto, oppidani faciant. Quidquid est instrumentorum, tormentorumq; majorũ militariũ, in muris, portis, plateisq; urbis Magistratibus & præfectis tradatur. Omnis seditio & tumultus deinceps caveatur, ejusq; authores capti, pro merito plectantur. Centuriones, Tribuni ac milites, qui nunc Reipub:

causa conscripti sunt, retineantur, donec aliud statuatur. In hæc capita jurent universi & singuli, tam præfecti & Magistratus urbis, quàm milites, & civis utriusque religionis. Dum hæc Antuerpiæ geruntur, Margaritha princeps, Brederodio ac sociis Amsterodami commorantibus (eò enim se paulò anté cum duobus Baronibus Batenburgicis, Gisberto & Theodorico fratribus, atque aliis nobilibus, propter periculum contulerat) per scribam regium, secreti concilii, Torrium, tanquam hostibus patriæ, aqua & igni interdicit, minitans carceres, ni paucis horis, urbe provinciaque discedant. Brederodius verò scribæ paucis verbis respondens, valedictis Baronibus & nobilibus, noctu navi discedit, & in vicinam Germaniæ oram paucis diebus post appulit. In Germania deinde mortuus reliquit uxorem viduam, ex illustrium comitum Moersensium familia natam, fœminam, animi & corporis dotibus lectissimam, quam postea Fridericus III palatinus Elector in matrimonium duxit. Sub idem tempus, Hasseletum oppidum Leodiensis Episcopatus, quod Guysij profligatis pontificis occupaverant, his fermè conditionibus deditionem fecit: ut oppidani solutis obsidionis sumptibus,

etiam

etiam cœnobia & templa diruta ſuis impenſis inſtaurent, & deinceps fidem Romanam Catholicam ſequantur. Maſtrichtenſes etiã miſſis legatis in Margarithæ gubernatricis poteſtatem ſeſe tradiderant. Porro etſi jam ſemel atq; iterum refragantibus, & tumultuantibus, Antuerpienſibus; inter pacis concordiæq; leges, de religione cautum fuit, tamen nulla ſpe ſubſidij, inſtanti urgentiq; Margarithæ, tandem reconciliati, Nonis aprilis miſſis Bruxellas Legatis, edictum & præſidium recipiunt; ut antiquatis concionibus publicis, miniſtri Eccleſiæ proteſtantis, qui omnino erant novem, urbe excederent, ipſorum conſiſtoria & collectæ pecuniariæ ceſſarent, templa ſpoliata vel diruta, in piſtrinum ſtatum reſtituerentur: Catholici clauſis proteſtantium templis, ad ſua ſacra officiàq; redirent, vetera edita regia, abrogatis recentibus, revocarentur, ita quidem, ne cuiquam ſua religio conſcientiaq;, quam ſibi quisq; domi haberet, fraudi foret, quo ad Rex ordinesq; diverſum ſtatuerent. Qui vero ad regiorum editorum præſcriptum, in cauſas religionis vivere nollent, iis liber diſceſſus permittebatur, niſi eſſent læſæ majeſtatis, violatorum templorum, rebellionis & conju-

rationis

rationis rei. Hanc mutationem civitates, per Brabantiam, Flandriam Hannoniam, Arthesiam, Hollandiam, Selandiam, Geldriam & plerasque alias provincias, Martio & Aprili mensibus, secutæ sunt, passim fugatis, comprehensis, occisisq; iis, qui vel statuas, imaginesque divorum, è templis ejecissent, vel ejectas confregissent, neque regiis de religione edictis paruissent. Neq; ferè oppidum ullum fuit, in quo non quinquaginta, centum, ducenti, trecenti homines, hoc anno ad necem raperentur: Divorum statuæ, imaginesq; & aræ cum omnibus ornamentis ex auro & argento fabrefactæ restituerentur, protestantium, recens ædificatæ ædes sacræ, diruerentur; ex ista materia furcæ patibulaque erigerentur, quibus iconomachi affixi sunt & suspensi. Quin etiam Avenarii, aliisque Flandriæ locis armati Catholici, in ipsos cætus ecclesiasticos, sacras audientes conciones, tanquam feræ bestiæ, cum explosis sclopettis irruerunt, multosq; immaniter, trucidaverunt. Ferunt Egmondanum paulò antè Brederodio discessum paranti, amplè fuisse pollicitum, reditum in gratiam apud Regem, Margarithamque principem, siquidem se, suaque, arbitrio regis permisisset, illum verò

abnutenem,

abnuentem, ejusque promissis minimè confidentem, deplorasse suam, sociorumq; fortunam, quod initio motus, omnium ferè civitatum procerumque studiis, contra catholicos pontificios, eorumque sacra concitatis, egregio equitum peditumque delectu per Germaniam à suis habito, primum illecebris, inde minis verborum, & armorum, Margarithæ Principis, ad honesto proposito, libertatis patriæ propugnandæ, Tyrannidisque Hispanorum profligandæ, stulte ipsi dejecti, atque omnino profligati, viderentur: Satis enim se, sociosque instructos fuisse, si conjunctas suas vires, non in statuas, imaginesque templorum disturbandas, sed in monachos & sacrificos ipsos, eorumque imparatos duces invadendos, intrepidi contulissent, neque adversarijs diem sese colligendi, armandiq; , distractis, infidisq; suorum studiis, cunctanter concessissent. Batenburgici & socij nobiles, qui præter plebeios, erant ad sexaginta, ex Viana & vicinis locis, fugitivi, quiq; alio navigiom Brederodium sequebantur,

Batenburgici Barones capiuntur & viluordum abducuntur.

essi in altum quoq; cursum biduo post destinabant, tamen prudente nauta gubernatore, cum non procul Harlingio maritimo, occidua Frisiæ oppido, Sabulosum in cumulum inuecti hæsissent, ab Mularto Arenburgici comitis, centurione, qui centurio eo in oppido cum cohorte militum in præsidio erat, apprehensi omnes, & Viluordum abducti sunt. Inde Viana ab Erico Brunsuicense occupata, confederatorum animos plane fregit. Itaq; Aurantius his rebus motus, audito Albani, delecti belli ducis apparatu, Catholicorum potentia cognita, multorum procerum & nobilium fluxam fidem & inanis vulgi inconstantiam detestatus, non amplius sibi ad urbem commorandum existimat, sed rebus suis compositis, magna prosequentium civium, aliorumq; lamentantium caterva comitatus, vigesimo primo Aprilis, secundum Æstigerum, Bredam suam in civitatem discedit, & paulo post in Germaniam proficiscitur, relinquens filium Philippum Guilelmum, tredecim circiter annorum adolescentem in Academia Lovaniensi, ubi eum putabat esse tutum: Hochstratanus, Lodovicus Nastovius, Culenbergicus comites, aliiq; non nulli proceres, nobilesq; secuti sunt.

Egmondanus

Egmondanus vero & Hornanus comites, qui partium protestantium fuerant, Margarithæ benevolentia gratiaq́; confisi, quod veluti pœnitentia ducti, & ad catholicam fidem redeuntes nullum sibi periculum metuerent, suis sibi in demandatis provinciis remanendum putaverunt. Mansfeldicus comes, quarto die post discessum Aurantij, exautoratis plerisq; civitatis ante conscriptis militibus, cum sedecim signis peditum Antuerpiam instat, quem paucis post diebus, Margaritha ipsa, cum quingentis equitibus comitata, sequitur vrbem ingressa statim jubet, singularum familiarum nomina earumq́; arma, quæ in ædibus deprehenduntur, describi, & edicto publico omnia vetera dereligione pontificia interdicta, repetitis omnibus eo pertinentibus ceremoniis atq; articulis instaurari, expulsis & Proscriptis non solum ecclesiarum ministris atq; eorum auditoribus, verum etiam consistorialibus, pauperum diaconis, & quibuscunq́; aliis omnibus, qui reformatæ doctrinæ functionem ullam habuissent.
Imo ipsa processionem, ut vocant, ecclesiasticam sacerdotalem, cum proceribus aurei velleris & nobilium magna pompa per vrbem suo comitatu præsens simul obiit. Amsterlodamum

damum etiam traiectum, & alia vicina oppida ignobiliora; receptis aliquot signis peditum, Erico Brunſuicenſe duce; ad Romana Sacra & regiam obedientiam redierunt. Hoc edicto propoſito, fit paſſim magna fuga omnium ordinum, Videre erat, ſenes, juvenes, nobiles, ignobiles, mulieres, pueros, mercatores, opifices, divites, pauperes, doctos, indoctos homines, ſacros & prophanos, magnis catervis, relictis Familijs, poſſeſſionibus & facultatibus, pro ſuo quemque habitu ac conditione, per itinera, ex oppidis pagisque vagari, quorum alij intercepti, flagris cædi, alij gladio jugulari, alij laqueo ſtrangulari, alij in furcam ſuſpendi, alij ignibus cremari, alij equleis torqueri, omnes tanquam rebelles & perduelles, patriæ, & pacis publicæ perturbatores, Varijs cruciatuum generibus, & mortibus affici. Cum autem eo in edicto, hæc clauſula diſerte adderetur, donec aliud in religionis negotio conſtituatur: Non nulli illud ad univerſalem Provinciæ ordinum conventum, in quo omnia ad publicam ſalutem agerentur, referentes, fugam ſiſtendam, & meliora expectanda putaverunt. Margarithæ etiam prætenſa lenitas & blanda promiſſa, de futuro Provinciali conventu, more

majorum

majorum habendo, multos in patria, spe bona retinuit. Sed exitus docuit, Albano duci severissimam executionem à Rege esse demandatam. Margaritha ultimo Maij, ad vicinos imperij ordines ac Provincias, gravissimas literas emittit, referens, quantam rebellionem seditiosi quidam subditi, per Belgiam contra Regiam Majestatem, seque instituerint quemadmodum contra juris jurandi fidem ac religionem, cum perpetua sui nominis infamia, atque ignominia ad arma proruperint, fana spoliaverint, monasteria, statuasq; destruxerint, ecclesiasticos homines violaverint, Quorundam procerum, nobiliumque domos, castraque vastaverint, omne genus scelus perpetrando, divina atque humana miscuerint, rem autem favente Deo, suaq; industria, eò perductam, ut plæraque civitates quæ defecissent, ad fidem obedientiamque regis, redierint. Jam vero se cognovisse, authores motuum, cum facti conscientia, supplicij vitandi causa, cum conjuratis profugerint, ipsorum in oppida, ditionesque concessisse, ac ibidem, eosdem minaces spiritus, motusque gerentes, consedisse: magnopere itaq; hortabatur, ne seditiosis istis ac perduellibus locum, hospitiumve ullum concedant, sed

Margarithæ literæ ad vicinas Imperij Germanici Provincias.

eos, quicunq; sint, cum familijs ac facultatibus suis é territorijs eijciant, advenientesq; prohibeant, ut rex sentiat, vetera vicinitatis ac amicitiæ jura, communemque pacem ac quietem ipsis curæ esse. Principes ac ordines protestantes Germaniæ, hac excitati fama, miserti cladis; qua suæ religionis homines, præsertim Principes viros, qui ipsos cognatione familiæ, atq; affinitate attingerent, per Belgium affligi fugariq; cognovissent, Paulo post ad Margaritham deprecatum miserunt: petentes ut religionis, quam profiteantur, cum divinarum literarum testimonijs, Sacratisque patrum Concilijs consentientis, ut humanitatis rationem habeat, ne doctrinam reformatam, quæ multiplices, in Romana ecclesia, inveteratos abusus, idolaq; corrigat, tantopere abominetur, ejusq; sectatores tanquam seditiosos ac hostes publicos, ferro ac igni persequatur. Quemadmodum autem seditiosis hominibus & templorum Violatoribus, patrocinari nolint, ita hominum vere piorum, quales non pauci sint, inter afflictos istos, salutem ac protectionem, sibi à Deo ipso ac natura esse commendatam. Itaq; cum sui sit muneris, miseris calamitiosisque hominibus, qui propter veræ religionis professionem affliguntur, ferre opem, non

Protestanti- principum Germaniæ intercessio, apud Margaritham.

ſuiſſe recuſandum, quia humaniter pro ipſis intercederent, Sperantes Margaritham Principem, eam prudentiam ac benignitatem adhibituram rebus moderandis, quæ & ipſi humanitatis & clementiæ laudem, & miſeris dolorum ſolatium ac levamen afferre poſſe videatur. Poſtremo Principum ac nobilium ex illuſtribus familijs prognatorum, rationem, ut habeat, vehementer rogant. Cæſar etiam Maximilianus, rogatu Principum, ea de cauſa ad Margaritham ſcribit, monens ne in innoxios homines absq; diſcrimine ſæviat, ſi qui forte ab alijs ſeducti, ſeſe motibus publicis miſcuerint, ijs reſipiſcentibus parcat, idq́; omnino agat, ut civilis diſſenſionis incendium absque civili ſanguine prudenti moderatione reſtinguatur. Ad hæc illa reſpondet, Authores mutatæ religionis, authores quoq; ſeditionis ac rebellionis fuiſſe, qua vniverſa Provincia concuſſa & propemodum everſa fuerit, in quos merito pro ſuo munere animadvertat, neq́; ſe quicquam injuſſu regis facere, cujus hac in re graviſſima extent edicta, quibus pro lubito edictis moderari, non eſſe ſuæ poteſtatis. Sextodie Junij, Arenburgicus Comes quatuor cohortes peditum, militem Germanum Groningam introducit,

Maximiliani Cæſaris interceſſio ad Margaritham principem.

Margarithæ reſponſio.

Anno. 1567.

interdicto civibus jam antea atque abrogato reformatæ religionis cultu, multam, Regis benevolentiam ac gratiam, illis pollicitus & condens, liberam securamq; suis cum familijs ac facultatibus remanendi potestatem. Permiserunt cives, suasu, rogatuq; quorundam de Magistratu, instauratum cultum divinum reformatæ religionis antiquari cum sperarent, ea ratione, præsidium, quod jam ante metuerant declinari posse, sed eventus docuit, vanam fuisse persuasionem.

LIBER QUARTUS

Dum hæc in Belgia geruntur, Albanus Regulus quem præsidem Provinciæ, in locum Margarithæ Principis motus componendi causa, creatum diximus accepto imperio, & delectu habito, cum duobus Friderico, & Ferdinando filijs & aliquot Hispanorum cohortibus, Barchinone solvens, mense Majo Genuam appulit. Cum autem navigatio, subortis tempestatibus esset turbulentior, esse jam senex, maris jactationem, cæ-

liq; intemperiem minimè ferens, in nauſeam primum, poſtea in febrim incidit, qua quidem febri Genuæ aliquamdiu ſubſiſtens laboravit. Interim majoribus delectibus, per Inſubriam, Italiamque habendis, occupatus, copias auget, Rex autem ibidem præfectis ſuis, Tribunisq; mandaverat, imprimis autem Parafano Neapoli, Carolo, Siciliæ, & Gabrieli, Guenæ, & Mediolani, Proregibus, ut ex præſidijs, undiq; coacto milite, quantum quidem res ferre poſſet, ad Mediolani fines Albano præſto eſſent. Itaque Guena, Hiſpanos omnes, atque equitatum, ad Allexandriam Paliuram convenire jubet. Albanus autem circa Duriam flumen, in agro Montisferato ſtativa habebat; ad eum Neapoli in caſtra venit Alphonſus villieus cum tribus millibus militum; ex Sicilia adduxit Iulianus Romerus cohortes decem, ex Inſubria, Sardiniaque etiam advenerunt magnæ manus, ductore conſalvo Bracamontio: multique alii præſtantes virtute & gloria rei militaris viri, & experti bello duces, quorum fortiſſimus, quisq; in obſequium gratiamque Regis, cujus ſtipendia jam multos annos meruerant, ſe huic militiæ ad extirpandos hæreticos Lutheranos, invadendamque nobiliſſimam Belgiæ provinciam,
 lubentiſſimè

lubentiſſimè aggregabant. Erant omninò veteranorum circiter novem Hiſpanorum millia, ſepties mille Itali, Allobrogum mille equites levis armaturæ, & quadringenti cataphracti, partim Regii, partim Ducis Sabaudiæ. Albertus Lodronius Comes veritus, ne ob repentinum tanti exercitus adventum, Belgarum proceres & fœderati nobiles, tota provincia excitati, cum validis copiis ſeſe opponerent, Albanumque fluminibus trajiciendis & ſuis finibus prohiberent, cum tribus millibus Germanorum peditum, & quingentis equitibus, Auguſtæ vindelicorum conſcriptis, ei obviam proceſſit. Proximum autem ab Albano Legati locum habebat, Chiapimus Vitellus Italus, deinde Gabriel, Serbellonius, armorum tormentorumq; magiſter. Fridericus etiam, Albani filius, Toletanus, prior, ut vocant, Melitanus, Sanchus Avila, præfectus Ticinus, Hercules Salinorum præfectus, & Johannes, Salaſar præfectus Palarmus, inter primos, ordines ducebant. Albanus itaque aliquantò pòſt confirmata valetudine, ad lævam Genua, in Allobroges, ſingulari ordine & diſciplina miltari, progreditur, ubi menſe julio, cum exercitu aliquantiſper ſub ſtitit: cognoverant enim, Margaritham,

regem

Regem certiorem fecisse, Belgarum provinciam, omninò à se pacatam esse: seditiosis partim punitis, partim captis, partim fugatis, majoribusq; civitatibus firmis præsidiis occupatis: ut si Hispanicus exercitus adoriretur provinciam, novi essent motus metuendi: Nam obscuurum non erat, Belgarum proceres & nobiles, ipsius Margarithæ persuasu, de non accersendis Hispanis, aliisve externis militibus, nihil reliqui fecisse ad summam diligentiam, ut provinciam quoquo modo tranquillarent. Certe multorum judicio habebatur, satis alioquin animorum & viriumBelgis fuisse ad resistendum, Hispanumq; militem omninò universa provincia arcendum. Regii etiam & maximè generosi esse animi rebantur, Philippum carissimæ bene meritæque sororis Margarithæ, singularem industriam & fidem, tot annorum agnoscendo, tam maximoram laborum præmiis non fraudari neque alienum in ejus laudum, honorumque participationem inmerentem venire, ullo modo passurum. Verum, Rex sororis memoriam cum benevolentia alto silentio conservans, nunc aliter, de Belgio statuit: jubens Albanum in itinere progredi: quo rectius sentierunt ii, qui existimarentt, regios purpuratos hanc

jam pridens quæſitam vi atq; armis occupandi, & in formam regni, tanquam jure belli, redigendi nobiliſſimam provinciam, occaſionẽ tandem nactos eſſe. Progreſſus itaq; Albanus, ſeptem miliaribus ſecundum Genevam, præſidio, & Helvetiorum amicitia jam ſatis confirmatam civitatem, per Burgundiæ & Lotharingiæ fines, verſus Luxemburgum & Namur, cum iter inſtituit, ubi junctis copiis cum Alberico Lodronio Oberſteinio, & Ottone Schawenburgio Comitibus, qui & ipſi egregias manus equitum & peditum Germanorum ducebant Didenhovium, olim Theonvillam dictam, primum iis in finibus Belgarum oppidum, cum omni exercitu, qui jam circiter viginti millium nongentorum peditum equitumq; erat, ſe intulit. Vbi etiam, ut ex longo laborioſoq; itinere reficeret militem, potiſſimum autem, ut Belgarum conſilia exploraret, aliquot diebus ſtatiua habuit. Ad famam autem tanti advenientis, exterarum gentium excercitus, & veterani feroci ſq; Ducis apparatum, magna Belgas perturbatio cepit. Nam & ſi iis conjunctis, remq; communem fortiter agentibus, difficile non fuerit, eum vel etiam majorem exercitum repuliſſe, patriamque defendiſſe, tamen
quia

quia & magnificis Margarithæ promiſſis, & regis ipſius blandis humaniſſimisq; literis, denique diverſis vel odii vel amoris, vel etiam religionis, pro ut quisque erga aulam Hiſpanicumq; conſilium ferebatur, ſtudiis diſtrahebantur, non parum virium ſuarum robur debilitarunt, & adverſariis intra extraq; provinciam, ſpatium ſeſe colligendi armandique dederunt. Acceſſerunt occultæ cauſæ, quæ in abditis fatorum ſunt, divinæ, quod qui reformatæ religionis videri volebant, neq; oris confeſſione, neq; vitæ inſtituto, ſacræ doctrinæ, nominiq; divino reſpondebant, ut tandem evenerit, quod evenire neceſſum fuit, ut potentioribus & fortioribus quibusq; proceribus, re deſperata, vel maturè ex provinciæ diſcedentibus, vel regis, Albanique partibus ſeſe aggregantibus, vel etiam, ut ajunt, inter ſacrum & ſaxum, ſpetamen bona fluctuantibus, facilem aditum in in patriam, ſæviſſimo hoſti dederint. Præſertim cum jam antea, qui in patria remanebant, tàm catholici, quàm proteſtantes, eas quas habuiſſent, paucas copias dimiſiſſent, & brevi temporis ſpatio, novus peditum equitumque delectus, qui Alband opponeretur, haberi non poſſet. Itaq; præſtare judicabant, omiſſis armis adventum Ducis quietos expectare,

ces hominum vanitatem, qua omnia præter opinionem sibi accidisse querebantur, rebus omninò desperatis, supellectile præmissa, in Germaniam paulò antè migraverant, jam tum recoquentes consilia de provincia aliquando recuperanda, atque ab Hispanorum tyrannide vindicanda. Scribit Aurantius in apologia adversus Philippum regem, se apud Henricum Galliæ regem Philippi nomine, pacis tractandæ causa commorantem, ex ipso Henrico, Albani improbum sanguinariumq; consiliùm cognovisse, quo consilio, qui suspecti de religione essent, non solum ex Belgia, verum etiam ex Gallia, Germania & orbe Christiano universo, ejecti extirparentur. Quo ex Sermone, se tot tantorumq; innocentium hominum, qui cædibus & rapinis destinati erant, universæque provinciæ fortunam, tunc miseratum esse, & commotum, ut pro sua fide, qua Reipub: sit obstrictus, de patria ab Albani tyrannide, & Hispanorum iuquisitione vindicanda, cogitarit: Imo, inquit, si ordinis equestris mei collegæ, & concilium ordinum, tunc meæ sententiæ subscribere maluissent, quàm animos & Corpora sua, quasi venalia, prostituere, certè nunc non modò fortunis, sed corporibus etiam no-

stris,

ſtris, Albano atque Hiſpanis omnibus, aditum in Belgiam obſtruxiſſemus. Albanus Bruxellas ingreſſus, mandata ſua cum Margaritha principe primùm communicat, & de provinciæ ſtatu deliberat. Illa rem omnem, quid toto adminiſtrationis ſuæ tempore egerit, quæ Geuſiorum machinationes, qui conatus, quæ provinciæ pericula fuerint, edocet, rationesq; ſedati tumultus demonſtrat: monet pacem & concordiam benignitate & clementia deinceps poſſe conſervari, neq; ea ratione quicquam ab Aurantio cæterisque principibus & proceribus, tam præſentibus quàm abſentibus, eſſe metuendum. Ille verò ſentiens, Margarithæ conniventia & indulgentia, rem provinciæ eſſe turbatam, longè alia ratione ſibi agendum exiſtimat, & Bruxellas convocatis proceribus & Belgarum ordinibus, oſtenſoque & typis impreſſo amplioris poteſtatis diplomate, ſuæ legationis fidem facit, qua ſummus belli Dux in creandis movendisq; proviniarum præfectis & magiſtratibus, tum ad omnia pro arbitrio bello & pace adminiſtranda, univerſis Belgis juſſu regio, cum imperio præeſſet. Et ſi autem ille aulam ſedemq; regiam antiquam Margarithæ permitteret, aulam verò ſuam in Domo Comitis Culenburgii celebraret, tamen cum Margaritha eum ſolum rerum potiri, ejus

ſolius authoritate & nutu, ſe in conſulta, cuncta fieri animadverteret, cœpit de abdicanda administratione, quæ nulli amplius uſui eſſe videretur, cogitare. Albanus autem copias ſuas per vicinas civitates circumcirca ita diſtribuit, ut præter militũ Inſubrium præſidium, quod Bruxellis habebat, Legiones Hiſpanicas Neapolitanas Gandavi, Legiones Comitis Lodronii Antuerpiæ, & alias alibi poneret, quò dicto audientes, bidui vel tridui ſpatio vel ad pugnam pugnandam, vel ad iter prorogandum vel ad alia munia militaria expedienda, ad claſſicum omnes in pro cinctu eſſent ac parati. Porrò civitatibus claves portarum eripuit, caſtrum novum munitiſſimum, Paulò pòſt, inſtar arcis Mediolanenſis, Antuerpienſibus imponit, Catolicæ Romanæ religionis, Hiſpanicæq; inquiſitionis obſervantiam mandat, ſimul etiam novum concilium, quod ſanguinarium vocant, conſtituit, lectis duodecim viris rerum capitalium, qui religionis ac rebellionis cauſas inprimis cognoſcerent, vitæ & necis haberent poteſtatem. Quanquam primò adventu, Albanus clementiã ſimulando, videri nolebat, quenquam propter præteritos Capitis arceſſi motus, ſed ſtudebat populo perſuaderi veniã præteritorum delictorum, commiſſæq; hæreſeos, à rege conceſſam, quò facilius proceres, in primis autẽ princeps Concilii Iohannes Vergas,

natione Hispanus, homo indoctus & ferox, propter trux ingenium, & Barbaram crudelitatem tunc acceptus, sed qui apud Hispanos ipsos in patria antea infamis, loco motus, &, ut nonnulli volunt, propter suæ pupillæ consanguineæ illatum, incestũ in exiliũ etiã fuerat relegatus. Is initio quidem, velut unus de reliquis, cum collegis consilia communicare, sententias rogare, judicia in specie legitima exercere, paulatim verò seorsim agere, atq; in consultis contemtisque collegis, neque expectatis suffragiis, capitales sententias pronunciare, vita fortunisque pro arbitrio quemque privare. Cum autem plerique consiliarii hujus conciliabuli, ipsi grassantem tyrannidem ferre non possent, eosq; istius sui consessus palàm puderet, tandem ex duodecim viris ad quatuor, imò ad triumviros res recidit, ut ex quorundam capitalium decretorum subscriptione patet.

Jam verò id judicum omnia alia consilia judiciaque provinciarum ordinaria, expresso interdicto abrogavit. Imo ipsi magistratus, & aliorũ tribunalium judices, Nobiles, ignobiles sacri, prophani, cujuscunque ordinis citati, se huic judicio sistere coguntur, quod octodecim legibus distinctum sub uno crimine læ-

ſæ Majeſtatis, omnes comprehendit, ut difficile ſit, quenquam qui quocunque modo accuſatur, non irretitum teneri. Nam non ſolum eos principes, proceres & nobiles & quoscunque alios, qui Margarithæ, regique de novis Epiſcopis abdicandis, Inquiſitione vel tollenda, vel mitiganda, decretorum ſeveritate ſuſpendenda, ſupplicaſſent, verum etiam eos, qui ſupplicantibus vel conſenſiſſent, vel eos non reprehendiſſent, qui ſacras proteſtantium Conciones permiſiſſent, iconomachis & rebellibus pro viribus non reſtitiſſent, ejusdem criminis re os univerſos pronunciabat, vita fortunisq; privabat. Ejusdem notæ cenſebat eos, qui iſtud judicium non pro legitimo judicio haberent neque ſentirent, judices, ſolutos privilegiis & immunitatibus provinciæ obſervandis, quæ fons & origo omnium turbarum & corruptelarum fuiſſent, de omnibus criminaliter & civiliter poſſe decernere, quiq; non ſentirent etiam privatis hominibus, tempore belli licere, Hæreticos, eorumq; liberos & amicos, intra vel extra mænia quoq; loco interficere. Deniq; damnabant eos qui non ſentirent, in crimine hæreſeos, pro hoc tribunali, omnibus accuſatoribus, cum duobus tantum teſtibus,

fidem

fidem adhibendam, ut ad vitæ fortunarumq; amiſſionem ſine figura judicii, ac ſtrepitu contra reum procedatur. Ex hoc fonte hauſta eſt ſententia regis, qua ille per inquiſitores, Belgas univerſos, exceptis admodum paucis, execrandæ hæreſeos & imminutæ Majeſtatis damnavit, & per Albanum Ducem, primores provinciæ principes & nobiles, cum optimis quibusq; omnium ordinum ſubditis, ultimo ſupplico devovit, ut latius ſuo loco dicetur. Itaque denuo paſſim miſeri mortales per Belgiam affliguntur. Novi civitatum Decuriones, & reliqui ex formula magiſtratus creantur. Multi qui propoſita ab Albona ſpe veniæ, poſt Margarithanam cladem, paulatim veluti poſtliminio in patriam redierant, ex improviſó capiuntur, alii fuſtibus cæduntur, aliis cervices præſcinduntur, alii igne cremantur, alii aquis immerſi ſuffocantur, alii laqueis jugulati patibulis affiguntur, alii alio genere mortis, exquiſitis tormentis, ut antè diximus, multùm diuque vexati, trucidantur. Cum inquiſitores his armis concilioq; animati, rerum ſuarum ſatagerent, interim Albanus, ne Egmondano, ſi ipſius forte conſilia olfaceret, receptationis locus daretur, claves urbis Gandavenſis ac-

cerſit,

tersit,& arcem centurioni Hispano Alphonso, imposito præsidio tradi postulat. Egmondano autem Comiti, Flandriæ præfecto, allatis Gandaviensium, de ablatis, clavibus & imposito præsidio, querelis, pro iis multum diuque deprecanti, offensus tandem, id responsi dedit, se, quæ faceret, ex dignitate Regis facere, videret ipse quid faceret, quidque solicitaret, eumque paulò pòst concilio egredi jubet. Egredientem excipiunt Albani filius, Fredericus, cum duobus Hispanis nobilibus, equestris ordinis, eique in locum secretiorum seducto, annunciant, ut mandato Regis, deposito gladio, se captivum sistat. Ille nuncio inopinato percussus paulisper constitit, postea sese colligens, respondet, se esse ordinis aurei velleris equitem, qui nemini mortalium, nisi ipsi regi, arma sua tradere teneatur, paucis innuens rerum suarum pro rege patriaq; benè & feliciter gestrarum memoriam, sperare, non illiusmodi suorum fore laborum præmium. Illis tamen mandatum urgentibus, & minitatibus etiam, tandem pugionem & gladium quo accinctus erat, ipse tradit, captivusque in vicinum conclave, ad id splendide paratum deducitur atque asservatur. Idem paulò pòst Hornano

Comiti accidit. Alii narrant, eos primùm convivio ob Albano exceptos, opipareque tractatos, inde in vicinum conclave, ab ipso tanquam de rebus arcanis locuturo, fuisse deductos, eo in conclavi Fridericum cum Hispanis præstolantem accessisse, iis de latere abripuisse gladios, exprobandoq; rogavisse, nunquid istis armis Rempub: defendissent. Fiunt hæc, eadem in domo Culenburgica, decimo nono Septembris, ubi antea protestantium conventus habuerant, fœdusque ferierant. Capiuntur etiam eodem die, ipsorum consiliarii & scribæ, comprehenditur & Johannes Stralius prope Antuerpiam, vir magni nominis inter Belgas, consul Antuerpiensis, Bruxellasque à Lodronio deducitur, cujus quidem facultates præsente Lodronio, aliisque illustribus viris, statim omnes consignantur. Egmondanus autem & Hornanus Comites in arcem Gandavensem, præsidio trium millium Hispanorum, præfecto Ieronymo Salineo Bruxellis, summo omnium cum dolore, captivi, vigesimo secundo Septemb. deducuntur. Erat triste spectaculum, videre viros principes, clarissimos Belgarum proceres, quorum in salute ac dignitate, salus Reipub: hactenus ferè constitisset, ambos vir-

tute & opibus, populique gratia florentissimos, jam ab Hispanis militibus, tanquàm patriæ proditores, duci, omniumque ordinum innoxios homines, sine discrimine comprehendi, vita fortunisque mulctari. Itaque major quàm unquam antea passim excitata Fuga nobilissimi & optimi quique in Angliam & Germaniam, aliaque tuta locà agminatim migravere, qui ad triginta hominum millia fuere, ipsorum bonis proscriptis & publicatis. Eá veró sævitia cum vniversis terrori, tum præcipuis etiam Regijs administris ac veteribus Consiliarijs acerba accidit. In queis Viglius Zuichemus Regij Concilij præses, vir propter ætatem, & maturam eruditamq; prudentiam magnæ authoritatis, in hunc fere modum Albanum allocutus esse diciturEquidem Dux Ferdinande, cum primum audirem te Provinciæ præsidem designatum, qui lôco Regis, res perturbatas sedares, Provinciamque componeres, magnam cæpi voluptatem, quod vir insigni virtute, eximia rei militaris scientiâ, tum authoritate ac felicitate singulari, præditus, quas res, summo Principi ad esse oportere, sapientes censuerunt, ad Rempublicam gerendam, hoc maximé formidoloso tempore, accessisses; qua

Viglij oratio ad Albanum de moderatione.

in re augebat etiam meam lætitiam, quod inter regios duces, te maxime haberemus, qui reliquis tuis eximijs, memoratisque virtutibus, egregiam etiam harum regionum, quibus præesses, peritiam, ex antiqua earundem consuetudine notitiaq; contractum, cum Caroli Cæsaris, & Philippi Regis auspicijs, hisce in finibus militares, tanquam cumulum attulisses. Quam tuam Belgicarum rerum notitiam, singulari sermonis affabilitate, qua omnes ordines, Belgicè id est patria lingua affari soles, præclare condiebas. Itaq; ubi obviam, cum Regio exercitu adventanti, gratulantes processimus, intrantemq; summo cum honore deduximus: indubitata spe te & tuapte ingenio, & virtute, & prudentissimorum virorum, Veterum consiliariorum, qui in fide Regis permanserunt, consilio & studio, quemadmodum Cæsar parens, Philippusque Filius, praeclare fecitarint, ita rem Belgicam administraturum, ut si quid a non nullis peccatum fuerit, eorundem potius castigatiore, quam aliorum in nocentum sanguine lueretur: & incendium quod paucorum conjuratione sit excitatum, eorundem

potius

potius pœnâ, quàm Reipublicæ Vniversæ jactura, & propè ruina extingueretur. At verò nunc videmus, innocentissimum quemque ad supplicium trahi; neque tam crimen, quàm criminis suspicionem, atque occasionem quæri. Cujus quidem rei culpa non tibi, Dux illustrissime, sed quibusdam Consiliarijs nuper natis, tribuitur. Per illos enim judiciorum ratio immutata, per illos Veterum purpuratorum, qui regi, Regioque per Belgas Concilio, multos nunc annos fidelem, constantemque operam Indigenæ præstiterunt, viri sapientia & virtute eximij, authoritas imminuta est. Vergas solus cum sanguinario suo consilio, rem gerit, citat exules, inauditos damnat, non legitimam defensionem, vel provocationem admittit, sed contemptis Legibus, immunitatibusque provinciæ, omnia agit pro lubitu, ut non tam hæresim extirpare, quàm aliorum facultates invadere; neque tam Regis Provinciæque salutem ac dignitatem, quàm sua commoda, locellosque spectare videretur. Profert quidem se Regium Fiscum; hæreticorum & exulum facultatibus,

ditaturum, unde etiam ob levem culpam, si interdum culpa vocanda est, nulla habita ratione æquitatis, nulla temporis, plurimorum facultates proscribit. Sed non considerat, quod eorum bona, multis & orphanorum & Cænobiorum, & hospitalium, mercatorumque nominibus obærata, atq; implicata sint. Vt solutione multorum impedita fides passim apud omnes concidat, Non enim possunt una in civitate multi rem ac fortunas amittere, ut non plures secum in eandem calamitatem trahant, unde & contractuum negotiationes, & vectigalia regia, quæ cum illis debitis sunt implicita, labefactari, & pleraque civitates, in quibus sunt, mercatorum emporia, nerui Reipub: desolari necesse est. Iam verò, cum ita sine discrimine, in cujusvis possesiones atq; corpora sævitur, solent exules, qui extorres patria profugerunt, tum etiam ij, qui remanserunt, efferari animis, & tandem desperati in extremum ruere facinus. Ut etiamsi postea illis spes Veniæ á Rege, regijsq; administris offeratur, ut sunt humanarum rerum vicissitudines, nihil tamen pacifici sibi persuadere, nihil, quam inimicum atq; hostile, adversus regem atq; provinciam cogitare possint. Itaque exules domo Fortunisque

que privati, alij comparata classe, Pyraticam exercebunt, alij contracta manu, populationes terra facient, alij collectis peditum equitumque copjis vicinorum Principum, amicitia fœderibusque nixi, ita infectabunt Provinciam, ut majus Rex detrimentum, ex prædis & vastationibus exulum, quam ex quorundam suorum, male sano sæuoque regimine, commodi, sit capturus. Quin etiam tandem fidi Regis, subditi, in patria remanentes, partæsi sævitiæ, misertique suorum propinquorum, eos clam ope, consilioq; iuvabunt, ut tandem fortassis illi, oppressis adversarijs, sua repetentes, conjunctis suorum operis, formidabiles, in patria motus, (quod Deus avertat omen) sint facturi. Pleni enim sunt omnes libri, plena exemplorum Vetustas, plena etiam nostra talium bellorum, vicissitudinumque secula. Nullum enim violentum, diuturnum, & optimum firmissimumque imperium est, cives moderata prudentia ac beneficio, quam inconsulta sævitia in officio continere. Quid igitur? placetne, nullas esse hæreticorum pænas, nulla seditiosorum supplicia? minimé, sed prudentem moderationem adhibendam, vergam certis legibus cohibendum, veterem Iudiciorum ra-

tionem revocandam censeo, ne insontes cum sontibus plectantur, neque Respub: universa immeritis pœnis, involuatur, & interitum præcipitetur. Cæterum aut me animus fallit, aut ego existimo, quantum quidem mihi ex veterum Sapientum & jurisconsultorum monumentis assiduis studijs confirmato & in gravissima Reipub: administratione tot per annos versato, in hac mea gravescenti ætate cognoscere licuit, hanc quam dixi Belgiæ, communis patriæ administrandæ, in hoc tempore, in primis habendam esse rationem. Quæ de Repub: pro mea consuetudine, & fide qua Regi & patriæ sum obstrictus, breuiter simpliciterq; dixi, ea spero Illustrissime Princeps, in bonam partem à te esse accepta, quæ ut clementer, prudenterq; consideres, te pro tua singulari prudentia, ac humanitate reverenter oro.

Hac finita oratione, Albanus, nihil dum in consessu respondit, sed paulo post concilio dimisso, grauiter cum Viglio seorsim expostulasse, ejusq; dicendi libertatem ægre tulisse dicitur, Sub idem tempus exeunte Decembri, bellum in Gallia recruduit. Nam Gallus, cognito Albani in Belgiam adventu sex millia Helvetiorum, celeriter

Anno. 1567.

conscribi

conſcribi & copias undiq; colligi juſſit, ſpecie quidem reſiſtendi Hiſpanorum copijs, ſi forte impetum ſuos in fines facturi viderentur, revera autem ut eodem tempore, Hugnotos reformatæ religionis chriſtianæ cupidos, jam quieſcentes, oppimeret, quo Hiſpanus ſuos Geuſios debellaturus eſſe.

Quod ejus conſilium clam eſſe non potuit, cum paulo poſt à Philippo Rege, contra Hugonotos, ſuppetias petijt, ac impetravit, mittente Albano Arenburgicum Comitem, cum duodecim turmis Belgarum equitum, & duobus millibus peditum ſcloppetariorum quorum dimidia fere pars ex Belgis voluntarijs militibus Tyrannidem Albani fugientibus conſtat. Equites ferebant, in vexillis inſignia, pro ſymbolo, binas armatas manus, cerulea ex nube protenſas, duabus nigris nubibus cinctas, duos gladios decusſatim poſitos, duoq; corda cum duabus Regijs coronis nodo amatorio colligata, cruceni, calicemque cum hoſtia; ſenſus dabat; duorum potentiſſimorum regum pro Catholicæ Chriſtianæ regionis propugnatione, conjunctas vires & concordiam,

 Hugonotorum

Hugonotorum exercitum princeps Condæus ducebat, qui etſi numero militum, & apparatu bellico, longe inferior rege habebatur (vix enim ſextam partem eius exercitus æqaure dicebatur) tamen acerrimo conflictu, ad Sanctum Dionijſium, decimo novemb. Habito, is fuit eventus, ut vtrinque multis deſideratis, pari Marte diſceſſiſſe viderentur. A Regijs verò Conneſtablius Galliæ, inter cæteros magnates occidit. Deinceps verò non quieſcente rege, Condæus, Iohannem Caſimirum Palatinum, cum firmis Geram anorum copijs accerſit, Charterium civitatem obſidet, & tandem tertio die Martij ſequentis, ad pacem regem compulit. Quæ ſecunda Galliæ pax appellatur, & Aprili menſe publicatur. His diebus naſcitur Leodij, infans biceps, quatuor oculorum, & aurium pedum ac manuum, ſe mutuo complectentium, ventre uno, divinabant quidem, fæderum frequentiam & concurſationem populorum. Interim Albanus, cum jam antea ut diximus caſtrum Antuerpiæ poni juſſiſſet, audiens bona ex parte exædificatum, quadringentis equitibus Comitatus, eo proficiſcitur, relictis copijs, circa Bruxellas. Ibi cum eſſet, armamentarium, Mechlinienſe, in quo aliquot vaſa tormen-

tarij

tarij pulueris afferuabantur, fortuito incendio conflagravit, quod incendium eos omnes qui intus erant, tum vicinum Molendinum abstulit, neq; præterea detrimenti quicquam dedit. Castrum autem illud à Pacchiotto Sabaudo nobili architecto, forma quincunci, ex lapide Cæsio, magno, quadrato, præclarissimi ingeniosissimiq; operis conditum, Eo deniq; ex lapide, intus extraq; quinq; angularibus propugnaculis latissima & profundissima fossa circumquaq; est cinctũ, quæ quidẽ fossa per canales, ex proximo Schaldi flumine ductos, prout usus requirebat, vel ad summũ aqua impleri posset, vel prorsus evacuari. Eo in opere duo millia fossorum, præter reliquos cæmentarios lignariosq; fabros, quotidie per aliquot menses laborabant. Ita præterea erat amplum, ut multa millia præsidiariorum militum, omnisq; generis Bellicorum tormentorum, terrestrium navaliumq; apparatũ caperet. Quadringenta enim ænea tormenta curulia, præter alia minora illic expedita visebantur, ut non solum Antuerpiæ opulentissimæ civitati, verum vniuersæ Prouinciæ Belgicæ hanc arcem in expugnabilem, cui parem in Europa, vix reperias, tanquam perpetuæ servitutis jugum imponendam judicaret. Ex quinq; vero Arcis propu-

naculis, quatuor, suis, unum Verò Architecti nominibus nuncupari voluit. Ut primum Ducis, alterum Toledi, tertium Ferdinandi, quartum Toletani, quintum Pacchiotti nomine Vocaretur. Imperavit deinde Antuerpiensibus, quater centena millia aureorum numorum, partim in exædificationem Arcis, partim in stipendium militum, sumptusque alios bellicos expendenda. Inde Bruxellas est reversus. Atque hic annus ad hunc modum est finitus. Quemadmodum Protestantium Duces, relicta Belgia in Germaniam rebus desperatis, in adventum Albani discesserunt, paulò suprà diximus. Itaque Aurantius Princeps in avita Nassoviorum arce Dillenberga se continens, simul & Hochstratanus, Ludovicus Nassovius, Bergensis & Culenburgicus, Comites, Brederodius & socij, in diuersis Germaniæ locis commorantes, decimonono die Januarij, Anno Christi Servatoris, supra mille quingentos, sexagesimo Octavo, à regio Procuratore, ut vocant, Brabantiæ, solenniter, ut fieri solet,
568. Bruxellis, publica Fecialis voce, clangoreque tubæ, citantur, ut sese ad quinquagesimum quintum sequentem diem Bruxellas coram

Ferdinando

Ferdinando Albæ Duce Accusationi sistant, indicta mulcta, nî compareant, omnium facultatum. Ea Citatio formula edicti palam proposita, Initio commemorat, quo studio ac benevolentia, tum Cæsar parens, tum ipse Guilelmum Nassouium Aurantiæ Principem, sint prosecuti, quantis honoribus auxerint, ad quantum splendorem atq; dignitatem promoverint, ut is non solum in equestrem aurei velleris ordinem, senatumq; regium lectus, verum etiam Burgundiæ Hollandiæ, Zelandiæ, Traiecti, amplissimarum provinciarum administratione, præfecturæque liberalissimè honoratus sit. Quàm veró ingratè, se ille erga tot tantaque beneficia gesserit, quàm infideliter sibi à Rege demandatas provincias administraverit, non esse obscurum, cum neglecto fidei sacramento, quo Regi sit devinctus, nulla ratione suæ existimationis habita, fuerit Antesignanus, Dux & Author eorum motuum, qui hisce temporibus per Belgiam passim acciderunt. Etenim inquit Rex, discedente me in Hispaniam, statim ille universæ Brabantiæ administrationem tentauit,

Citatio adversus Aurantium et Socios.

sibi

ſibi ſubijcere; conatusq; eſt multis habitis ſuorum conuenticulis; clandeſtinisq; conſilijs, vi atq; armis in me inſurgendo, de-populari provinciam, qui conatus ſola ejus impotentia ac debilitate virium; fracti ſunt ac retardati. Quin etiam, pro virili ſtuduit, fideles meos ſubditos, à fide obſequioq; meo abducere, quam fidem, mihi majoribusq; meis, antiquis Belgarum Principibus, difficillimis temporibus, ſummam ſemper praſtiterunt. Atque hæc omnia palliat ſpecioſo illo, & dulci religionis & libertatis titulo, Spargendo me Hiſpanicam Inquiſitionem, in Belgiam introducturũ, Cui ſane inquiſitioni cunctos Belgas, manibus, pedibusque obuiam ire, ac repugnare oportere. Nobilitatem etiam, magna ex parte ad conſpirationem adverſus me, concitavit, tum Bredæ ſuo in oppido, tum Bruxellis, ubi ſe ſuosque, novis fæderibus contra me animavit, Quibus fæderibus Henricus Brederodius nixus, tanquam dux & caput reliquorum, ope conſilioq; Aurantij, Vianam oppidum ſuum, adverſus me communivit, Nam in hunc uſum Aurantius ei, & militem Antuerpiæ, adverſantibus meis regijs interdictis, collectum, & tormenta aliquot bellica terra, navique Vianam tranſmiſit.

Iam

Iam verò eó eſt audaciæ progreſſus, Aurantius, ut aliquot oppidis, præſidijs meis Regijs interdixerit, Et cum iam Antuerpiam, ad motus ſedandos ablegatus iret, præter mandatum omnis generis hæreſes, introduci, templa hæreticorum ædificari, Conſiſtoria haberi, ſtipem ad militum ſtipendia colligi, aliaq; id genus facinora, non ferenda, perpetravit. Quare cùm graviſſime in me, delinquendo graviſſimam pænam meruerit, edico univerſis & ſingulis, ut ſatagenti, litis in eum procuratori, pro ſe quisq; adſit, operamq; dent, quò Aurantius ſi comparere nolit, comprehendatur, & Albano cognato, fideliq; meo commiſſario, cui in primis, hæc eſt demandata Provincia, actioni ſiſtatur; quo meritas tandem ille facti ſui pænas luat. Sin autem comprehendi non poſſit, pæna privationis omnium bonorum, ſimpliciter & ſine Solenni Cæremonia, jure militari contra eum procedatur. Anthonius etiam Laicanus, Comes Hochſtratanus, ad eundem feré modum, eſt citatus.

His diebus Albanus Aurantij filium primogenitum, Philippum Guilielmum, comitem Buranum, tredecim circiter annorum adoleſcentem, Lovanij literarum ſtudijs in-

combentem

Carolum Quintum Cæsarem, quandoq; inter amicos cum hujus ce rei sermo, forte incideret, per iocum dixisse, si Belgia regnum vocandum sit, Leonum regnum vocandum esse, propterea, quod fere omnes provinciæ suis in signibus, Sigillisque Leones usurparent. Deinde certam religionis Catholicæ, formulam, ad quam cuncti teneantur, non quidem in quisitionis Hispanicæ nomine, propterea, quod nomen illud perquam sit odiosum, sed ejusdem argumenti esse promulgandam. Ad hæc per singulas Provincias, Episcopos tanquam summos religionis inspectores esse constituendos, homines, cum Doctrina, tum vitæ integritate conspicuos, qui suis assidui inhærerent provincijs, cum absentia eorundem, non minimam causam horum motuum, præbuisse videretur: ut universales Provinciarum Conventus, quos generale ordinum Concilium vocant, aboleantur, tanquam rebellionis, seditionisque fomites, quemadmodum imprimis Antuerpiæ, Amsterodami, Valencenæ, alijsq; in Civitatibus accidisse constat: ubi subditi suo Regi ac Principi pro lubito, illis in concilijs leges præscribere, imperareque consueessent: Vt rex singulis in oppidis, ac Urbi-

bus, certum hominem, tanquam ſuum legatum conſtituat, impigrum & virtute præſtantem Virum; qui Civitatum adſit Conciſijs, ut quorum interſit, Regem ſubinde faciat certiorem: Ut idoneis in locis, in primis autem in opidis, in finibus Provinciarum poſitis, arces, munitionesque, cum præſidiario milite, ad coercendam multitudinem prudenter diſponantur. Vt Rex ex mediterraneis Provinciæ oppidis, omnia tormenta bellicumq; apparatum ſublatum, in fines præſidiariasque civitates transferat: Ut armamentarium Mechliniæ urbe Brabantiæ, quæ in medio eſt regni Belgici, exſtruat loco maximé idoneo, ubi nunc eſt Monaſterium Sacrarum Virginum, quod quidem Monaſterium, cum & natura munitum, & loco peramplum ſit, tolerabili ſumptu, in capaciſſimum, muniriſſimumque omnis generis terreſtris, navalisq; belli apparatus, atq; armorum promptuarium, quod cum inſtructiſſimis Europæ armamentarijs, Veneto, Pariſienſi, & Turcico Conſtantinopolitano, facile comparetur, exædificari poſſit: Magnum ſané Regi futurum præſidium ac propugnaculum, ad exercitum Septuaginta vel Octuaginta millium inſtruendum, non ſolum contra externam

boſtium

hostium vim ac conatus, verum etium intus adversus conspirantium populorum ac subditorum; motus ac seditiones. Atque hoc etiam eó futurum facilius, quod Belgicam gentem; magis splendore vestium, instrumentique domestici; ac epularum delitijs luxuriantem, quam armorum usu, peritiaq; exercitatam vel instructam videamus; Iam verò Rex ad exemplum vicinorum Regum, egregiam classem armatam, & ad bellum instructam semper habeat. Quæ pace belloq; maritimas Provinciæ oras legens, onerarijs classibus & negotiantibus, conrra prædonum Anglorumque rapinas, atq; injurias, expeditis viribus sit præsidio: aliter enim hisce in terris, quo opulentissimi mercatores, ex præcipuis Europæ partibus, confluunt, nec mercimonia feliciter exerceri, nec refertum prædonum mare, securé navigari, nec portus Belgicos, quibus vitam & Spiritus hi populi ducunt, tuto peti, haberiq; posse. Et quidem istam classem, eorum bonorum sumptibus, quæ susq; deq; mari aduehuntur atq; exportantur armari posse, cum multos nunc annos, varij generis preciosa mercimonia, quorum iactura etiam nunc sentitur, navigantibus Belgis, á Prædonibus per vim ab-

exaſperari oportere. Aurantius veró & Hochſtratanus ad promulgatam citationem, quod ita ex uſu & dignitate ſua rebantur esſe, prolixé reſpondent, ab initio ſerme repetentes rerum Belgicarum hiſtoriam, qua omnem perturbatæ Provinciæ culpam, à ſe in anthores, fautoresq; Hiſpanicæ introductæ inquiſitionis referunt. Equidem inquit Aurantius à principio meæ adminiſtrationis, ſemper operam dedi, ut ſedatis turbis, res Brabantica pacata eſſet atque tranquilla: repetamus ſuperiorum temporum, ante has turbas, memoriam Carolo V. Cæſare, & Philippo rege ſucceſſore, quæ bella perdecem propemodum annos, poſtremum cum Galliæ Regibus geſſerint, quot cruentas pugnas pugnaverint, quot millia Belgarum perierint, quot oppida caſtellaque hiſce in finibus, expugnata ſint atque everſa, ita quidem ut & multi etiam fideles Regis ſubditi, relicto ſuo Principe, in Peregrini, viciniique Regis tutelam ſe conferre, eique Sacramentum dicere ſint coacti. Hæc belli tempora, hi fructus armorum tunc fuerunt: Pax tandem jam dui expectata, facta eſt; Cum Belgarum civitates commercijs,

Aurantij & Hochſtratani defenſio.

alijsque

alijsq́; pacis artibus iterum florere, & paulatim ad priſtinum redire decus inciperent, iamq́; in vicino Galliæ regno reformatæ religionis doctrina pullulaſceret, iu Belgiamq; tranſiret. Ecce mox hi populi, Hiſpanicæ forma inquiſitionis, aliquot annos admodum ſunt gravati, ut ſané mirandum ſit, in iſta purioris doctrinæ propagatione, eos tam diu illam perferre, inquiſitionem potuiſſe. Attamen priſtinam fidem ac benevolentiam tam nobiles quam populares, domi, militiæq; deinceps, ſemper Regi conſtanter præſtiterunt, vitæ fortunisq́; ſuis, pro Regis ſalute atq́; dignitate, minimé parcentes. Ingentem enim atque incredibilem pecuniarum vim, ad variorum bellorum ſumptus, non ſemel contribuerunt, omniq́; ære alieno Regem liberârunt. Itaque Rex ope ſuorum, tandem hoſtibus ſuis ſuperior, ad ſummas opes atq; gloriam evectus eſt, ut non ſolum adverſus exteros Reges, tutus ac ſecurus, verum etiam plerisq; ijs, eſſet formidabilis, regumque longé potentiſſimus haberetur. Quo magis reprehendendi, atq; etiam in exemplum plectendi ſunt, qui hanc ſummam regis ac Provinciæ quietem ac felicitatem, ſuis male ſanis ac ſeditioſis concilijs pertubarunt,

barunt. Quorum ſi ego author,ut accuſor, deprehenſus, fuero, pænam à procuratore, mihi indictam non recuſo. Me verò neque ambitioſum eſſe,neq; dominandi cupiditate, flagare, ſpero conſtare omnibus, qui me norint, qui meis poſſeſſionibus, ac à Deo concesſis ditionibus, contentus, mearum rerum, officijque potius ſatagendum, quam alienis ſtudendum rebus exiſtimavi, certé majores opes, mihi parare potuiſſem, ſi meis tandem commodis ſtuduiſſem, neque conſultum putaviſſem, pro ratione mei muneris, regium concilium aulamque, non ſine magnis meis ſumptibus frequentare. Quemadmodum etiam falſum & calumnioſum eſt, me ſubditos ab ea, quam Regi debeant fidem atque obſequium avertiſſe, quin ſedulo contra laboravi,ut in priſtina eos fide,obedientiaque, retinerem atq; confirmarem. Cauſa autem alienationis animorum eſt, rigor novorum edictorum. Neque verò vnquam docebitur, me conatum eſſe exiſtimationem,authoritatemque Regi ablatam, mihi ſumere vel comparare, quam quidem Regi aucthoritatem, nonulli judicabant, promulgata inquiſitione Sarctam tectam magis poſſe conſervari. Ego veró contrà, inquiſitioni reſiſten-

dum judicavi, neque ea permiſſa, vel Regis dignitatem, vel Brabantiæ incolumitatem obtineri poſſe ſtatui. Hæc enim mea Voluntas, hoc in primis conſilium fuit, de quo ſecundum Deum glorior, Hiſpanicæ inquiſitioni eſſe reſiſtendum, quemadmodum meæ actiones omnes docent, neque tamen propterea, ambitioſus fuiſſe Videri poſſum; quemadmodum & ſupra attigi. Nam adhuc Senator Regius exiſtens, magni Concilij, aliquot annos, ante diſceſſum meum, muneri mihi demandato, renunciavi, Et cum eſſem Caput Concilij. Queſtorij Regij, quod vocant Financiæ, quod ſane munus, & ad opes cumulandas, & ad multitudinis ordinumq; favorem promevendum plurimum poteſt, iſtud etiam officium deſerendum putavi, propterea quod meam operam, ob quorundam males artes minimum Regi profuturam pro videbam. Cum veró ſuprema rerum poteſtas, atque authoritas, per quasdam iſtas provincias, mihi á nonnullis deferretur, conſtanter etiam recuſavi. Interim ex quo tempore vocatus, in ſenatum intravi, nihil reliqui feci, ad ſummam mei muneris, recte adminiſtrandi fidem, ac diligentiam, quo ejus fructus, ad ſubditorum commoda quam

amplissimus

amplissimus redundaret. Constat enim, Regem, ex Sehelandia, in Hispanias solventem obnixe institisse, ut Regius senator essem, neque ullas meas excusationes admisisse, Ego veró biennio circiter post, animadvertens, Regis animum quorundam technis, mutatum, multoq; aliter rem geri, quam discedens mihi erat pollicitus, ab eo rursum dimissionem rogavi. Itaque deinceps rebus in dies magis magisq; novatis, & concitato populo, tandem & inquisitionis rigor mitigatus, & miles introductus est. Cujus quidem militis opera, tunc admodum fuit habita necessaria. Cum veró deinceps reformatæ doctrinæ libertas, in oppidis atque castris, ubi antea non fuisset data est, ea quidem in populosis istis provincijs, ità brevi tempore crevit, ut nomen inquisitionis odiosum esse cæperit: Qua inquisitione centum millia hominum, eoque amplius, partim vita, partim patria, fortunisque privati, miserrimé perierunt. Itaque inquisitionis invidia, quotidie magis iegravescente, plerique magistratus, ad vitandos populi motus, eam publice exercere non audebant: præsertim cum quibusdam in locis, ijs captivi,

ut ipſimet fateantur neceſſe eſt, vi ℘ manibus ſint erepti. Quare conſtat, inquiſitionem omnium horum motuum ac calamitatum cauſam eſſe, quod quidem multi prudentes viri, niſi in tempore remedium offerretur, multo ante prævîderunt. Quemadmodum Maria Princeps, anno ſupra mille quingentos, quinquageſimo, ad Carolum fratrem, Auguſtam profecta, mitigationem Inquiſitionis, per Brabantiam atq; Antuerpiam, qui ſe inquiſitione ſubijci noluerant, impetravit. Iam res Belgicæ, Prudentia ac authoritate Margarithæ Principis, ac Senatus ordinum mediocriter erant conſtitutæ, Cum procurator generalis paucorum male ſano conſilio, ſe graviſſimis quibusque rebus miſcendo, & Regi quicquid accideret ſiniſtrè, enunciando, magnam perturbationem attulit. Rex enim de Inquiſitionis moderatione, edictorumq; laxato rigore edoctus, graviter offenſus fuit. Quamobrem Margaritha Princeps, Conciliumq; Procerum, Montignium ad Regem in Hiſpanias, ablegarunt, nunciatum, quo in ſtatu Provincia eſſet, oratumque, ut Rex repetita memoria, veterum erga ſe meritorum ſubditorum Provinciæque ſalutem reſpiceret, & tum inquiſitionem, tum Epiſcopo-

rum institutionem, aliasq; contra leges patrias illatas novitates, præsertim, cum graves populi motus, quemadmodum in Gallia nuper accidisset, impendere viderentur, antiquaret. Quam ob causam & Nobilitas & Antuerpienses suos eodem legatos miserunt, præter cætera quærentes, à novis istis Episcopis Monasteriorum collegia atq; Abbatias per Brabantiam, in præjudicium etiam exterorum Archiepiscopatuum admodum premi ac debilitari. Atque hæc legatio, in quam omnium oculi animique intenti erant, Sperantes, Regis animum mitigatum, sibique non minus quam Gallis à suo Rege, religionis libertatem concessum iri, aliquamdiu Belgiam tranquillam tenuit. Neque verò mirum est Belgas, ex vicinorum commercijs populorum, exemploque Gallorum, reformatam religionem, conscientiæq; integritatem, ità amavisse, ut ea deinceps ex animis neque exstirpari, nec Pontificia Romana religio, denuo instaurari posset: Et si Granuellanus, introducendis novis Episcopis, id summis Viribus niteretur. Qui Episcopi, quanquam à quibusdam recepti, à plurimis tamen Civitatibus, Antuerpiâ, Remonda, Groninga, Daventria, alijsq;

repudiati

repudiati fuerunt. Interim ille minime cessabat, sed sedulo laborabat, ut per administros Regios suos emissarios, quibus munera publica pro arbitrio distribuebat, vicinorum Regum ac Principum studia, ac favorem sibi quæreret. Itaque tandem apud Reginam matrem, & Galliæ Regem per legatum fratrem impetravit, ut ad Aulicum Philippi regis Concilium, summamque administrationem revocaretur. An non hinc manifestum? est quisnam sibi supremam, supra reges, Authoritatem usurparet? unde tanquam ex fonte, nobis omnia ista mala promanarunt. Ego veró solicitus, non desij istas novitates deprecari, Cumque non modo nihil proficerem, verum multó magis Brabantiam, ad ipsarum obsequium cogi viderem, ne darem motuum causam, non semel studui, ut modo dictum est, cum regem apud, tum apud Margaritham Principem me Provincia abdicare: præserrim tum, cum Procerum, nobiliumque postulata, tradita ac perscripta essent, de quibus quidem postulatis multa & diversa garriunt Adversarij. Equidem si ambitiosus fuissem, Regiamque Vellicatam authoritatem, mihi sumere studuissem, neque à

rege

Rege summis precibus contendens, demissionem petivissem, multo minus, novo imperio, meo in munere retentus auctusque fuissem. Ambitiosi enim moveri loco solent, ne Principijs Provinciam, præcipiti cupiditate invadant. Iam verò Granuellanum, regiam sibi sumpsisse potestatem, multis patet exemplis, quæ nunc recensere nihil attinet: in quibus tamen illud prætereundum non est, quod Margaritha Princeps fatebatur, plura sibi de rebus Brabanticis, post discessum ejus, paucis mensibus innotuisse, quam omni tempore, quo is, in aula coram ad esset, cognovisset. Quid? an ullum meæ innocentiæ argumentum potuit esse illustrius, quam tum cum Margaritham Principem, quorundam temerarijs ausibus perturbatam, nutantemque vel per Alpes in Italiam redire, vel ad Montes Hannoniæ proficisci, quo illorum ambitioni locum daret, qui plus sibi vellent licere quam liceret: Concilio verbis precibusq; instanter retinui, monendo ne sibi, ne RegiæMajestati, eā desertæ Provinciæ notam in ureret, neve id dedecus intempestivi, et tantū non perfidiosi timoris, admitteret, quot sibi, suisq; ad regē ac posteritatis memoriam, deinceps haud quaquā excusabile esset futurū?

Tunc

Tunc enim mihi ambitiosus si fuissem, rerum novandarum perampla fenestra aperta, ac potestas fuisset. Ego vero etiam à Margaritha Principe appellatus, ut idoneos & cordatos viros, in ordinum senatum, qui ex decreto regis amplificandus erat; legendos nuncuparem, id quoque ad Regem remittendo, vniversum eius arbitrio judicioque permisi; ne Concilij constituendi specie, factiosorum hominum conspirantia studia, ac voluntates, mihi quæsivisse videri posse. Deinde desideravi, relicta Belgia, traditaque mea Provincia, ut Margarithæ concilioque constat, ad patrios redire lares, ut alijs dominandi cupidis, cedendo, ipse domi quietus agerem. Quam vero Brabanti sint amantes libertatis, quanquam studiose suarum legum ac statutorum, quorum immunitatibus confisi, antiquis suorum Principum, Cæsarum atq; regum pactis, atque indultis hactenus gavisi sunt, omnes norunt. Ideoque in primis videntur, suarum rerum anxij, tum, cum exterorum expectant adventum. Tanta autem per Cardinalem Granuellanum, ejusq; asseclas, secuta est rerum perturbatio, ex dissensione majoris Senatus, Regijq; Concilij & quæstorum, quorum ille quam plurimos

sibi

ſibi addictos habet, concitata, ut res deinceps publ: ſedari, vix ac ne vix quidem potuerit. Itaque tandem Egmondanus Comes, cum ampliſſima legatione in Hiſpanias ad Regem ablegatur, qui magna omnium expectatione reverſus, ſpem mitigandæ inquiſitionis attulit. Ad quam rem, Epiſcopi, Theologi, Iuriſconſulti, ut vocant Canoniſtæ, cujusque ordinis trini, anno ſupra mille quingentimo Sexageſimo quinto, legebantur, qui gravi deliberatione habita, formulam mitigatæ Inquiſitionis; decernebant. Ea autem formula ad Regem quidem miſſa, ſed propoſita populo nunquam fuit. Quin potius eodem anno exeunte, rex graviter paſſim edici, mandavit, de novis Epiſcopis creandis, Concilij Tridentini decretis, religioſé obſervandis, ac ſevere exequendis, de inquiſitiorum tam politica quam eccleſiaſtica confirmanda poteſtate. Atque hæc ſecunda Princeps cauſa merito dici poteſt, eorum motuum qui poſtea ſunt ſecuti. Cujus quidem rei culpa merito Regi ipſi, ut inquiſitionis autori, ac promulgatori tribuenda eſt, & haud ſcio, an nemini. Supra dixi me injuſté accuſari, de populo ac nobilitate adverſus regem concitatis, idem ahuc adfirmo. Etſi autem

non

non eo inficias, nobiles ac proceres in Conventibus Bredæ ac Bruxellis habitis, hisce de rebus deliberationes instituisse, tamen doceri non potest, quod ego vel autor vel instigator fuerim, ipsorum conspirationis, & motæ seditionis: Imo verò motus eos, ex rigore Regiorum edictorum, promanâsse, plus satis notum est. Præsertim cum quæ superioribus quinquagesimo, quinquagesimo quinto, sexagesimo secundo, sexagesimoquinto, supra mille quingentos annis aliquoties facta & Regia authoritate sunt repetita promissa, de Inquisitione mollienda, servata tamen non sunt. Quemadmodum etiam Margaritha Princeps, ipsa in pleno Concilio, jam ante diserté futurum, divinabat. Idem etiam fere ad Confæderatorum postulata respondebat, cum diceret, ad se perscriptam esse declarationem istam Regiorum interdictorum, causam fore turbarum, & se cunctæ rebellionis: Imo cum eandem declarationem, quindecim diebus á Rege accepisset, atque legisset, antequam fæderati irent in Concilium, palam dixit sibi istam declaratio nem haud placere, neque videri, per inter dictorum rigorem, viam fieri ad pacem ac tranquillitatem Provinciæ. Neque veró illa

fæderatorum

fæderatorum institutum seditiosum duxit, propterea quod videret, eos neque aduersus Regem, neq; adversus communem patriam, contumaces niti. Inquisitionis autem, sæveritatem omnes turbas dare. Quemadmodum & in Germania, & in Gallia, & in Anglia, & in Schotia, ut non procul exempla perantur, accidisse meminimus. Enimureo fateamur necesse est, Regem rigidis istis interdictis, nihil nisi interitum videri velle Provinciæ. iis autem in locis, ubi religio conscientiæque liberæ permittuntur, alta sané est pax & tranquillitas. Certé Germaniæ Principes alijq; Proceres, quibus non minori curæ, quam regi est suorum salus, libertatem religionis, non dedissent, si inde motus & turbas essent veriti. Qui etiam fæderatorum animus, quæ mens fuerit, patet ex ipsorum actionibus. Supplices enim apud regem, Margarithamq; Principem, tum verbis tum scriptis sæpenumero institerunt, humilibusque votis absque vi atque armis, vehementer etiam atque etiam mitigationem, inquisitionis, edictorumq; petiverunt: Seq; cunctorum ordinum Concilio de religione constituenda, iuxta leges patrias, statutaque majorum, obseruanter subiecerunt: Sum-

mam Regi fidem, ac obedientiam ſtipulantes, ut ſi quis contra feciſſe deprehendatur, is ut perduellis patriæ ac ſeditioſus puniatur. Neq; veró novum vel in auditum eſt, religionis ergo civium coire ſocietates ac fœdera: Etenim quemadmodum olim Machabæi, iuxta ſacram hiſtoriam pro gloria diuini nominis, pro ſalute ac dignitate Procerum, pro incolumitate ac tranquillitate, patriæ, vniti fœdera ferierunt: Ita ego nunc non minus ſicere, idem iudico. Quamobrem nobilitatis, quod inter ſe fecerunt fædus, religionis reformatæ ſtudio, quò vnanimes ſæviſſimæ inquiſitioni, obuiam ire poſſent, nec rebellionem, neque ſeditionem cenſeo appellandam: præſertim cum ad commune Ordinum decretum, ſicut dixi, rem totam retulerint. Itaq; etiam Margaritha Princeps, ante fœderatorum adventum, non ſolum verbis, verum etiam re ipſa eſt conata inquiſitioni moderari, imó etiam Brabantiam in vniverſum ab inquiſitione liberare, Cum omnium Curiarum decreto, Conſenſuque regis, ſua manu ſigilloq;, fæderatorum ſuppliciter perſcripta poſtulata, approbaret, neque vellet eos propter vnitum fædus, in odium vel invidiam vocari. Quanquam autem poſtea, hæc

ſimulaté

ſimulatè egiſſe videri poſſit, cum diceret ſe hæc ad tempus, contra animi ſenſum permiſiſſe, propterea quod improbi quidam ſtatuarum turbatores, aliter cohiberi non poſſent: tamen nulla cauſa fuit, fæderatos deinceps tanquam rebelles ac ſeditioſos, criminari & in eos ut hoſtes patriæ, ferro ignique ſævire. Enimvero hinc patet, quam ſint Regum ac Principum mutabiles Voluntates, quum præſenti tantū commodo temporiq; ſerviendum exiſtiment. Præſertim cum Rex poſt proteſtantium percuſſum fædus, mihi, Auguſto menſe, anno ſuperiori, ſua manu clementer ſcripſerit, ſignificans ſe acquieſcere mea fide, atq; opera & ſe rerum præteritarū, minimé recordari: monuit etiam ne aliter mihi ab alijs, qui mihi male vellent, paterer, perſuaderi. Qua ergo ratione, ego, tanquam dux & author, ſeditionis ac rebellionis nunc accuſor? præſertim cum fæderatos non promoverim neque ſuſceperim defendendos: Quod veró non nulli fæderati arma ſumpſerint, & inter rebelles ac ſeditioſos turbas dederint, equidem excuſare nolim, neque culpam præſtabo, cum iſta partim me inſcio, ac abſente, partim etiam invito ac nolente facta ſint. Quamobrem & ego tandem, mei ra-

ctionem habere ſum coactus, ut militem mei corporis protegendi cauſa, neq; ob aliam cauſam, colligerem, quamvis id à meis adverſarijs mihi tanquam crimen obijcitur. Ea verò mea voluntas, is ſenſus fuit, ut Regiæ mihi demandatæ Provinciæ in tranquillo eſſent, neque ullum oppidum, illusve pagus, á Regis Margarithæq; fide, ac poteſtate, his tumultibus abduceretur. Quemadmodum & res ipſa docet, atq; huic meo ſtudio Magiſtratus ac Ordines mearum Provinciarum, præclarum dabunt teſtimonium. Iam veró & Hochſtratanus Comes accuſatur, quod cum Egmondano, Hornano & mecum, ſua in arce Hochſtrati, & Teromondæ, clandeſtinis concilijs, de capiendis armis, de arcendo exercitu Regio ex Brabantia conſpirauerit, qua in re ego me refero, ad teſtimonia illorum Comitum, ac Procerum, qui illic tum congregati fuerunt, nihil enim aduerſus Regem eſt tentatum, nihil conſultatum, tantum mutuæ illic conſultationes & mutuæ gratulativiſebantur: Cum aliquot peregrini Principes viri cognati noſtri aduentarent. Neq; veró unquam probabitur, vel Teromonde, vel in alijs locis, de Regis aduentu, in Belgiam, arcendo, habita eſſe conſilia. Equidem fateor me quandoq; fuiſſe, admonitum, om-

nes meas actiones, apud Regẽ, inuidorũ quorũdã artibus, in peiorem partem accipi, quamobrem pristinus amor meus ac studium, quo Regiam maiestatem semper sum prosecutus non nihil deferuescebat, præsertim, cum exemplum earum acciperem literarum, quas Franciscus Alanus Regis Philippi, apud Gallum legatus, ad Margaritam principem dederat, significantes, Egmondanum, Hornanum & me, tanquam seditionis autores suo tempore, pro meritis, capite plectendos, interim amicitiâ fucatâ, & humanitate simulata ducendos esse. Atq; hæc fuit Princeps causa Teremondani Conventus, in quo pleriq; Proceres suâ confisi innocentiâ, nihil decreverunt, quam ut earum literarum Margarithæ Principi argumentũ exponentes, se de gravissimo intentato crimine excusarẽt. Si quæ autẽ præterea illic acta sunt, Captivos Comites demonstrasse confido. Accusor etiam, quasi Brederodio autor fuerim, aduersus Regem Vianæ muniendæ, quod perinde ac superioria falsum est. Etsi enim ego superioribus annis, Vianã profectus, Brederodio narranti patris sui voluntatem, jubentis, ut inchoata mœnia conficeret, consului patris extrema jussa, ne negligeret, tamen nihil contra Regem illic dictũ multominus aliquid actũ tentatũue est.

Certé quemadmodum nobilitati Belgicæ, nunquam non licuit, dominia sua munitionibus firmare: Ita Brederodius culpari minimé potest, quod Vianæ oppidi, conjunctæque ditionis, tanquam sui patrimonij curam habuerit. Quanquam enim majoribus ejusde eo lis quondam mota fuit, tamen continui in possessione hactenus manserunt. Proinde ea Vianensis munitio, gravissimi istius criminis, imminutæ Majestatis, argui non potest. Præsertim, cum multò ante has turbas acciderit. Consimiliter refutatur illud de milite, Tormentisque Brederodio, injussu Margarithæ, á me transmissis. Ego veró Antuerpiam veniens, ad sedandos motus, Marchionem de seditiosis admonui. Cum ille post diligentem inquisitionem, neminem præter paucos quosdam qui insimularentur, reperiret, habentes mandata de milite conscribendo. Hi tamen se pauló post subduxerunt. Porró superioribus annis, multo ante istos motus petivit á me Brederodius, ut Trajecti in meæ demandatæ Provinciæ oppido, sibi aliquot tormenta ex ære conflari permitterem, quod cum pro vicinitate, illi minimé recusandum putarem, conflata tormenta illi donavi, cur enim id mihi non lice-

ret

ret? Quod autem objicitur, me aliquot in Zehelandia oppidis, Regijs inter dixisse præsidijs, eandemque Provinciam, meo milite occupavisse. Dico illud de præsidijs nunquam mihi in mentem venisse, quæso autem ut demonstrent, quo in tempore, quo in loco ista facta sint. Cum autem essem in Zehelandia, certoque cognovissem, eam ditionem, à quibusdam occupatum iri, operæpretium me facturum existimans, nolui Boxtelium absque meo jussu præsidium recipere, quæ cura omnium est præfectorum. Postea etiam admonitus, ducentos pedites Margarithæ Principis ad Arcem Ramckens accessisse, arcis præfectum eos aditu prohibuisse, propterea quod stipendijs non solutis & deficiente in arce cõeatu, seditionem vereretur, Vetui præfectum; qui meæ Jurisdictionis erat, adventantem, militem non nisi, & Margarithæ & meo consensu intromittere. In quod Margaritha tandem melius edocta, quamquam antea aliter suspicabatur, Cum illa Bruxellis, ego vero Antuerpiæ essem, solutis stipendijs consensit, Etenim me culpam præstare oportuit, si milites arcem occupando, rebus novis studuissent. Jam veró Antuerpienses præsidiarium militem vehementer

ſunt deprecati, priſtinam pollicentes Regi fidem atque obſequium, etiam vitæ ſuæ fortunarumq; impendio. Itaq; etiam aliquot naves, militum manum Antuerpia aſportarun, qui cum Zehelandiam petiviſſent, & ſcanſiones ibidem facere, ab incolis prohibiti eſſent, tandem Antuerpiam Verſus redire inedia ſunt coacti. Vulgato autem rumore, eſſe Brederodij milites, ad Oſterveldium propé vrbem cæſi fugatiq; ſunt. Etſi autem Antuerpienſes proteſtantes, de horum anguſtijs e docti, concitato vrbano tumultu, auxilio ijs eſſe ſatagebant, tamen ego ſummo ſtudio, cives continui, & rem abſq; ſanguine, non ſine ingenti meo periculo, ſedavi. Hinc patet, me neque in Zehelandia, neq; alibi quippiam adverſus Regiam Maieſtatem tentaviſſe, militem autem quibusdam in locis, pacis & quietis publicæ cauſa ferre noluiſſe. Quo magis mirandum magnos illos viros adverſarios, illius modi multa proferre, quæ doceri minimé poſſunt. Ad ea veró quaſi Antuerpiæ omne genus falſæ hæreticæq; doctrinæ admiſerim, eccleſiaſtica hæreticorum concilia conſtituerim, pecuniarum contributiones, in ſtipendia meorum militum indixerim, atque collegerim, ita veré conſtanterq; reſpondeo.

Primum,

Primum, me palam in concilioRegio edixisſe, fieri non poſſe, ut exorta, quam reformatam vocant,religio, aboliatur, me tamen eó pro virili,quantum fieri poſſit enixurum: Cujus mei ſtudij ac laboris, vniverſa civitas amplum dedit teſtimonium, mihi gratias agens de ſedatis turbis, religionis ergo concitatis. Decuriones autem ipſi acvrbaniMagiſtratusme inconſulto, templa proteſtantibus aperuerunt,ſuamq́;publice religionem,vitandi periculi cauſa permiſerunt. Conſiſtoria autem ante meum adventum, imo ante publicam reformatæ doctrinæ confeſſionem, conſtituta ſunt. Quibus ego remedium attuli,ne in multitudine eſſet confuſio, lectiſſimorum virorum delectum inſtituens: quorum res conſilio ageretur, & ciuitas in tranquillo ſtatu conſervaretur. Neq; vero ullius exactionis mihi ſum conſcius, ſed ante meum adventum, æs ut audio, viritim collectum eſt, in pauperum & miniſtrorum eccleſiæ alimoniam, ſacrarumq; ædium ædificia. Adeo etiam à ſtudio pecuniæ abſui, ut quinquaginta millia aureorum, nummum, mihi tanquam de Republica Antuerpienſi bene merito, gratitudinis ergo oblata recuſarim.

Ea fuit responsio Aurantij, (cui non absimilis Hochstratani defensio erat, (quam Dillenburgo ad Albanum scripto misit, adjuncta solenni protestatione, se ut equitem aurei Velleris, contra leges patrias, statutaque majorum, ab Albano Iudice, minimé competenti, atq; adeo hoste, ad causam dicendam citari, Cum nemini nisi Regi ipsi Philippo, tanquam Aurei Velleris summo Principi, sese sistere teneatur. Ille tamen instituti servans, Aurantium & socios dicta die non comparentes, publicatis omnibus eorum bonis; lata sententia proscribit.

Porrò Margaritha Princeps animadvertens plenam administrandæ provinciæ potestatem, Albano datam, qua cuncta pro lubito arbitrioque versaret, statim initio ejus adventus, de abdicando Magistratu ut supra diximus cogitans, sibi discedendum judicabat; Itaque per literas á Rege dimissionem postulabat. Rex ineunte Martio peramanter respondens, ejus petitioni annuit, & pro Republ: difficillimis temporibus bene gesta, gratias agit, eum honorarij loco egregium auri pondus obtulisset, & deinceps reditus annuos hæditarios quatuordecim millium Coronatorum, illi decrevisset. Itaque illa ad decimam

mam Aprilis diem, Bruxellis, non ſine Belgarum dolore, quod Albanicum imperium formidabant, diſcedens, per Namurcum & Luxemburgorum fines Germaniam verſus amplo deducta comitatu tandem ad Maritum. OctaviumFerneſium in Italiam incolumis pervenit. Cum his diebus Italica mercimonia, ad mercatum Francofurtenſem Rheno deveherentur, inqueis centies & quinquagies mille Ducati convaſati erant, quos rex Albano, ad ſumptus Belgici belli transmiſiſſet, ſoluto mercium telonio, ijs dimiſſis, à Septemviro Palatino pecunia detenta fuit propterea, quod ad telonium indicata non eſſet, quam juſtam detentionis cauſam, princeps rebatur eſſe. Sed ad regis Philippi petitionem, aliquanto poſt, intercedente Cæſare, de pecunia tranſactum eſt.

LIBER QUINTUS.

AUrantius in Germaniam reverſus, Cæſarem & Principes deprecatur, ut apud Regem pro ſe intercedant, Cum autem rex obaudiret. Ille veró á Rege ad Albanum reijceretur, ad cauſam dicendam, his verbis Cæſari Principibusque reſpondente, ipſi ſibi

ſua

ſua curarent, ſe tenere quid ſe facere & quemadmodum ſe ſuis præeſſe oporteat, apud Albanũ autẽ ne defẽſioni nec rationi locus ullus eſſet extremum ſubſidium in armis poſuit. Itaq; ſuos propinquos, & multos Germaniæ Proceres, in primis veró Fredricum Palatinum, Auguſtum Saxonem potentiſſimos imperij Electores, Johannem Caſimirum, Guilelmum Lantgrauium, Wolfangum Bipontinum, aliosq; Principes Viros & de nobilitate complures, de auxilijs exeunte Aprili ſollicitat. Albani crudelitate & tijrannidẽ, ſuaq; innocentia demonſtrata. Queritur ſuam Belgiæq; fortunam, quod contra conditiones pacis à Margaritha Principe conceſſas & promulgatas, contra pacta publica immunitatesq́; Provinciæ, ab externo milite, omnium gentium crudeliſſimo, affligantur, quod contra jus fasq;, Belgarum populi ſuis facultatibus ab Albano ſpolientur, in vincula connijciantur, plurimi omnium ordinum homines, qui aſſentiri Hiſpanicæ nollent inquiſitioni, veram autem reformatæ doctrinæ religionem cuperent, ferro igniq; cruciati trucidentur, quod ipſe indignis modis, non tam Provincia dignitateq́; ejectus, qua jam pridem ſe abdicatum voluit, ſed omnibus

ſuis

ſuis ditionibus, poſſeſſionibusq; exutus, etiam filio ſuo primogenito, in Hiſpaniam per vim abducto acerbiſſimè ſit orbatus. Notum eſſe Albanum Ducem, eiusque aſſeclas, qui religione Impij, immanitate feri, armis inſtructiſſimi, continenter Belgarum ſalutem ac libertatem oppugnant. Imó qui Germaniam, qui vniverſam religionem Proteſtantium Principum, reformatam, jam pridem Vaſtatam ac deletam cupiunt. Neq; veró exſtimandum eſſe, Albanum, hæc, quæ faciat, voluntate Regis facere, cujus quidem Regia benignitas, miteq; ingenium, in illuſtri ſit. Quin potius eum regia benignitate, mandatoq; abuti, imò contra Regis voluntatem, cui haud dubiè, iſta in mentem non venerint, Regiamq; fidem ſolenni Sacramento Belgarum populis confirmatam, facere. Atq, hos Albani improbos & crudeles conatus, ſe iam pridem prævidiſſe, & ex eo tempore pro ſua fide, qua devinctus ſit Reipub: de Belgia ab Albani atq; Hiſpanorum Tyrannide liberanda, cogitaſſe, quo in propoſito ſe magis confirmatum, in hoc tempore

cum,

cum videat iſta jam diu cocta conſilia,ad ſanguinarium & funeſtum, quam optarunt,exitum, propediem deduci, quo & Reipub: ſtatus ſit miſerrimus,& pravorū artibus cuncta pateant : & omnis ſibi ad Regem aditus ſit intercluſus. Quæ cum ita ſint, & nulla niſi in armis ſpes reliqua eſſe videatur, legitimam & neceſſariā honeſtiſſimæ cauſæ defenſionem, divino & humano juri permiſſam,ſe adverſus Albanum Tyrannum, inſtituiſſe. Atq; id eó facturum libentius, quod hæc cauſa non ſolū ad communem Belgarum,& quodam modo Germaniæ ſalutem,Veræ religionis conſcientiæq; libertatem & ſummi Dei gloriam pertineat, verùm etiam ad Romani Cæſaris, ejusque illuſtrium poſterorum; in Belgarum Provincias, jus & actionem prætendentum,commodum atq; emolumentum ſit redundatura. Itaque Principes & Proceres, rogare, & pro antiquo neceſſitudinis & communis patriæ jure obteſtari, ne inferioris Germaniæ Provincias,Belgicas, ut finitimos & cognatos populos, ne ſeſe, ne ſuam familiam,ne deniq; ſe ipſos deſerant,ſed commune incendium, quod alioquin pauló poſt univerſos ſit conflagraturum conjunctis viribus ſecum arceant, ſe vitam & ſanguinem,

omniaq;

omniaq; quæ homini clara esse soleant, impensurum. His querelis, moti aliquot Germaniæ Principes, cognato & vicino Principi, profugo & suis ditionibus per vim atq; injuriam spoliato, nihil denegandum putaverunt: Sed aliquod Legiones peditum & turmas equitum, tum pro jure necessitudinis, tum etiam veterum Germanorum more, in auxilia decreverunt. Aurantius his promissis animatus, strenue delectibus habendis, incubuit, ut infra suo loco dicetur, neq; dubitavit simulatq; se in conspectum Belgis suis cum exercitu armatum, dedisset, eos studio ac amore libertatis, statim ad arma convolaturos, & communibus viribus atq; animis, secum Hispanos adorturos, Contra verò Albanus, in omnem occasionem intentus, sibi quoq; non decet, judicabat enim, id quod erat, Aurantium multorum Germaniæ Procerum animos, ad suæ miserationem fortunæ commoturum, & tandem ad armorum belliq; subsidium esse pertracturum. Exules etiam Proceres ac nobiles, qui suis possessionibus pulsi, magno numero, in Germania atq; exteris Provincijs, vagarentur, nihil non tentaturos, quo conjunctis patriam viribus, recuperarint. Quin etiam

multos

multos per Belgiam reliquos latere, qui pertæsi, qua premantur, asperæ servitutis, clandestina Aurantio studia ac subsidia essent addituri. Itaq; præsidia per oppida in finibus Belgiæ mutatis Magistratibus, munitis castellis, expeditisque tormentis disponit, publice per præconem, conciones reformatæ religionis interdicit, Catholicum Romanum cultum restituit, arma populo & civibus eripit, & ad præfectorum domos, comportari iubet. Exulum bona ac facultates, invadit, ac per certos homines ad militum stipendia, soluenda, in fiscum redigit, Tributa á ciuibus exiguntur, grandes pecuniæ fide Regis colliguntur, mutuæq; sumuntur arma imperantur, ora denique per Belgiam ad externam vim, non solum Aurantij, eiq; addictorum Geusiorum, verum etiam Gallorum, Hugonotorum, (quorum impressiones iuxta timebat) á finibus Provinciæ arcendam, & motus domesticos quaquá versus compescendos Comitem accuratè geruntur. Igitur & Antuerpiam versus Megensem & Beaunoium, in Rupelmondanum agerum, & ad Bredam oppidum, Arcemque Aurantij occupandam peæsidium Hispanorum & Gallorum dimittit. Ita vtrinq; magni fiunt bellorum appara-

appatatus Increbrescente autē rumore, Vitteriū Gallū, cum tribus millibus militū, ex Gallia in Germaniā tendere, ut vel Aurantio propinquo suo, vel Ludovico fratri, jam in Frisia non contemnendas copias habenti, sese conjungeret, statim Lodronium Comitem cum quinq; signis peditū, & Sanchum Auilam Castellanū Ticinensem, tribus equitū turmis comitatū, Ruremondam quod est ad Mosam, Juliacensis ditionis oppidum, obuiam Albanus misit. Hi magnis itineribus progressi, spe hostem præveniendi; & si altero die ad oppidum perveniunt, tamen hostem antegressum jam ab oppidanis receptum reperiunt. Itaque Lodronius paucitatem suorum considerans, & majora auxilia expectans, tum etiam nihil contra hostem, qui nunc extra fines Provinciæ esset, præter mandatum quod Provinciæ defensionem respiceret, tentandum existimans, relictum oppidum, cum ut hosti terrorem incuteret, ignem tantum portis admovisset, præterit. Auila autem vir impiger & sagax, cum vereretur, hostiles copias propediem auctum iri, pluráque oppida & castella invadentes, á fide & potestate Regis esse aversuras, ex dignitate Regis statuit, cum hoste quam primum periclitandam fortunam.

Quamobrem postridie hostem, qui bona ex parte Dalhemium in oppidum, quinq; circiter milliaribus, versus Orientem solem distans, Ruremonda discessissent, persequitur, oppidum magna virtute adoritur. Oppidani verò & milites præsidiarij etsi ab initio sese fortiter defenderent, tamen cum oppidum infirmum, momento temporis communire non possent, & pauló post Lodronius, mutata sententia, celeriter adventando magnum afferret terrorem, alij deditionem faciunt, alij se de muro in fossam præcipitantes, fuga salutem capiunt: Plurimi tamen cum intra, tum extra oppidum cæsi sunt cæteri qui evaserunt, ad Lodovici Nassovi, castra, in Frisiam pervenerunt. Alphonsus Vergas, copiarum Dodronij præfectus, cum aliquot signis peditum, oppidum intrat, Villerium & Primores hostium, ut quidam scribunt, captos capite mulctat, alij narrant, cum reliquis captiuis Bruxellas, ad supplicium missos fuisse. Multa signa & tormenta militaria, armorumq; omne genus, capta, præda magna facta, pauci ex Catholicis desiderati. His diebus rumor de Pace Galliæ, inter Carolum nonum & fœderatos, quos Hugnotos vocant, cuius

supra

cuius ſupra meminimus, confecta ferebatur. Albanus verò metuens, ne Germani fœderatorum milites, in reditu,ut rumor ferebatur, in Belgiam impreſſionem facturi eſſent, fines oportunis locis præſidijs firmat, & Barlamontij filium, cum manu bis mille militum, quos Walones vocant,verſus Galliam mittit, ſimul etiam alijs duobus præfectis, in mandatis dat, colligendi equitem leuioris armaturæ iam exauctoratum, qui Gallorum Regi contra proteſtantes militaſſet. Mittit etiam manu duorum millium peditum, & quingentorum equitum in Ducatum Limburgicum, Maſtrichtanæ civitati, contra ingruentes proteſtantes ſubſidio. Has res administranti Albano, à quodam Carolo homine nobili, inſidiæ ſtructæ ſunt. Cum enim Albanus cum ſuis domeſticis Hiſpanis, certo die in cœnobium Gronendalum, prope Bruxellas, in luco ſitum, ad cultum divinum profecturus eſſet, ille, qui antea ſe metu, illic habitu monachi occultaverat, & per Ryſorium & ſocios manum ſeptingentorum equitum, & quingentorum peditum, circa cœnobium & pomerium diſpoſuerat, ſtatuit eum ſacra audientem, in cenſo cœnobio invadere. Verum per gregarium militem,

indicio facto, consilium evanuit, Albano domi manente, & quodã Anciano nobile, & novendecim alijs locupletibus hominibus & civibus qui & huius coniurationis & rebellionis per Arthesiam, conscii fuisse dicerentur, magnis cruciatibus capite punitis. Itaq; cum se in libertatem vindicare Belgæ armis nec dum possent, saltem animi dolorem, linguæ libertate ostenderunt, edentes Bruxellis & in aliis urbibus, graves libellos, quibus sese mutuo, quamvis sine nomine, ad Hispanicum servitutis jugum excutiendum, & ad libertatem recuperandam, summis votis excitarent, expositis Hispanorum gestis, quæ superioribus annis in aliis orbis terrarum provinciis perpetrarint, negantes virum bonum, nedum fortem appellari posse, qui patriam laborantem deserat, & communem patriæ hostem ac tyrannum non adoriatur. His diebus Bruxillis domus Culenburgica, in qua Albanus suam aulam, initio suæ administrationis habebat, donec Margaritha Princeps ei regiam aulam cederet, decreto sanguinarii judicii, procurante Albano, diruta & funditus eversa est, ara ipsa lapidibus planata, erecta columna marmorea, cum hac in scriptione, quatuor diversis linguis, incisa. Regnante Philippo II Catholico Hispan. Rege, in

his suis inferioris Germaniæ regionibus, gubernante verò Ferdinando Alvares de Toledo, Alvæ Duce, Florentii de Pallant, quondam, domum solo æquari, sancitum est, ob execrandam memoriam repetitæ in ea conjurationis adversus religionẽ, Ecclesiæ Catho. Rom: regiam Majestatem, & ipsas religiones, anno à salute. M. D. LXVIII, quintò Calend. Junii. Sub hoc tempus magnus undique concursus ad Ludovicum Nassovium Aurantii fratrem, in Frisia factus est. Etsi enim Dalenica clades aliquam remoram eorum rebus attulisse videbatur, tamen rebus semel motis, & causis belli speciosè divulgatis, multorum hominum studia, & voluntates sibi conciliavit, præsertim cum audirent, Aurantium principem, passim per Germaniam, magnis delectibus, per illustres duces agendis, in signem adversus Albanum expeditionem moliri: & quatuor exercitibus per Juliaci, Geldriæ, Brabantiæ & Frisiæ fines, ejus copias summis viribus diversis ex locis adoriri decrevisse; ut in Brabantiam tandem tanquam arcem belli felicibus armis penetrantes & castra castris aciesque, jungentes, veram Reformatam religionis doctrinam, devictis prostratisq; adversariis,

concordibus ſtudijs exercerent, priſtinas leges juraq; provinciæ conſtituerent, & extorres patria, undecunq; congregatos, ſuis ſedibus penatibusq; magna cum gloria reſtituerent; Itaq; etiam in vexillis ſuis hæc verba poſuerunt: Recuperare aut mori: Cæterum etſi multi delectus haberentur, & militum diverſæ manus confluerent, tamen cum variis modis impediti, nec ſatis in tempore vel armis inſtructi, vel pari virtute militari, contra veteranum & impigrum hoſtem eſſent & civitatum Belgicarum ſtudia & voluntates, in quibus magnas ſpes poſuerant, vel metu Hiſpanorum frigerent, vel animorum diſcordia vacillarent, & majorum quodam modo viribus conari viderentur: ſimul uno tempore nec parati eſſe, nec vires expedire potuerunt. Itaq; ad Dalenum primum, deinde alibi ſingulatim cæſi, ſperatos ſucceſſus pleriq; Aurantiani duces non habuerunt. Initium Ludovicanæ expeditionis in vigeſimnm ſecundum Aprilis incidit, ea enim die, primùm in Friſia Groningenſi, tantum cum ſeptuaginta circiter peditibus, & duodecim equitibus, qui partim armati, partim inermes erant, in pago Bellingewoldo viſus fuit, qua nocte ſe ſuosq; in templi ejusdem, communito cœ-

miterio,

miterio, continebat. Postridiè verò rumore ejus copias majores, quàm erant, celebrante, eum terrorem vicinis omnibus, & in primis militibus præsidiariis Weddensibus attulit, ut præfectus Weddensis, Matthias Orthus, quæ arx duobus millibus passuum, ab isto pago abest, cum præsidio Groningam aufugeret. Quare Ludovicus progressus, vacuam arcem, in qua duas tantùm fœminas, sibi ad portam obviam progredientes invenit, occupat, paucisq; pòst diebus, cum quinq; signa militaria erexisset, mediocres copias contrahit, quæ tandem circiter viginti quinque signa peditum, & tres equitum turmas expleverunt. Nam & Adolphus Nassovius frater, & Iodocus Schouwenburgicus Comites, eum illi equitatum adduxerunt: Postea Dammum oppidum duobus milliaribus dissitum, fusis fugatisque Albani militibus, qui intus erant, præsidio munit. Albanus verò cui hæc præter opinionem acciderent, fortunæ mutationem veritus, nisi in tempore occurreretur, statim, Johannem Lingensem, Arenburgicum Comitem, nuper ex Gallica militia reversum, cum legione Italorum & Hispanorum peditum, Legio autem nunc decem tantum signa peditum continet, signa

versis copijs justaq; acie, confirmatis animis, eum adoriri, & manus possent conserere, præsertim cum fama ferret, ipsiq; metuerent, se in oppido ab hoste obsessum & expugnatum iri. Ludovicus autem cum paucis diversum sentiens, hostem illic ubi erat, morandum, oppidumq; quod obtinebat, muniendum, neq; ullam timoris significationem nocturno abitu dandam esse judicavit. Itaq; tandem inter disceptandum, ad illos in sententia persistentes, exclamans, ergone, inquit, comilitones, vos me planè desertum vultis, neque vel meæ dignitatis, vel vestri nominis ullam habetis rationem? Ego veró nunquam committam, ut aut hostem fædé fugisse, aut quicquam Nassovico nomine indignum perpetrasse, videri possim, quin potius si aliter fieri non potest, solus isto cum puero, armigerum demonstrans, hic manebo, & adventum hostium fortissimè præstolabor; vitæ meæ & sanguini, ad redimendam ignominiæ notam, minimé parsurus. Tandem ille tamen à concilio exoratus, rationibusque victus, reliquis assentit: & de secunda vigilia, oppido excedit,

quem confectis duobus milliaribus, ad Cænobium Hilligerletum, Arenburgicus altero sub meridiem die, assequitur. Est inter Hilligerletum Cœnobium, & Winschotum pagum, patens campus, terra palustri & cespitosa, in primis autem ad septentriones, quâ Arenburgicus adventabat, fossis aggeribusq; concisa, ut non nisi angustis itineribus illac iri posset. Itaque Ludovicus in patentem istàm Campi planitiem progressus, & per exploratores edoctus, Megensem adhuc procul abesse, adesse autem Arenburgico, tantum Curtium Martignenum, Mediolanensem, unius equitum turmæ præfectum: agmen sisti, & huc illuc volitando, arma expediri, ordines aciesque adversus appropinquantem hostem, extendi instruique jubet. Cohortatur vniversos, tum Duces, tum milites, illum esse diem, quem tantopere expetivissent, illum locum, quem nocturno, diurnoq; itinere, hosti profligando aptum quæsivissent, qui si animis Germanicis, viribusq; valerent, si ipsi sibi deesse nollent, & laborum finem, & præmiorum initium, contra immanissimos hostes ipsis haud dubie nunc esset allaturus. Hæc aliaque ad suos concionanti, hostis armis, virisq; instructissimus,

ex vicina Sylua, ad quam Hilligerletum situm est, maximis clamoribus atque ululatibus se in conspectum dedit. Erat, ut diximus, qua via Hispani ibant, terra, utrinque fossis aggeribusque concisa, ut non nisi extenuatis contractisque ordinibus, ipsorum acies progredi posset. Nassovici verò, etsi, propter continuati itineris contentionem lassi, & celeri hostium adventu, præpediti erant, quo minus spacium corpora curandi habebant: tamen alacres ad pugnam, exemplo Ludovici, & mutuis cohortationibus procedebant. Nonnulli verò, qui fere erant occidui Frisij & Oldenburgici, ad vexilla duo, hostis ferociam veriti, præterquam quod inediam ferre non possent, armisque parum exercitati, & instructi essent: in acie consistere non audebant. Sed alij post alios, varijs allatis causis, turpiter discedebant, alij etiam aut suum fatum aut commune periculum, cum manipularibus miserantes, de Victoria, discedentes, non obscure desperabant. Ludovicus verò duplici acie, in hostem, versus occidentem, instructa, Equitatu ad orientem solem, Adolpho Fratri, & Iodoco Scowenburgico commendato, fossas à lateribus hostium, protendentes, ab aliquot sagittario-

rum

rum cohortibus, insidere jubet, mandans ut clanculum, ijs in fossis propius hostem proreperent, neque tormentum laxarent, priusquam hostis oculi pupillam conspicerent; ijs in sagittarijs, initium Victoriæ eo die constitit, ut postea deprehensum est. Ipse Ludovicus operis, munijsque militaribus, graviter per exercitum distributis, in primis ordinibus, pedes adversus hostem majori in acie, ad occidentem consistit. Arenburgius quoq; in primam aciem equo progressus, cum hostis ad pugnam parati videret copias, aciesq; binas, armis virisque coruscantes, Non me hercule ad suos, inquit, incompositi isti, & laceri, fugitivi sunt, ut nobis relatum fuit, sed præferoces profectò milites, qui jugulum nostrum petitum veniunt, & aut vincere, aut mori volunt. Equidem consulo, paulisper morantes, Megensem cum equitatu expectemus, qui haud dubie nocte proxima affuturus est, ne præcipiti audacia ac temeritate pugnandi, & nos vniversos in manifestum discrimen conijciamus, & regio nomini afferamus ignominiam. Hispani veró Duces assistentes, interpellare, & tanquam imbellem & Lutheranum, criminari, qui timidis & cunctantibus hostibus spacium fugitandi, & é manibus elabendi daret.

Ad quos ille, quandoquidem ita vultis, ac importunè vrgetis pugnam, periclitemur sane, vel temere, sed generosè fortunam, postquam immodica vis, Imperij rationem vincit; ne si hodie cautus & cunctator esse velim, paulo post ignaviæ aut perfidiæ accusatus, in Senatu, regio prægravante invidia, funestis aliorum exemplis, adversis malevolorum & imperitorum suffragijs peream. Proinde re ipsa & hodie quemadmodum hactenus à me præclaré factitatum semper est, docebo, me non minus quam vos fidelem Regi esse, qualiscunq; tandem prælij exitus sit futurus, neq́; cunctatus signa canere, & animosos istos Hispanos, se duce procurrere jubet. Iam vero & Nassovici, magno impetu procedunt, & eorum sclopetarij, in siccis, cæcisq́; fossis delitescentes dicti memores, aliquantum spacij serpendo, clam propiores hosti fiunt: tandem expeditis tormentis, ex insidijs proruunt, frontes, lateraq; hostium feriunt, & tantum non circum veniunt: quo inopinato impetu, Hispani pedites perturbati, præcipué cum primos ordines, densa Sclopetorum procella, prosterni, hostemque vndique instare viderent. Illic Adolphi ferox equus, quum tormentorum tubarumque clangore, & strepitu percitus, amplius habenas

habenas non audiret, in medium hostium globum vagabundus invehitur. Etsi autem Adolphus Cataphractus equo insidens, atque multis undique telis petitus, se aliquam diu strenue propugnaret, equumque ad suos revocare studeret: tandem tamen multitudine obrutus, equoque dejectus, multis vulneribus confossus perijt, non sine strage hostium, quorum cadavera circa mortuum sunt reperta. Hoc excitatus rumore Ludovicus, suam propemodum adhuc integram aciem, eó proripuit; fratri opitulaturus; qui in hostium copias; jam quidem labascentes, sed paulatim gradum propter cæsum Adolphum sistere nitentes tum impetum dedit, ut absque dubio, ultima victoria á Ludovico staret, & nemo quisquam hostium auderet resistere, quorum plerosque Hilligerletum fugientes, Nassovij celeriter insecuti, partim ceperunt, partim occiderunt, ipsumque cœnobium vi expugnaverunt. Reliqui Hispani & Germani, qui evadere potuerunt, Groningam contenderunt. cæsi sunt mille circiter & Septingenti milites, capti quadringenti, captivi plerique Germani, precio dimissi, Hispani veró omnes interfecti. Desiderati, é Nassovicis circiter. 40. vulnerati, vltra 200.

Cæsus

Cæsus & in prælio est ipse Arenburgicus, vir ea calamitate indignus, qui ut timiditatis perfidiæque suspicionem vitaret, in alienæ temeritatis pænam incidit. Hic initio pugnæ, strenui legati officio fungens, cum adversa omnia, id quod ante metuebat, deprehenderet, neq; solus rebus desperatis opem ferre posset, cum alijs sese in fugam convertit, & ad fossam palustrem, quam traijcere cogitabat, pernici equo delatus, confosso equo in terram decidit. illic à Gregario milite agnitus, etsi ingens auri pondus, quo se redimeret, polliceretur, interfectus & spoliatus est. Alij scribunt, ab Antonio de Sæte Homine nobili & ordinum ductore, cum videret fratrem suum equitem ordinis Mattensis, in Ludovici acie occubuisse, cæsum esse. Falsum itaq; narrant alij, Adolphum & Arenburgicum Comites, singulari certamine sibi mutuo occurrentes, occubuisse quemadmodum etiam errant in numero copiarum utrinq; recensendo. Perierunt autem & tres primarij Hispanorum Duces temerariæ pugnæ instigatores, Martignenus verò saluus evasit, strata sunt & capta, præter tormenta bellica, quatuordecim vexilla hostium cum multa pecunia in stipendium

Comes Arenburgicus cæsus.

militum

militum parata, pretioſaque aurea & argentea, Arenburgici & Hiſpanorum veſte, & ſuppellectile: Henricus Paulinus triduo poſtquam pugnatum eſt, in caſtra Hilligerletum, viſendi cauſa cum aliquot comitibus civibus Embda profectus, omnem rem geſtam â Ludovico & Iodoco Comitibus ipſis cognovit. Comites inter alia narrabant, tantum adoriundi Hiſpanorum ardorem uroremque fuiſſe, ut ſibi gradum ſiſtentibus, aciemque inſtruentibus, ſuum magna ex parte tyronem militem nec ſatis armatum, vel ſacramento adigendi, vel viſitandi, luſtrandique ſpatium daretur, victoriamq; ſuam ſingulari quadam ope divina, quaſi miraculoſè accidiſſe. Centuriones etiam atque milites ſitum locorum & caſtrorum perluſtranti Paulino campos cadaveribus ſtratos, aciem ordinesque militares Naſſovianos, & Arenburgium mortuum in Sandapilam ad tumulum poſitum, & lethaliter vulneratum demonſtraverunt. Ludovicus hac potitus Victoria, quæ vigeſimo quarto Maij accidit, eo in loco, aliquot Diebus ſtativa habuit, qui cum Adolphi fratris cadaver, multis vulneribus, ut vix agnoſci poſſet, confectum, in medijs hoſtium cadaveribus, ut

Ludovici Naſſovij Victoria. Anno. 1568. 24. maij

modo

modo diximus reperisset, Weddam, quo
etiam aliquot cohortes militum, ad confir-
mandum præsidium, misit, honorificè defer-
ri & more majorum sepeliri curavit. Quan-
quam paulo post idem Corpus, ne in sepul-
cro hostilis soli, periculose remaneret, ejus-
dem Ludovici fratris jussu, denocte refos-
sum, & in vicinum Germanici Impery oppi-
dum est translatum & conditum. Inde mo
tis castris, sese Danimum in oppidum con-
fert. Vrbs autem Gronninga hac clade com-
mota Megenses milites revertentes qui ex
parte pugnæ fuerant, tum Arenburgicos
qui incolumes exprælio evaserant inpræsidi-
um recipit. Ferunt si Ludovicus tergis a
urbem properantium fugientiumq; militum
graviter incumbendo statim apugna, victo-
rem excercitum mœnibus adduxisset, vel p
vidæimparatæque civitatis portis, potitu-
rum vel magnum alioquin momentum,
præsertim Albano adhuc procul absente suis
rebus fuisse allaturum. Albanus autem gra-
viter offensus, quod eam cladem magis te-
meritate suorum; quam virtute hostis acci-
disse, didicerat, primum eos Hispanos, qui
authores temerariæ pugnæ Arenburgico
supererant, capite mulctat, deinde edicto
V publico

aliorum male ſanis, calidisq; conſiliis, teme-
re ſeſe credidiſſent: Imprimis verò junior
frater, ſpectantium animos lachrimasque
commovit, cum is ad ſupplicium procedens
ſuam fortunam flebiliter, quereretur, & di-
vini vatis Davidis lectiſſimum ſextum Pſal-
mum lugubri voce cantaret, animamq; ſuam
ardentibus votis Deo commendaret. Baten-
burgicorum corpora humata ſunt, reliquo-
rum palis affixa. Sumpto ſupplicio triduo
poſt allatæ ſunt Albano, per virum nobilem
Michaelem AiſtingerumAuſtriacum,Cæſaris
Maximiliani literæ, pro duobus Batenbur-
gicis fratribus intercedentes, quas literas,
maximus natu Captivorum frater, Baro Co-
loniæ tunc temporis commorans,ab Impera-
tore magnis præcibus impetraverat. ſed lite-
ræ acceleratam mortem ſequentes, præ-
claræ cæſaris voluntati, nec fraterno amori
fructum ullum afferre potuerunt. Porro
Albanus, quarto die Junij Egmondanum &
Hornanum Comites, quos libro quarto, de
menſe Septembri captos diximus, Gandavo
Brüxellas,magna manu peditum & equitum,
captivos reduci jubet&in magno foro,in do-
mo, quam vocant,Panis,é regioneCuriæ,de-
tineri,quos & eodem die, judicio ſiſtit &

per scribam, concilij Pratsium, de scripto pronunciata sententia capitis damnat: Ejus ferè argumenti: Cum Dux Albanus ex actis publicis, quibus Egmondanum, procurator generalis, in iudicio accusando persequitur, atq; ex eiusdem defensione & confessione, liquidò cognoscat, eum seditionis & rebellionis reum esse, adversus regiam maiestatem, propterea, quod cum Aurantio, atq; alijs proceribus Belgis, contra Regem, eiusq; fideles ordines, & subditos conspiraverit, & foedus fecerit: & in hanc rem supplici libello, quem fæderati Margarithæ Principi tradiderant, assenserit, Foederatos istos, & sceleratam Aurantij factionem, ope concilioq; juverit in Flandria sacro sanctam Catholicam Romanam fidem contra hæreticos & seditiosos minime defenderit, sed oppressam indefelaq; reliquerit. Itaq; his & alijs de causis, quas Albanus cum suis in sacro concilio graviter & deliberatè pensitarit, iudicat, Egmondanum gravissimum & inexpiabile crimen, immminutæ maiestatis & rebellionis commisisse, gladijq; poenam meruisse, ita quidem ut amputatum caput, in publico loco editiori, ad aliorum exemplum propter immanitatem sceleris, sit collocandum, unde tollere poena

capitis

capitis, liceat nemini, donec aliud decretum fuerit: Bona etiam ejus, omnia, possessiones ac facultates Feuda, privilegia, quæcunque & ubicunque habeat, in fiscum redigantur. Simili deinde judicio, paucis admodum mutatis, Hornanus est damnatus. Sententiæ latæ, damnatis Comitibus ipsis nocte concubia, cum se dormitum contulissent, pridie, scripto missæ sunt. Adhæc Egmondanus, profectò grave, inquit, istud, & torribile de me est latum judicium: Equidem minimé credo, Regem unquam ita à me offensum esse, ut id supplicij meruerim, Veruntamen si forte erravi, Precor Deum, ut mors mea delicta auferat, ne vel ego, vel mea vxor, liberiq; in posterum affligantur, quando nunc vita fortunisq; proscribor. Cum autem Deo optimo Maximo, & Regi Domino meo, ita fisum fuerit. mortem patienter feram. Acta processusq; Iudicij, iam ante ipsorum reditum, à procuratore Regio Ioanne Bosio ad sententiam conclusa erant. Aduocatorum opera ad causam dicendam, amicorumque congressus & solatium, quod in ultimo agone denegari non solet, & illis ad

intercessionem Cæsaris, sollicitante, Egmondani conjuge septemviri Palatini principis, concessum erat, præter opinionem recusabantur. Cogebantur pœna contumaciæ, ad accusationem soli ipsi respondere. Itaq; Egmondanus initio ad octuaginta octo capita, sibi proposita responderat, sed nunc protestatione contra vim & injuriam, quæ sibi ut aurei Velleris equiti: præter leges & immunitates provinciæ accidisset. Pridie vesperi ante mortem, convenit eum Martinus Rithovius Episcopus Iperius, qui cum confessionem ejus delictorum audivisset, multis gravibusq; verbis est consolatus, neminem enim quenquam ex Hispanis sacerdotibus admittere voluit, mox ad Regem Epistolam exarans: Ego, inquit, Rex, sententiæ, quemadmodum tuæ Majestati placuit, in me pronunciatam, audivi, quanquam animus mihi nunquam fuit, quicquam contra te, Catholicamq; religionem attentare, constanter tamen fero, quod benigno Deo visum fuerit. Si veró his Belgicis motibus peccavi, vel quicquam permisi, quod alios magis, quam me facere oportuit, est sané id á me fideli factum animo, & ad summi Dei gloriam, tuæq; Majestatis obsequium pro temporis

ratione factum. Quamobrem rogo ut mihi ignoscas, si forte quincquam contra te, admisi, esto propitius charissimæ Conjugi, innocuis liberis, miserisq; ministris meis, meq; in hoc tempore omnipotentis Dei, misericordiæ commendo; subscribens: ad mortem paratus, Lamoralus Egmondanus. Epistolam obsignatam Iperio tradit, rogans, ut eam quam primum ad Regem perferri curet, anuit, ille, & se curaturum promisit, Egmondanus se ad præces divinas contulit. Postridie, qui dies pridie fuit ejus diei, cum festum Pentecostes celebratur in quintum Iunij incidens cum præsenti animo Egmondanus petivisset vitæ finem, neque enim decere, ad mortem Damnatos diu in angustijs, mæroreque detineri, cirtiter meridiem in magnum forum, solutus vinculis producitur, non á carnifice lictoribusve, sed Episcopo Iperio, & alijs sacrati ordinis hominibus comitatus, Pollicitus enim erat nobili equestriq; fide, sese ipsum ad supplicij locum stiturum. Sequebantur tamen viginti duo signa peditum Hispanorum, ductoribus equitum Magistro, Iuliano Romero, & Salineo præfecto, qui instructam per forum aciem, adversus repentinos populi tumultus, si forte quid accidisset,

disset, diligenter curabant. Erat ex materia extructum in foro suggestum, editiori & satis amplo in loco, forma quadrata, in quod per septẽ gradus ascendebatur, undique atro constratum panno, in medio duo atripuluini repositi, a duobus frontis lateribus, alti pali, ferreis pinnis præfixi, ante suggestum stabat magister rerum capitalium, quem vulgo Provostum vocant, equo insidens manu tenens baculum rubicundum, & post eum carnifex subter suggestum ut videri non posset. Ascendit Comes, una cum Imperio Episcopo, Iuliano Romero & Salineo præfecto, lugubri habitu indutis. Ille suggestum aliquoties, susque deque perambulans, optabat sibi licuisse, in sui regis provinciæque rebus vitam profundere, mox Romerum rogavit, nullane spes esset veniæ. Illo negante. Tum Comes, quasi indignabundus, vestem talarem rubicundi coloris Damascenam, qua incedebat, vna cum pallio Holoserico nigro breviusculo superinduto, aureisque fimbrijs circunducto, ipse liber manibus deiecit, in alterum pulvinum genubus considet, & paucis cum Episcopo commutatis verbis, se ad mortem precans præparat. Episcopus

eum

eum consolando appellans, inter alia affirmat bono ut animo, tranquilloq; esset, se eius animæ salutem æternam præstiturum. Comes pileum nigris candidisq; plumis coruscantem, de capite posuit, capitium quod habebat subter pileum, oculis obducit, & crucem Christi ab Episcopo porrectam exosculans, complicatis supra pectus decussatim manibus, se misericordiæ Dei commendat, dicens, in manus tuas Domine, commendo spiritum meum & á carnifice facti sui veniam deprecante, gladio percussus, summo cum astantium omnium dolore, cruentam, indignamq; mortem obiuit: Quó autem ad mortem essent omnia expeditiora, induerat Comes indusium & thoracem, ita collotenus decurtatum, ut remotis superioribus vestibus, nudæ cervices gladio essent expositæ. Corpus autem statim Sandapila est canditum, & loca cruore aspersa, atro panno contectæ. Ajunt in carcere sibi subinde in mentem revocasse,

Aurantii præſagium, de Hiſpanorum in Belgiam per pontem (qui pons ipſe Egmondanus eſſet) ingreſſu, ſuaque imminente clade, ut ſupra indicavimus. Hornanus Comes principiò, Epiſcopo ſua delicta confiteri noluit, propterea quod Deo ipſi ſe eſſe confeſſum, diceret, tandem tamen urgenti paruit, productus Deum invocat, & veniam ſuorum peccatorum precatur, neque tamen voluit, inflictum rebellionis & imminutæ Majeſtatis crimen, pro ut rogato proponebatur, fateri. In ſuggeſtum cum aſcendiſſet rogat de Egmondano, non enim ex eo tempore, cum Brxellis caperentur, ſe mutuò viderant, neque erant collocuti: Intelligens verò eum vixiſſe, verè, inquit, pridem Egmondane frater, mihi ad Albanici exercitus adventum, diſceſſum meditanti, iſtaq; propemodum divinanti, inter cætera dixiſti, eandem tibi mecum fortunam fore. Inde converſus ad circumſtantem civium militumq; coronam cunctis ſalutem precatur, & ſicubi quemquam verbis factisve, ut homo mortalis offendiſſet, veniam rogat, monet, ut fragilitatis & miſeriæ humanæ exemplum de ſua morte capiant, & quàm regum principumq; gratia lubrica ſit & caduca, ſtatuant,

ant, seq; ut suis precibus ad Deum optimum maximum isto in agone adjuvent, vehementer rogat. Mox holoserico pallio, pileoq; deposito, altero pulvino in genua subsedit, & velatis oculis, complicatis, erectisq; ad cœlum manibus, præcabundus, carnificis ictum constanter expectat, & moritur. Paulo post capita utriusq; pinnis ferreis, infiguntur, & infixam ad tertiam horam pomeridianam, omnibus sunt spectaculo. Dimissis autem reliquis á supplicio militibus, tantisper ad custodienda capita, duæ Hispanorum cohortes in foro remanserunt, inde capita spiculo desumta, & sua cuiq; trunco rursum assuta, loculisq; recondita, majorum monumentis mandantur. Egmondani corpus primum in monasterio divæ claræ tumulatum, postea in oppidum Sottegem Flandriæ transportatum, Hornani veró in summam ædem postoralem inde in Campiniam Brabantiæ transtatum. Egmondani autem clientes, mortui arma & insigna, more majorum ingratam viri memoriam, ad aulæ ejus palatium, publicè erexerunt: Sed Albanus statim eadem iussit removeri. Ambo Comites ab initio, & deinceps de Johanne Boesio, Procuratore, quem vacant generalem

Iem ut nuper attigimus judicium obeunte, tanquam infecto partibus, & quod veterum judiciorum jura, & adversus nobilitatem, instituti processus ratio, non observarentur, grauiter sed frustra sunt cunquesti, atq; eti- protestati: Cum enim inter primos aurei velleris sociose ssent nuncupati, haud quaquam á nemine, nisi ab ipso Rege, in Augusto illius modi ordinis concilio esse judicandos. Præter cætera, in sententia capitis supra posita, utriq; comiti obiectum fuit, quod Albano cum exercitu Regio adventanti, vi atq; armis resistendum, eumq; Belgarum finibus arcendum consultarint: quod regiæ Hispanicæ inquisitioni obstiterint, quod fœderatis consuluerint, ut armati ingressi Aulam, libellum supplicem Bruxellis traderent: Quod male Rempub. in Geusiorum gratiam administrauerint: In primis autem Hornano. quod Margarithæ Principi sit minatus, & ab ea in consilium vocatus, accedere recusaverit, priusquam illa á Rege responsum, ad sua suorumq; postulata retulisset: quod ad allatum nuncium, alterum legatorum, qui in Hispanias superioribus annis, religionis & libertatis ergo, ab ordinibus Belgicis missi erant, ibidem esse iussu Regis apprehensum

hensum, palam Tornaci dixerit, si frater Montignius captus esset, se cum quinquaginta millibus militum in Hispanias, irrupturum, eumque invito Rege liberaturum. Itaq; hæc & alia ijs obiecta crimina, varijs per provincias Belgicas, conquisita testimonijs, jam ante in Hispanias, ad Inquisitorum Catholicæ Romanæ religionis Concilium, missa & transscripta sunt, qui quidem Inquisitores tale, ut diximus, capitis judicium, de his Comitibus, præsente Rege, decimo sexto hujus anni Februarij die, Madricij tulerunt, quorum sententiam Rex ipse, indicto Concilio, eadem die, eadem in Vrbe suo judicio, amplissimis, severissimisq; verbis approbavit, approbatam ad Ducem Albanum perferri, exequique mandavit: In hoc iudicio ab Hispanis Inquisitoribus, ipsoque rege solemniter habito singulis fere versibus sacrosanctæ Inquisitionis nomen honosque celebratur, neque solum ij qui religionem mutantes, eidem Inquisitioni restiterunt, & resistere voluerunt, verum etiam ij, qui speciem Catholicæ Romanæ Ecclesiæ prætendentes, protestantium fæderi ac religioni, adversati non sunt, eorumque consilia ac conatus, pro viribus non oppugnaverunt, religionis & majestatis sunt

Anno 155

damnati: ita quidem, ut totum corpus Belgicum eorundem criminum, gravissime sit notatum, exceptis tantum ijs, qui in instituta, de crimine hæreseos informatione, tanquam vere Catholici, nominibus dispuncti erant, atq; excusati, quorum tamen nomina diligentiori indagini, suo loco sint reservanda: additq; rex disertis verbis sententiæ, se pro regia sua & absoluta potestate, hac severitate, memorabile pietatis iustitiæq; documentum, ad posteros daturum. Ad hunc modum Albanus per se ipse sævus, adversus summos Belgarum proceres, viros principes, iussu mandatoq; regis progreditur, & ne quid ad summam truculentiam reliqui faceret, Egmondani Secretarium Backerselium, ut sui domini consiliorum conscium, quatuor equis distractum peremit, & quatuor alios exuri iussit. Stimulabat non leuiter, ista nuper, à Ludovico Nassouio accepta clades, ingenti dolore & vindictæ cupiditate flagrantem Ducem, lectissimis suæ gentis belli ducibus, & generoso Arenburgico Comite, cum veterano milite, in acie ignominiose profligatis, quorum in auibus, præcipuorum procerum cedibus, quoquo modo parendandum statuit. Quanq; hoc

truculentum virorum Principum ſupliciuṁ & tot illuſtrium procerũ nobiliumq; Belgarum civium triſte,&miſerandum ſpectaculũ, Albanus præter multorum ſapientum hominum iu dicium,inſano faſtu, nullo maiorum exemplo inſtituit. Nam etſi rex iratus, illud atrox inquiſitorum decretum in Belgiam, tranſmiſſum ſæuere exequendum mandaverat: tamen ille pro ſui muneris, ratione, qua Carolo Cæſari, Philippoq; regi, in maximis rebus, domi militiæq; tot per annos Legatus adfuiſſet,& remoram cunctationemq; calidis conſilijs ſæpe attuliſſet, cautius acturus fuiſſe putabatur: vt vel quietum provinciarũ ſtatum, ſicut ipſe inuenerat, & à Margaritha Principe edoctus erat, ſedatum regem, ſincere & fideliter certiorem feciſſet, vel exequendi rationem, in regis aduentum, & vlteriorem indaginem cognitionemq; cordatè diſtuliſſet: quo & regi provinciæ, quas à Margaritha, & principibus tranquillatas acceperat, ſarctas tectas conſervare, & ſibi ſingularis prudentiæ & humanitatis laudem, relinquere potuiſſet. Etſi id ab aliis, nulla ratione exiſtimatum, vel ſperatum fuit, de illo viro, qui inveterato Belgarũ odio excæ catus& inquiſitorum conſilio

cujus

cujus ipse consilij primas esset imitatus, hanc prouinciã placando regi cupidè suscepisset, & ad Belgarũ euersionẽ atq; interitũ non obscure ferretur. Est sanè id genus hominũ seruũ pecus, qui ita regibus & principibus viris inseruiunt, ut ad quodlibet dictum mandatumq; eorum, sine iuditio, rationeq; exequẽdum prosiliant. Contra vero ij commendandi, qui ita suis principibus adsunt, ut & Dei creatoris respectum, & veritatis iustitiæq; curam summam habeant, neq; ab imperiosis dominorum affectibus, semper toti pendeant: ut seruus ille apud comitum seruiliter inquit, aiunt aio, negant nego: sed seruidis inconsulti: q; consilij remoram afferant, moneant, quid recte, quid utiliter, quid secus, tam regi quam subditis non præfractis expediat, doceant salutem subditorum, salutem esse principis, neq; principem absq; subditis, neq; subditos absq; principe, fœlices posse esse. Ita enim omnes omnium ætatum sapientes iudicant, usus atq; experientia demonstrant. Iudicabant præterea Belgas, neq; maiestatis teneri iure posse, propterea, quod catholicæ religionis reformationem, in tanta lucæ doctrinæ per totum mundum fulgentis, non immeritò

multis

multis precibus supplicarant, ad obtinendam salutem animarum sempiternam: Neq; ipsius Regis personam, neque regnum nefario conatu impetiverant. Sed cum judicarent, regia edicta de religione, & Inquisitionis Hispanicæ rigorem antiquis laudatisque provinciarum privilegijs atque immunitatibus, expresse repugnare, neque populos ijs assuetos, acerbitate pœnarum premendos, sed benignitate magistratus esse ducendos, neque aliter posse in officio, obsequioque Regis contineri: putabant ex re potissimum Regis fore, ut ipsi indigenæ proceres, qui populorum ingenium, & Provinciarum statum, multò melius Hispanis nossent, Regem commodis rationibus, ab insolita severitate Imperij ad priscam gubernandi mansuetudinem adducerent. At Hispani regijque, secus affecti, secus sentiebant, omnia ex inquisitorum sententia, regioque decreto æstimantes, & necessariò Comitum supplicium accelleratum esse iudicantes. Nam cum Albanus Ludovici Nassovij copias, quotidie augeri animadverteret, iudicaretque maturandum, ut universo cum exercitu ei obviam ipsus iret, ne ille ferox victoria, paulo post, cum Aurantij fratris copijs se conjungeret, in-

victumque faceret, noluit se absente, Egmondanum, & Hornanum Comites vivos detineri. Verebatur enim, vt ferebat, ne populus veteri eorum gratia, rerumque gestarum motus memoria, in provincia extero milite vacua, tũ ultuose insurgeret, omnes ex vinculis ereptos, vindicandæ libertati duces rearetũr, in primis tum, cum plerique oẽs Belgæ, se tristi servitutis jugo pressos, varijs modis ab Hispanis vexatos, afflictosque quererentur. Certe & tempore supplicij, & quamdiu ejus præsens fuit memoria, non solũ Bruxellis, verum etiam pleræque omnes Belgarum civitates, imò etiam ipsi Hispani, tam atroci spectaculo illacrymarunt, tristi qз gestu, & incondito eiulatu, summorum populi Ducum, adeò fædam atque ignominiosam necem aversantes, longe indignissimam ipsorum factis mercedem relatam quererentur. Tantus omnium ordinum amor, præcipue in Egmondanum fuit. Erat Egmondanus staturæ proceræ, corpore robusto & lacertoso & ad arma gerenda, quàm maxime habili, dignitate formæ conspicuus, animo imperterrito, aditu facilis ac perhumanus, tum domi militiæq; juxta clarus & strenuus, ut decus & columen Belgicæ provinciæ haberetur

retur

feretur, & memoratis pro Philippo rege, insignibus partis, ad Quintinum & Gravilingam victorijs, Gallorum terror vocaretur. Cujus quidem gloriæ perpetua Comes, solet esse invidia. Apud exteros vero reges & principes ea de his Comitibus, & plerisque alijs Belgarum principibus habebatur opinio. Philippum Regem cum eorum virtute & dignitate domi & foris, tum his recentibus partis victorijs, potentissimo Gallorum rege victo, & jam sæpius ad pacem compulso, id nomen esse consecutum, quo jam senescentem Caroli parentis Germanicis bellis, & Metensis expeditionis cladis memoriam, debilitatamque potestatem, in integrum restituisse, & veterem paternam belli gloriam, in suam sibipossessionem, & utpropriam quasi postliminiò repetivisse videretur. At hi duo principes viri, illustre humanæ vicissitudinis exemplum miseris pariter, atque fælicibus mortalibus præbuere. His quidem ad vitæ morumque temperationem, & modestiam, ut secundis rebus minimè sese efferant sibique placeant: illis verò ad animi virtutisque constantiam, ut rebus adversis suncta, quæ aspera sors, gubernante Deo, vehit, toleranter ferre discant. Nihil autem in

que ea ratione, Spes potiundi, invadendiq; oppidi fuisset, saltem populationibus aggrestium, & exactionibus pecuniarum, per Groningensem agrum, vicos & oppida, ita & suas vires confirmaturum, & rem Groningensium, nemine resistente, accisurum fuisse, ut & ipse deinceps ad tantam belli molem sustinendam, cum exercitu, alacrior & instructior, & civitas (quæ magis circumiacentis agri, & rusticorum, quam suis sumptibus bellum administrare solet) ad alendum militem, & ad propugnandum, tenuior & segnior redderetur. Nunc verò cum intervallo temporis, evanescente metu, & Megensis Albaniq; præsidio, quod sedecem cohortium Germanorum, & Hispanorum peditum, trium turmarum equitum numero, Duce Martigneno, jam aduenerat, & spe propinqui vniversi Regij exercitus, aduersus omnem fortunæ impetum satis confirmati erant oppidani, Certè temerarium hoc Ludovici, cum exigui instrumenti bellici apparatu, & parvis copijs (quæ triginta duo, signa peditum & quatuor turmas equitum tunc non excedebant) munitissimi obsidendi oppidi consilium esse videbatur, ut eventus docuit. Quanquam Ludovicus à

suis persuasus ea maximé opinione, ad vrbem accessisse videri posset, ut magis quorundam civium, sibique faventium, studijs deditionem, quam expugnationem Vrbis sperârit, ex quo etiam, in primo statim accessu, de deditione, amantissimas ad Senatum civiumq; tribunos literas dedit, illi veró masculé respondentes, cum vana spe lactatum, fuisse docuerunt. Tum vero Albanus vniversis copijs contrahendis occupatus, Chiapinum vitellum Italum, cum egregia peditum & equitum manu præmittit. Is Gronningam accedens, Castra Pomærio oppidi, alteris Ludovici castris, in Monasterio Celluarto positis, opponit. Erant quotidianæ tum ex oppido, tum ex adversarijs castris, velitationes, in quibus &si subinde non nulli utrinq; caderent, multi vulnerarentur, aliquot etiam primi ordinis centuriones, suæ virtutis specimen, pedestri equestrique pugna, utrisque castris præberent, tamen ad summam rei parum momenti, attulerunt. Accidit autem nono Calendas julias, ut præsidiarij oppidani, & Vitellus, suis cum equitibus, veluti indicto certamine, excurrentes, munitiones hostium, adorirentur. Iis occurrentes Nassovij, cum fortiter aliquamdiu restitissent, ma-

nusq;

nusq;acriter conseruissent, tandē repulsi, ducentos ex suis amiserunt, multisq; vulneratis suas se intra munitiones, receperunt, Hostes circiter decē, tantū ex suis desideraverūt. Martignius etiā, sūmo in discrimine vitæ fuit. Eques enim suorum ordines circumvectus, cum simul & fortis militis & Arenui Ducis opera fungeretur, lutosam in fossam ita est delatus ut equo concidente, ipse excuretur, sed repente suorum interventu, in alium equum conjectus, vix ægré evasit, ut non in hostis potestatem veniret. Qua etiam ratione accidit, quia Frisicum solum, passim fossis, rivulisque intercisum, minimé aptum, equiti erat, ut hoc certamen magna contentione institutum citius opinione finiretur. Sequentibus autem diebus, Ludovicus Chiapino Vitello, pugnæ potestatem cum vniversis copijs, semel atque iterum defert, sed ille alacritatem Lodovici, recentemque fortunam veritus, & si pugnandi cupidus, tamen absente Albano Imperatore, non tentandam vniversæ fortunæ aleam, in vnius pugnæ discrimine, judicabat: præsertim cum sibi graviori conflictu, omnino interdictum esse meminisset. Ideoque respondit, se opportuno tempore, pugnam non recusaturum. Per hos dies, Groningæ qui-

dam in Vincula, eſt conjectus, ob proditionis ſuſpicionem, qui adhibitis quæſtionibus, eſt confeſſus, ſe cum aliquot conjuratis, quatuor oppidi angulis flammas injecturum fuiſſe, ad quod reſtinguendum incendium, diſcurrentibus civibus Ludovicanis, portæ ad Vrbem capiendam patuiſſent: Sed miſer ille in quatuor partes diſſectus, dignam factis mercedem tulit, quanquam alij injuriam illi factam, tormentisque capitalem vocem expreſſam eſſe, muſſitarent.

Sub idem tempus Iohannes Comes Bargenſis, ſuum oppidum Bergas, quod eſt ad Somam fluvium cæſo nuper á Megenſi impoſito præſidio, occupat, quod tamen paulo poſt Albanus, expulſo Bergenſi milite, repetit, & opere præſidioque firmat. Durante obſidione Groningenſi, Maximilianus Cæſar, ad querelam Albani, miſſis ad Ludovicum literis, graviſſimis ſeveriſſimisque verbis, pœna proſcriptionis mandat, ut obſidionem ſolvat, & Groningenſi agro, ſuis cum copijs, finibus Romani Imperij, excedat, neque vim ullam Belgicis Provincijs faciat, milites etiam univerſos, Centuriones, & equites imperij ſubditos, ipſius in caſtris militantes, eadem propoſita pœna, avocat, & ſacramentum, fidemque quam ipſi præſtiterant militarem,

Maximilianus Cæſar Lodovico mandat ſolvere obſidionem Groningenſem.

eis remittit & revocat. Ille veró respondet se non sui juris esse, neque sibi integrum castra relinquere, antequam cum Aurantio fratre, alijsque Germaniæ Principibus, & nobilibus fœderatis, quorum auspicijs bellum ipse gereret, hanc Cæsaris voluntatem communicasset, eorúmq; sensus explorasset. Hoc accepto responso tabellarius, qui publicus erat imperij, in Germaniam redit, & Ludovici humanitatem, militumq; abstinentiam, multis verbis laudavit, referens se quidem exercitū, armatum in Frisia Gronningense, vidisse, nullam autem vim, nullas rapinas, populationesvè agrorū, sicuti in bellis accidere solent, deprehendisse: castra hostium ad urbem plano viridiq; in campo esse posita, circa castra agrestes, liberè inoffensos commeare, pascua circum circa opimis bobus, ferocibus equis, pecudeque omnis generis Frisica abundare, lætam segetem passim in agris florere, Regionem rusticorum lateritijs domibus, confertisque horreis, & nobilium villis splendere, nullam belli faciem, nisi frequentes militum & oppidanorum velitationes, certaminaq; apparere, quanquam pauló post ijdem milites, deficientibus stipendijs prædis rapinisque intenti, animum mutaverunt. Hoc tamen Cæsaris interdicto,

apud Germanos crebrescente, multi de nobilitate Ludovici castra spectantes, mutata sententia, domi remanserunt, non nulli etiam ex castris domum redierunt.

LIBER SEXTUS

Ludovicus verò neq; propinquitate hostilium castrorum nec numero, & virtute præsidia riorum, qui in oppido erant, ad obsidionem solvendam movebatur. Cum autem Albanum magnis copijs atque itineribus ipsum adventare, & jam in propinquo esse, quotidianis nuncijs afferretur, neq; Vitellium ad pugnam eliei posse, neque oppidanos ullam amicitiæ speciem, vel spem deditionis dare videret, oppugnationem

nem etiam Vrbis propter impares copias, & tenuem belli apparatum, tentare non auderet, incensis castris, in ipsa meridie, in conspectu propemodum Albani, id quod multi mirabantur, obsidionem solvit, & versus pagum Schlochteren per Burtangum ad fines Orientalis Frisiæ, in terram Reiderlandiam, abruptis incensisque à tergo pontibus, ne insequendi hostis potestatem haberet, profectionem fugæ similem facit. Albanus parte equitatus præmissa Bruxellis discedens, cum copijs decimo quarto Iulij ad castra suorum Gronningam pervenit, ubi audita conspectaq; fuga hostium, gravem equitatum Erico Brunsuicense duce, Groningæ reliquit, tum quod animadverteret Frisicum agrum, ita fossis impeditum & palustrem esse, ut equis commodè uti non posset, tum ut à tergo validum præsidium haberet ad incertos fortunæ casus paratum, ipse cum aliquot turmis levis armaturæ & pedestribus copijs, celeriter hostem insequitur. Progressus fit certior Ludovicum ad Reiderlandiæ pagum Jemgum contendere, ubi tutum locum castris caperet, atque ibidem extremam periclitari fortunam decrevisse. Et si autem in itinere propter intercisos pontes, & viarum iniquita-

tem & retardatus, Albanus, tamen intento cursu, novissimum hostium agmen assequitur eosque capendo & terga cedendo, magnam stragem edidit, ut toto fere itinere campos cadaveribus armisq; stratos videres. Fuerat Ludovico animus obsidionem solvendi, per Pontem Rhedensem, quo Amasis fluvius, inter Rhedum & Ascendorpium pagos connectitur, in finibus Westphaliæ exercitum collectum transmittere, ut illac in interiora Germaniæ loca movens, se cum Aurantij fratris copijs, quas ille nunc non mediocres habebat, conjungeret: meminerat enim sibi à fratre dissuasum esse, seorsim cum Albano certamen: sed ab Albani copijs magno impetu subsequentibus & circa ea loca, quà ad pontem erat flectendum, agmen trahentibus, ab instituto est dejectus. Est Reiderlandia regio, ut diximus, Frisiæ orietalis, à septentrione & oriente solo, Amasi fluvio, ab occidente, Dullarto lacu cincta, qui lacu instar fluvij nunc æstum & recessum aquarium habet á meridie verò terram Groningensem continentem tangens, longitudine circiter trium milliarium, & in latitudinem milliari uno, peninsulæ formam exhibens. Fuit autem tempus, ut id quoq; obiter inseram, cum Dullarti istius

Reiderlandiæ descriptio.

loco(nomen Germanicè à furore habentem, quod quasi ad levem tempestatem fluctibus furiat)exiguus esset rivulus inter Frisiam orientalem & Groningensem agrum interluens. Accidit autem anno Christi supra millesimum ducentesimum, septuagesimo septimo, vigesima quinta die Novembris, cum rustici in Groningensi ripa, eo loco sitos aggeres, & catharactas, quantumvis sæpius moniti negligerent, reparare, ut vi tempestatis Evro atq; vulturno sævientibus ex commoto mari, AMASIS exuberans ostium, & vastos provoluens ad littra fluctus, aggeres & catharactas istas, ita perrumperet atq; disijceret, ut magnam partẽ agri Groningensis inundaret, eaq; inundatione, ultra centum hominum & pecudum millia, triginta tres parochiales pagos, & duo monasteria immensis subactis gurgitibus & voraginibus, funditus absorberet parte ista agri, in, per duo milliaria, profundum lacum demersa, & Nessa insula, ab ea agri Groningensis ora, tunc longé lateq; abrupta: ut ne nunc quidẽ vestigia eorũ pagorum cœnobiorũq; appareant. Itaq; in Reiderlãdiã inter lucũ illũ, atq; Amasim fluviũ, quo Groningemsem terram continentem attingit, Ludovicus se recipit & Jemgũ pagum instar opidi in portuno loco sitũ propere occupat cũ

Inundatio Dullarti.

Cum autem Iemgum non solum ab Amasi fluvio quo coinmeatus suppeditabat; verum etiam à fossis lacunisque ita esset natura munitum, ut vnicus tantum aditus per angustam & lutosam viam pateret, eò magis Albanus sibi properandum putavit, ne spacium sese colligendi, & sui muniendi, jam hosti quasi fugato & perturbato daret: igitur acie non in vnum corpus densata, sed longa serie, extenuatis ordinibus dextra levaque stagnantibus aquis, procedere est coactus. Avila, & Menterus cum centum triginta delectis equitibus, ut hostem adpugnam prolectarent jussu Albani praecedebant, sequebatur Iulianus Romerus equitum magister cum octingentis peditibus muscetarijs Hispanis: inde procedebant mille veterani sagittarij, ductore Zango Lodongio. Has peditum cohortes, Caesaris Gonzagae, & Martignens duae alae equitum gravis armaturae, utrinq; quantum eo in loco fieri poterat, cingebant reliquas primae aciei Hispanorum peditum copias Alfonsus Vilous & Consalvus Bracamontius ducebant, postremae aciei sex Germanorum & quindecim Belgarum peditum, signa ducenti Georgio Lanaino Villerio aderat Albanus ipse. Novissime aliquot

turmae

turmæ levis armaturæ equites sexcenti sequebantur: Cohortes autem erant, modico intervallo distinctæ, propterea ut si primæ pellerentur, eæ ad sequentes secundas, & tertias regressum haberent. Neque enim Albanus, grave ab hoste detrimentum, etiam si sui forte pellerentur, verebatur, propterea, quod utroque à latere fossæ & contractæ viæ, non minus Ludovicanis, in victoria sequentibus, quam suis hostium castra oppugnantibus, vel terga vertentibus, obfuturæ essent. Porró Avila & Menterus primos ordines ducentes, intrepidè ad castra hostium, tum intra, tum circa pagum, posita, nullo autem munita opere contendunt, præterquam enim quod ab Albano celeritate occupati, necessaria opera præstare haud facile possent, etiam adventante hoste, plerią; de solvendis stipendijs seditiosé clamabant, neą; Ludovico huc illuc cursitanti, omniaq; strenui Ducis & impigri militis munia cum Schowenburgio obeunti, neą; ordinum ductoribus dicto audientes erant. Etsi enim adversus regios, castrorum pontem magno impetu invadentes, omnibus eiaculatis tormentis, sclopettisq; strenué aliquandiu tonarent, tamen cum paucos tantos Hispanos in primis ordinibus

nibus prostratos, vniversam veró hostium multitudinem, nunc densata acie præter opinionem; (non enim putaverant Albanum ipsũ cum tantis copijs ijs in augustijs adfuturum) acrius pedem inferentem viderent, abjecti armis, de sertisque tormentis, tanquam panico terrore acti, se fœdam in fugam coniecerunt, neque ullis monitis vel minis, retineri potuerunt, quo non parum momenti tumultuarius ille Groninga discessus multis in vltimo agmine cæsis, & abjectis armis dilapsis) fugæ similis attulisse judicatur. Semel enim perculsi fugatique milites, non temere ad priorem animorum alacritatem, & pugnandi ardorem redeunt. Itaque Ludovicus hæ inopinata clade & exercitus consternatione territus, cum ferocem hostem, suis consternatis & dissipatis insistere & occupatis castris, victoriam in manibus habere, animadverteret, solus autem desperatis rebus afferre opem nullam posset, cœpit & ipse de fuga dispicere, igitur nactus tandem scapham sub catharactæ pagi aquis demersam, & vetustate fatiscentem, (nulla enim tunc alia navis reliqua erat, neq; terra exitus dabatur) ad pagum Petkum, nudus inermisq; summo cum periculo vitæ, puero tantum suo nautaq-

comitatus,

comitatus, in vlteriorem Amasis ripam trajecit, ibidemque illa nocte moratus, in Germaniam abijt, Jodocus etiam Schowenburgius Comes, cum castris Groninga perturbatè motis, infelicem successum metueret, & contumaces tumultuantesque milites in castris Iemgumanis videret, neque sanis consilijs locus esset, suo cum equitatu paulo ante salvus evasit, nescio an majori audacia, an felicitate, per Albanicos ipsos equites tum ad pontem Kedensem, versus Westphaliam perrumpens. Regijs castris, impedimentisq; potiti, Nassovios passim fugientes persequuntur. Alij enim in rusticorum domos confugiunt, alij arundinetis & virgultis sese occulũt, alij in fossas se præcipitant, alij ad Amasim, alij Dullartũ versus contendunt, ut vel natando, vel lintribus traijcendo evadant. Nonnulli denique imperiti viarum, hâc illâc per avia & devia, tanquam Lymphati vagantes, cum obviam hosti, in os imprudenter occurrunt, sibi ipsis infelicem mortem accelerant. Fit per totum biduum magna cædes. Non enim truculento hosti satis erat, manipulos imo cohortes integras dedititiorum militum, abjectis armis, post datam & juratam fidem, indusijs vestibusque totos nudare,

Crudelitas Hispanorum, contra hostes ac rusticos.

& nudatos immaniter trucidare. Verum etiam trucidatos multis post mortem vulneribus, amputatis membris mutilantes pecudum in modum mactabant: Non rusticis, & subditis Neiderlandijs, supplicibus & innoxijs hominibus, non ætate confectis, non fæminis, non infantibus pepercerunt: videre enim erat, omnis sexus homines vel in fuga deprehensos, vel ex tugurijs & latibulis erutos, in sacras ædes & majores domos, gregatim confugientes, ita circumquaque palis defixis, cogi atque obstipari, ut evadendi locus nullus esset: Tum ædes ab Hispanis incendi, & cum omnibus qui inclusi essent, quantumvis ejulantibus, opemque implorantibus, totas concremari, & in cineres redigi, quorum miserabiles clamores, & lamentabiles ejulatus, in ipsis flammarum incendijs, etiam ad vlteriorem ripam Amasis, ad aliquot millia passuum sunt auditi. Multis veró salutem attulerunt Hollandorum Classiarij, qui instructis navibus eam ripam Amasis, qua hostis pugnabat, Nassovijque fugiebant, curabant quibus fugientes, & cum impedimentis annatantes, vadoque ad recessum aquæ appropinquantes, exceperunt.

Manubiæ.

Tormenta magna, quæ sedecim, ænea ferreaque

reaque fuisse dicuntur, in hostis potestatem devenerunt, viginti signa militaria capta projectis in Amasim, á Nassovijs ipsis signis quotuor, ne hostis potiretur, præda magna facta, cum multa pecunia, quæ paucis ante cladem horis, ad solvenda militum stipendia in castra erat allata, Cæsi ad quater mille & quingentos pedites, quanquam alij majorem numerum referunt. Tertio die signo dato, á cædibus & rapinis, est temperatum. Præter prædam, quam Albanici ab hoste fecerunt, etiam totam Reiderlandiam spoliarunt, & tredecim millia boum, extra equos & alias minorem pecudem abegerunt, quod sané miseris & innoxijs subditis gravissimum accidit: Nam postea ex mandato Comitis Orientalis Frisiæ, judicialiter consignatis, domatim, singulorum damnis computatis, compertum detrimentum est, ad ducenta millia thalerorum, quemadmodum deinceps Comes in justificatione causæ, adversus Albanum instituta ad Romanum Imperatorem gravissimé est questus. Hæc clades Ludovico & Reiderlandis, incidit vigesimo primo Julij Anno 1568.

numerus occisorum.

detrimentũ rustuerum.

Clades Lud: Nassovij Anõ: 1568. die 21. Julij.

Et si autem Albanus literis, tum ad Episcopum Monasteriensem, tum ad Cæsarem

datis sui purgandi gratia scripserit, Comitem ad hanc suorum cladem, suis ad Ludovicum, missis suppetijs causam dedisse, id tamen contrarijs documentis falsum patuit, præsertim quod Comes gravissimis propositis interdictis, se ut membrum & neutralem Clientem Sacri Romani Imperij, in hoc vicino bello publicè declaraverit, & subditos suos eodem modo gravi pœnà se habere jusserit. Advexerat secum Albanus magnum apparatum Coriaceorum navigiorum, Scalarum, pontium plicatilium, & id genus instrumentorum bellicorum, quibus ad Amasim traijciendum & oppugnandam Embdam uteretur. Verum rumore de Aurantij exercitu, Brabantiæ finibus appropinquantis, allato, substitit, & postridie motis castris & Reiderlādia onustus præda Gronigā revertitur. Illic in Curiā cōvocata civitate, per Johānem Mepsciū, ut vocant Leutenantū, initio præfatus, de Cæsaris Caroli & Philippi Regis in Rempubl: beneficijs, & Clementi imperio: narrat civitatem & agrum neglecta fide, hosti Ludovico N. ssovio, armata manu invadenti provinciam, adhæsisse, hæreses & Sacrilegia, confractis eversisque statuis, & prophanatis Sacramentis permisisse: quo facto

Oratio pro Albano Groningæ habita.

facto ipsos sibi summam calamitatem attraxisse & gravissimum crimen imminutæ majestatis & rebellionis admisisse. Cum autem Rex primum ablegato Arenburgico Comite (qui in acie cæsus, vitam amiserit) deinde per Albanum Ducem, hostem omnino profligaverit, non aliter statuendum esse, quam Regem, civitatem & territorium Groningense, vi atque armis sibi denuo subjecisse atque devicisse. Atque ita quidē ipsos animadvertere, se gratia Regis, omnibusque privilegijs excidisse, eumque contra eos, tanquam rebelles posse jure suo agere. Regem etiam animadvertere præter alios ecclesiasticum ordinem, hæresi, criminibusque infectum. Ideo statuisse Episcopum jam antea nominatum, atque à Pontifice Romano authorisatum Ecclesiæ Groningensi præficere, nunc vero præscripturum Ecclesiastico ordine, propositis de religione edictis, quid ipsos facere oporteat: Et quemadmodum bona ecclesiastica, in Dei honorem, & pauperum alimoniam olim data, ad legitimum usum distribuantur mandaturum. Deinde ut jus & justitia cuilibet tam pauperi quam diviti æquabiliter ad ministretur. Postremò ut adversus omnem vim atq; mo-

tus, arx munita imponatur oppido. His rebus propoſitis multi Groningenſes, tam agrarij,quam cives, qui reformatæ religioni addicti ſibi metuebant vel alioqui ſuſpecti erant, clam fugiunt, & in vicinas provincias, rebus convaſatis, diſcedunt. Vigeſima die

Aurantij Apologia.

julij prodit ſcriptum Aurantij,quo is ſuæ adverſus Albanum inſtitutæ expeditionis, cauſis reddit,initio commemorans ea,quæ apud cognatos Principes, de Albani Tyrannide & Hiſpanorum immanitate, ſupra queſtus erat. Deinde narrat, quæ quanta Belgicæ Provinciæ Carolo Cæſari & Philippo Regi præſtitiſſent, quemadmodum præter alios immenſus ſumptus, quadringenties centena aureorum millia, vel ut vocant, quadringentas tonnas auri poſtremis bellis contribuiſſent. Tricies centena aureorum millia, ut reformatam religionem haberent liberam,obtuliſſent. Ita autem Albano geri rem Belgicam, eam tyrannidem exerceri, ut contra regia, Margaritæque decreta, nulla præſtita fide, non tam religionis, quam bonorum, quæ publicare lubitum fuerit, cura habeatur: ut nemini nunc parcendum eſſe videatur qui aliquid in bonis habeat. Jam verò præter infinitas, nobilium & locupletum mercatorum

rum per diversa tormenta, jugulationes & carceres, etiam summorum Belgiæ Procerum, equitum aurei velleris Egmondani & Hornani Comitum lamentabiles cædes & interitus notos esse, qui inaudita causa nullo juris ordine, præter merita, quibus sané eximijs sibi regem demeruissent, contra divina & humana jura, contra leges patrias, moremque majorum, & constitutiones Imperij, crudelissimo supplicio sint affecti, capitibus post mortem aliquot horas in ignominiam nobilissimarum familiarum, fædo spectaculo, palis affixis.

Et quanquam inquit mihi semper nihil fuit antiquius, quam regiam authoritatem dignitatemq; etiam meæ periculo vitæ promovere, rempublicam fortiter & fideliter administrare: tamen Albanus evulgata citatione me non solum omnibus possessionibus vult spoliatum, verum etiam perduellionis & læsæ Majestatis accusare, non veretur: Equidem ad suspicionem vitandam, memet vltro omni administratione & potestate abdicavi, & præcipuis Belgicis oppidis, arcibus ac propugnaculis, quæ in mea manu habui, relictis, sponte in Germaniam discessi. Quin etiam mei adversarij, eo se furoris pro-

cipiunt, ut non ſolum meum filium Comitem Burenſem tenerum & imnoxium adoleſcentem præter jus gentium & immunitates Scolarum ex Academia Lovanienſi, vi atque injuria raptum, in Hiſpanias abduxerint, verum etiam Regem ipſum commoverint, ut vnicum filium ſuumCarolum Hiſpaniarum principem, in vincula conjici juſſerit. Quæ cum ita ſint, & omnis ad regem aditus, mihi ſocijsque ſit interclusus, neq; ſupplicibus ſcriptis neq; defenſioni noſtræ in aula locus ullus ſit, neceſſario coacti ſumus arma adverſus Albanum Hiſpanosque ſuſcipere: Et hortamur cunctos, quibus vera doctrina Evangelij cordi, quibus regia dignitas, ſua Belgarumq; ſalus, & libertas publica eſt curæ, ut honeſtiſſimæ cauſæ legitima armorum defenſione adſint, ut communi ope, commune incendium arcere, patriamq; ab interitu vindicare, promptiſſimis animis velle videantur.

Porro Aurantius delectibus agendis occupatus, copias circa Rhenum, in finibus Naſſovicis, & vicinis locis Germaniæ collegit. Germanorum equitum ad ſeptem millia, in caſtris habebat, quorum erant clariſſimi Duces, Fridericus Rolshuſius, Haſſiæ Mareſchalſus

schallus, Theodoricus Schoneborgius, Jodocus Schouwenburgicus, Albartus Nassovius, Burchardus à Barbij, Comites; Otto Walsburgicus, Hermannus Ridesalus & Adamus Weiscus. Duces copiarum. Aurantij Peditum Germanorum aderant signa quadraginta quatuor, quorum erant præfecti Nicolaus ab Hatstatt, Feito Schonerus, Balthasar Wolphius, & alij quibus accessit Comes Lodovicus Nassovius frater principis post acceptam Jemganam cladem, cum Comite Hochstratano Antonio Lalaino, Bateburgicis, Baronibus Warouxio, Ryloijtio, Corloo, Hometzio, Boxtelio, alijsq; Belgis exulibus. Aliquanto post in Brabantia Principi accessêrunt duodecim Turmæ Gallorum equitum cum duobus millibus peditum, qui omnes sclopetarij erant, Ductoribus Ieulio Marvillerio & Poicto, Gallis, ita, ut vniversus Aurantius exercitus ad triginta millia equitum & peditum censeretur. Venit & in castra Lumæus Regulus, Comes

Comes Marcensis, vir bellicosus & impiger, mille & quingentis galeatis equitibus comitatus, qui quidem Lumeus, neque ungues digitorum, neque capillos, neque barbam se sibi præcisurum voverat, antequam sui propinqui & affinis Egmondani indignam necem vindicasset. Trahebantur in exercitu decem majora tormenta ænea, quæ erant sex campestria, & quatuor muralia, signis quibusdam militaribus inscripta erant symbola: Pro Lege, Rege & Grege, alia habebant depictum Pellicanum sibi rostro pectus fodientem, & pullos profluente sanguine suo pascentem, cassidibus equitum insculptæ rosæ, visebantur, quasi Reginæ Angliæ auspicia innuentes. Ineunte Septembri trajecto

Anno. 1568.

Rheno, regiam arcem carponum, non procul Colonia Aurantius cepit, & opere præsidioque munivit. Inde in Limburgicam regionem & agrum Iuliacensem pergit, ubi arcem Wittenam, quæ Culenburgici fuerat, recuperat & imposito præsidio discedens. Arenburgum & Eponum inter Coloniam & Duram sita, & Homersonium castella regia, vi expugnavit. Cum autem præsidiarios milites Homersonij omnes occidisset, irritavit Albanum, ut ex captivis Aurantianis deinceps

Aurantius capit varia munimenta.

inceps parceret nemini. Gallorum copiæ cum per agrum Luxemburgicum ad Huberti fanum accessissent Monasterium Andaginense, cum proximo vico depopulati, templum & Monasterium octingentorum & amplius annorum opus concremarunt. Albanus audita Aurantij versus Brabantiam instituta expeditione, cum paucis diebus Groningæ substitisset, Amsterodamum proficiscitur, inde trajectum Hollandiæ discedit, ubi lustrato exercitu, & quibusdam captivis Nassovicis capite mulctatis ad Mosæ trajectum, Mastrichtum vocant, castra movit, ut hosti jam Rhenum transgresso occurreret, daturus operam ne in Brabantiam penetraret, Interea constituerat Albanus, Eburones nunc Leodienses invadere, quod plerique renunciata religione Pontificia, Episcopo suo debitum obsequium denegarent, & Aurantio addicti viderentur. Verùm, re deliberata, cum vereretur, ne hostis relicta Brabantia per Burgundiam ad Condæum iter faceret, suasq; vires cum illo conjungeret, Albanus ad Mosæ trajectum substitit, vbi acutis triangularibus hamis ferreis, per aliquot passus in vadum fluminis injectis, alijsque machinis terrendis, in omnem eventum intentus fuit, ut hos tis-

Transitum & conatus quoquomodo impediret quin etiam ferramenta molitoria, omnibus fere molendinis, per Brabantiam exemit, frumenta eduliaq; ex agris in oppida importari curavit, ut non solum tritum frumentum verum etiam omnem commeatum illi intercluderet. Aurantius ex Limburgicis finibus ad Leodinensem præconem misit, transitum absq; injuria & maleficio postulans. Verum illi respondent, cum rem in sua non esse potestate, sed cum Principe suo Episcopo deliberandam. Cæterum ij, ne quid civitas detrimenti caperet, una cum Episcopo conjunctis animis, sex peditum signa, in præsidium vrbis conscribunt, neutra parte hostium admissa. His diebus Albanus Antuerpiæ proposito edicto Guisiorum bona & facultates proscribit, mandans omnibus, qui ea vel ipsi haberent, vel apud alios latere scirent, ut vel ad quæstorem generalẽ vel ad Magistratum loci deferrent, pœna contumacibus gravissima constituta, & tertia parte delatori assignata. Interim Aurantius denegato à Leodiensibus transitu secundum Mosam fluvium aliquot dies cum copijs procedit, in conspectu habens Albani exercitum latẽ vlteriorẽ ripã obsidẽtis eũq; à transitu pro-

Albanus sævit in Geusianorum bona.

bibere conantis. Tandem duobus milliaribus in Septentrione ex conſpectu Albani Maſtrichto movens, inter Stochemum & Maſeram oppida intempeſta nocte (cum tamen luna pernox eſſet) quarto Octobris, vado reperto, omnes copias præter expectationem feliciter traduxit, tranſeundi autem iſtum modum habuit, ad veterum Romanorum Ducum exemplum, ut aliquot equites primum in fluvium præmitteret, qui viam facerent: poſtea plures immitteret, qui diſpoſiti denſatis ordinibus, equos equis jungentes, latitudinem fluminis usque ad adverſam ripam, transverſim occuparent, & quaſi aggerem in medio flumine ſiſterent: quare & fluminis impetum, tardabant, & vadum vadoſius & firmius infrà reddebant, ut univerſæ copiæ cum impedimentis facilius tranſire poſſent. Trangreſſus Aurantius, cum militem ex itineris difficultate feſſum, & aquis madidum, aliquantiſper in ripa refeciſſet, collem qui hoſtilium caſtrorum frontem deſpectabat, caſtris ſuis occupat & explicata acie Albano pugnæ poteſtatem facit. Erant tunc in Albani caſtris variarum gentiũ, circiter ſex millia equitũ, & triginta millia peditum, præter eos, quos pleriſq; civitatibus in præſidijs diſpoſitos habebat

in queis Albertus Philippus Oeversteinius Comes, & illustres aliquot Germanorum duces, præter reliquos, quos supra memoravimus tribunos, militabant. Albanus autem opportuno loco consederat, á tergo habens Mastrichtum oppidum, & Mosam flumen, unde commeatus abundé suppetebat, & qua aditus in castra patebat, castra etiam vallo fossaque tunc muniverat, ut ab Aurantio nullum esset periculum. Narrant, Hispanos milites, rem ad pugnam deduci cupivisse, Albanum autem ipsum detrectásse: præterquam enim quod densatas peditum Phalanges & robur Germanici equitatus, quadratis agminibus per veteranos Germanorum duces alacriter ab Aurantio ad pugnam promoveri intueretur: Veritum esse, ijs, quas habebat, præter Hispanos atque Italos exteras copias ob diversitatem religionis, & civiles motus, tum etiam Belgis militibus, quos plerosque invitos parere, & coactos militare judicabat, primo belli ardore, in tantū discrimen, se fortunamque suam committere: existimans, si cunctando bellum duceret, Aurantium fracto paulatim Germanorum impetu, & frigescentibus Belgarum studiis, etiam necessariis rebus, pecuniáque destitutum, adulto autum-

no, hostili in solo, cum tantis copiis non diu moraturum; ut conversa fortuna, hosti magis ipse Albanus, intulisse bellum videri posset. Itaque levibus certaminibus eum distinendum, neque in unius pugnæ certamen, universæ fortunæ aleam conferendum statuit. Referunt alii, quemadmodum & majores natu, ex fama publica, etiam nunc recordantur, Albanum ad inopinatum Aurantii transitum, primo, communitum castris non fuisse. Ideoque Aurantium, in ulteriorem fluminis ripam transgressum, Albani copias suo exercitu, qui equitatu præstabat, & ardore pugnandi flagrabat, facilè adoriri, imò & profligare potuisse: Rolshusium etiam & Redesalum expertos equitum magistros, idem consuluisse: sed variantibus sententiis Aurantium, aliorum dissuasu, in primis quod exercitum lassum, & imparatum statim in hostem non auderet educere, pugnam distulisse: interim Albanum se egregiè munivisse. Advenerunt etiam in Albani castra, bis mille & quingenti milites Hispani, qui secum à rege, quater centena coronatorum millia, in sumptus belli attulerunt. Igitur Aurantius spe ad pugnam hostem prolectandi dejectus, senescente autumno, ad interiorem Braban-

dium collocavit, quo tutius exercitus transiret. Sed Fridericus Albani filius, cum quatuor millibus Hispanorum, & Gallorum peditum, & aliquot turmis equitum, accelerans, magnum in eos impetum dedit, ut & transeuntes tormentis impediret, & subsidiarias Aurantii copias, ad sylvam positas, fatigaret. Aurantiani igitur propemodum cincti, & in angustiis positi, neque flumen integrè transire poterant, neque sese tutò conjungere, fortiter tamen manus conserunt, & impetum hostium egregiè sustinent, donec Albano ipso cum universis copiis adventante, & prælium ferociter redintegrante, fere omnes cæsi fugatiq́ue sunt, qui non celeriter flumen transivissent. Periêre ex Aurantianis supra duo hominum millia, non nulli capti, in quibus fuit præfectus Lonuerualus, Aurantij familiaris, paulo post ab Albano Bruxellis capite mulctatus, reliqui qui incolumes trajecerunt, ad Aurantium cum majoribus peditum copijs atq; equitatu, jam ante flumen transgressis in castra pervenerunt. Aurantius trajecto fluvio, & castris metatis, statim suos in acie, in colle constituit, expectans hostem, quem perrupto fluvio sequentem majoribus tormentis

ita excipit, ut ille magno accepto detrimento gradum ſiſteret, neq; propius urgere auderet, priusquam & ſua tormenta quæ tardius aderant, adducerentur. Tum vero tantam, & tormentorum indefeſſa diſploſione, & militum virtute, in Aurantianos impreſſionem fecit, ut illi deſerto colle, ſe in propinqua caſtra conferre cogerentur. Ubi Aurantius aliquot dies ſtativa habuit. Albano inter caſtra hoſtium, & Tirlemontium conſidente, & utroq; quotidianis velitationibus atq; excurſionibus, invicē contendente, modo hac, modo illac, alternante victoria. Tandem Aurantius motis caſtris verſus Lovanium proficiſcitur, ſperans ſe ſimulatq; in conſpectum urbis cum exercitu veniſſet, ab oppidanis receptum iri, ſpe autem fruſtratus, tum etiam commeatus & pecuniæ anguſtia conflictatus, cum neminē ex Belgis præter opinionem ſe commovere, neq; ullam amicitiæ ſpeciem, in ſociandis armis defendendaq; patria contra ſæpius datam & promiſſam fidem videret, incertus animi, quorſum iret, tandem conſtituit, per Moſam rurſus in Germaniam redire, itaq; in agrum Leodienſem revertitur. Cum autem tranſitus illi per Leodium urbem

denuò denegaretur, ex improviso invadens suburbia, oppidum obsidere cœpit, sperans oppidanos inopinato impetu perturbatum, & domesticis discordijs distractum iri, quò rei benè gerendæ occasio offerretur: verum secus accidit. Igitur relicto oppido in Geldoniæ vicina loca, citatis agminibus, se contulit, inde rursum in regionem Leodicensem deflecteit, ubi Lumæus Comes omnia incendijs & populationibus vastat. Paucis diebus post Aurantius propius hostem Albanum movens, cum multo tubarum clangore, & tympanorum strepitu, expedita acie, ad pugnam provocabat. Ille etsi duobus tormentariorum millibus, & mille ducentis equitibus, ductore Cossano, Galliæ Marescหallo, auspicijs Galliæ Regis iam auctus erat, tamen veteri suo innixus consilio, pugnā detrectabat. Videbat enim, ut diximus, Aurantium in hostili solo, locis mediterrāeis versari, cōmeatū neq; aquæ, neq; terra, tantis copijs sufficientem, subvehi posse, segetes demensas, & in oppida congestas: Molendina etiam passim per agros à se suisq; vel corrupta vel eversa, & milites, ut ex captivis didicerat, de stipendijs, frequentibus tumultibus clamare, hiememq; elapso Octo-

Aurantius ad pugnā Albanū provocat.

bri instare, ut sanè difficulter continuatis castris, in Belgia diutius hæsurum crederet. Aurantius, cum videret hostem ad justum certamen adduci non posse, Namurcum iter intendit, ferè omnia, qua transiret, infestans incendiis, quò magis populi Belgici ingratitudinem & ignaviam ulcisci, pro cujus libertate bellum gerebat, quàm hostem á persequendo arcere videbatur. Inde Galliam petebat, ut se Condæo principi, jam denuò cum Galliæ rege belligerante, conjungeret. Hanoniæ autem fines, Novembri mense, Cambresiam versus, transiens, appropinquantem Albanum, conversis signis, tumultuario prælio aggreditur, & decem cohortibus Germanorum, octo Hispanorum peditum, & tribus turmis levis armaturæ equitum, cæsis & fugatis, detrimentum quidem attulit, tamen ad universampugnam certamen pertrahere non potuit. Veruntamen Albanus, hostis vestigiis insistere, & novissimum agmen quoquomodo carpere, usq; ad fanum Quintini non destitit, ubi rursum contracto certamine, non sine cæde & sanguine, utrinq; non paucis desideratis, est dimicatum & discessum. Galliam ingressus Aurantius, à populationibus non abstinuit, & Bava-

Aurantius in Galliam discedit

Albani cæduntur.

cum

cum olim bello vacuorum oppidum antiquissimum, Bratuſpantium à Julio Cæſare lib. 2 nominatum, inter cætera concremavit. Gallorum Rex, ad eum Caſparum Schonebergium Germanum, claro loco natum, legatum miſit, queſtum, quod nulla laceſſitus injuria, contra jus fasq; ſuum regnum hoſtiliter invaderet. Quod ſi veró tranſitum per ſuos fines absq; maleficio, in Germaniam amicé peteret, non denegatum iri. Interim Coſſanus diligenter Aurantio inſiſtit, & quantum poteſt, incommodat. Ille verò aliquot diebus antè, per Favellium Serium, hominem nobilem, ſuum adventum Regi ſignificaverat. Itaq; nunc Schoneburgio in Saiſſonio reſpondet, ſe paulò antè Regem de adventu ſuo certiorem feciſſe, ſuumq; conſilium indicaſſe, non autem eſſe tam ſtupidum vel inſanum, ut ipſe parvi nominis princeps, etiamſi fortè cauſam prætendere poſſet, quam tamen nullam habeat, ſe tam potenti regi & amico opponendum exiſtimet, quin potius omnes ſuas vires & copias, ejus Majeſtati reverenter offerre. Cum autem veræ religionis ſtudium, pro ſe quemque afficere debeat, & ipſe primum intellexerit, conari ſuo ex regno eam profligare, ſe

Reſponſio Aurantij ad Legatum Galliæ Regis.

autem postea à rege edoctum, reformatos illos, ipsum regem hostili odio persequi: Itaq; se palam dicere, si illi præter veram religionem, conscientiæq; libertatem, vitæ fortunarumq; securitatem, quisq; spectent, nolle eorum amicum, sed potius inimicum esse. Quoniam autem certò esset persuasus, religiosos istos, nihil nisi gloriam Dei, suamq; salutem quærere, atq; optimè regi velle: Regem indignari quidem non posse, se eorum causæ favere, cupereq; religionẽ antehac edictis publicatam, sarctam tectam conservari, amore & studio erga Regem, ejusq; regnum & subditos suo singulari. Hoc dato responso, Rex egregiam summam pecuniæ, illi offerre jubet, in stipendiorum non nullorum egentium militum solutionem, & per Schonbergium mandat, apud præfectos Turmarum, & Tribunos militum inquiri, de animo & voluntate exercitus: Ibi deprehendebatur, multitudinem gregariorum militum reditum in Germaniam, & stipendiorum solutionem flagitare neq; intus ad Condæum in Galliam penetrare velle, ut quidem Duces, & equitum magistri voluissent, etsi paulò antè magna pars Germanici equitatus, cum aliquot legionibus peditum discesserant.

Neq;

Neq; verò hic ulla vel monita, vel promissa, vel preces ad remorandum reditum, expectandæmq; regiam, pecuniam, apud contumacem militem voluerunt. Rex autem, hac audita contumacia, pecuniam denegavit. Itaq; Aurantius, cogitur suas copias per fines Campaniæ & Lotharingiæ prope Argentoratum in Germaniam, rigente Bruma, reducere, ubi tenuiter soluti discesserunt, Aurantio omnia tormenta bellica, suaq; impedimenta ad faciendam pecuniam summis in angustijs vendente. Tanta autem omnium rerum inopia, milites presserat, ut non solùm à commeatu, verùm etiam à vestibus calceisque laborarent, multi itaque in reditu fame confecti, multi nuditate & frigore enecti, passim in vijs relicti videbantur. Comes etiam Hochstratanus, Antonius Lalainus, cum Risoirio, & multis alijs primis nobilibus, & exulibus Belgis unà perierunt. Nonnullios equites cataphractos, intentio frigoris, ad omnia membra constrinxit, ut quasi dissimulanter ipsis in equis equitantes, extinguerent, ita quidem, ut equi vivi appropinquantes dominorum prædis, cum exstinctis & rigidis insessoribus, ad antiqua præsepia stabulaque redirent.

Aurantius exauctorat suos milites in Germania.

Magna inopia militum.

Qui autem vel ob lassitudinem, vel ob valetudinem novissimo, agmini adhærere non poterant, ij ab hoste capti, si Germani essent, nudi flagris cæsi, Mastrichtum versus pellebantur, sin verò regij subditi, latronum more suspendebantur. Aurantius, Ludovicus, & Henricus Nassovij fratres, circiter mille ducentos equites sibi retinuerunt, cum quibus in militiam Wulfgangi Bipontini Principis, concesserunt, & cum illo in Gallias ad Condæum pervenerunt. Ea fuit expeditio Guilelmi Aurantij Principis, magnis animis viribusq; suscepta, quæ, quod feliciori successu caruit, in abditis est fatorum divinæ providentiæ, ipse certè sibi non defuit: optârat, idem Belgas fecisse, pro suis & pro se, quòd quò minus acciderit, adversariæ solertiæ Albani sagacissimi & sævissimi veterani Ducis, non obscurè videtur esse tribuendum: nisi fortè Aurantius eò videri potest culpandus, quòd transmissa Mosa, egregiam occasionem universi certaminis, justo prælio cum hoste contendendi, prætermisisse referatur: quam occasionem deinceps repetere nunquam potuit. Quanquam, qua ratione præpeditus fuerit, supra attigimus. Ista autem exercitus Aurantiani

Aurantius cum reliquis Condæum venit.

tiani contumacia, etiam apud Reginam angliæ obfuit: nam cum illa cognovisset, eum Galliam petere, statuit ejus opera militari, in causa religiosorum, & ad Caletum recuperandum, solutis stipendijs, uti. Hoste fugato Albanus Cameraci cũ exercitu paucis diebus stativa habuit, deinde cohortibus in finibus distributis, plerisq; Germanis, cum alijs militibus dimissis, non nullos Antuerpiam & Valencenam, alios in Hollandiam, ad præsidia urbium misit. Ipse Bruxellas profectus, pro adepta victoria, quam contra potentem hostem, sine suorum clade obtinuisset, quemq; Belgarum finibus, magna cum gloria, omninò expulisset, Deo gratiarum laudes in templo reddidit. Inde animum appulit rei publicæ ordinandæ, cujus jam plenum dominium, & absolutam potestatem, regio nomine se putabat esse consecutum. Passim itaq; Episcopos, & inquisitores destinatos, introducere, Concilij Tridentini decreta publicare, sanguinarium judicium in eos, qui quodammodo priorum motuum religionisve suspecti erant, exercere, gladio, igne & laqueo, sævire, exulum & profugorum facultates diligenter inquisitas confiscare? tum etiam typo-

Albanus Deo gratias pro victoria Bruxellis agit.

 graphorum,

graphorum, & bibliopolarum libros inquiri & exuri jussit, arces & propugnacula in finibus provinciæ posuit, ut Valencenæ in Hannonia, Groningæ in Frisia, Trajecti Batavorum, Flissingæ in Sehelandia, Antuerpiæ in Brabantia, ut supra dictum & alibi alia. Ad perpetuam autem rerum, à se in Belgio gestarum, memoriam, Albanus splendidum monumentum, in Arce Antuerpiensi instar magnifici trophæi, præclari artificiosiq; operis posuit. Erat ex ære captivo, statua fusilis, ipsum Albanum armatum totum, excepto capite, quod nudum erat, repræsentans, qui dextro brachio, & manu inermi versus Antuerpiam extensa, quasi pacem denunciat, sinistro brachio, manuq; armata contracta, baculum militarem continet. Statua erecta sub pedibus habebat, biceps prostratum humanum corpus, quasi in dorso recumbens, & se erigere connitens, sex brachiorum quorum unum chartas descriptas, alterum tædam, tertium ruptum malleum, quartum clavam, quintum crumenam, sextum securim manu tenebat, sub pedibus erat larva, caput hominis exhibens, ex corporis prostrati sinu emergebat serpens, de cujus auribus scutella dependebat.

Trophæum Albani Bruxellis positum.

pendebat. Integrum autem opus quindecim pedum altitudine, super laminam erat collocatum. Lamina verò, lapidi quadrato cæsio marmoreo, trium passuum amplitudine, imposita: Marmor inscriptionem præ se ferebat: Ferdinando Alvares à Toledo, Albæ Duci, Philippi II. Hispaniarum Regis, apud Belgas præfecto, quod extincta seditione, rebellibus pulsis, religione procurata, justitia culta, provinciæ pacem firmarit, regis optimi ministro fidelissimo positum, Ad dextrum latus, Basis erat species pastoris, pastorali bacula, oves in sylva pascentis, angelo cælitus expansis alis, auroram noctis tenebras discutientem, afferente, cùm notatione ἀλεξικακὸς ἠώς, in sinistro latere visebatur altare sculptum, cum sacrificio imposito fumante, ad scripto symbolo: Deo patrum nostrorum: Id opus à Benedicto Ario montano viro docto, schemate elogioq́ formatum, & si seipsum speciæ quodammodo explicat, tamen diversas interpretationes habuit. Alii enim, ea duo capita uni affixa corpori, Egmondanum & Hornanum proceres, alii duos Nassovios, Aurantium & Ludovicum fratres significare disputabant. Alii, ut Montanus po-

Variæ interpretationes statuæ.

ſtea ipſe explicavit, corpus à ſtatua calcatum deſignare tres Flandriæ ordines, quorum duo capita corporis jacentis, nobilitatem & plebem Albanus debellaverat, tertio capite Eccleſiaſtico ordine, in integro ſtatu relicto: Tria brachia, quæ tenebat ſchedulas, tædam & crumenam, nobiles fœderatos notare, ſupplices libellos Margarithæ Principi porrigentis: Tria alia brachia, malleum, ſecurim & clavum continentia, plebē deſcribere, ejusmodi inſtrumentis ſtatuas & altaria demolientem: poſtremò paſtorem cum aurora, juſtitiam & pacem, Altare, ſuffitu, veram Catholicam majorum religionis doctrinam exhibere. Quid autem ille putabat ſibi magno futurum honori, & gloriæ, id contrà, odio & invidiæ ceſſit. Etenim Belgæ ægerrimè ferebant, ſuperbiam iſtam ſtatuam, in totius gentis contumeliam, atq; ignominiam, poſitam. Quin & ipſi Hiſpani non parum mirabantur, quod ille, devicto & ſtrato populo, barbarico faſtu, in ſummis calamitatibus & miſerijs, indignè inſultare, ampliſſimas Regis provincias, pedibus calcare, non vereretur: tum cum potius rerum præteritarum memoria, ſempiterna oblivione

Diſſertatio de Statua.

vione

vione delenda,& ſubditorum animi deterſis veteribus injurijs, novis beneficijs ſanandi & complacandi viderentur. Neq; enim ullam gentem eſſe tam barbaram,nullam tam imbecillem & ignavam nationem, quæ æquo animo patiatur,ſibi ſuas acceptas clades & calamitates,prælertim ab authoribus ipſis, atq; adverſarijs, exprobari. Quod ſi utiq; ad gloriæ immortalitatem faceret, ſtatuam in modum trophæi erigere, Regis fuiſſe erigendam ſtatuam, cujus auſpicijs & ſumptibus, bellum ſit adminiſtratum, non miniſtri. Quamobrem etiam aliquot annis poſt Belgæ, recuperata quodammodo libertate quod nunc in votis habeant, re ipſa præſtiterunt, ut communi Hiſpanorum ope, requiſenio provinciæ præſide, iſtud trophæum, non ſine Albani, tunc ex Belgia quaſi fugitantis, ignominia erexerint. Hujus monimenti duo ſchemata, Magiſtro, Iacobo Iungelino Belga, fabricari curavit, cujus alterum ſecum in Hiſpaniam devexit. Itaque nova rurſum perſecutio, & afflictis provincijs afflictio addebatur, ut plures relictis penatibus, in externas terras profugerent, quorum alii deſperatione efferveſcerent,

Perſecutio Geuſiorum Albanis nociva.

& per

& per provincias manipulatim, nudi & vagabundi, & quasi furore perciti, sese ad prædas rapinasq; converterent, sacrificos & monachos mutilatis membris, abscissis naribus & auribus, invaderent & se fortunasq; suas varijs modis ferociter vindicarent, qui propterea etiam feri Guisij dicti sunt: alij prudentiores religione & pietate præditi, ad rei familiaris curationem, præclaras opimarum mercium conficiendarũ manuales artes, ex Belgia in vicinas oras, inprimis in Angliam transferebant: Flandri enim Norwicum, Sandwicum, Chlocestrium, Maidstonium, & alias Angliæ civitates, quæ loca ferè solitaria antea erant, suo adventu, operandis Bajis, Sajis, Tripis, & id genus alijs caris & pretiosis mercibus, populosas & quæstuosas reddiderunt, ideoneamq; earum materiam, ex Belgia in Angliam importaverunt, quæ artificia etiamnunc ibidem, magno cum fructu atq; emolumento vicinorum, exercentur. Jam verò & ante annos ducentos circiter, Flandri inundationibus compulsi, in Angliam migraverant, & rationem pannorum ex lana contexendorum Anglos docuerant, quos quidem pannos, Flandri à se ex Anglica comparata lana, contextos,
per

per alias terras, ſicut nunc Angli faciunt, magno numero antea diſtrahere conſueverunt. Hollandi & Sehelandi & Brabantij ſuperioribus annis, Germanicam & vicinas regiones piſcandi, piſcesq; ſalſamentis conſervandi, navigandi atque ædificandi rationes, artesque utiliter docuerunt, ut præcellentium ingeniorum mentionem non faciam, quæ eximijs literarum monimentis, in omni genere doctrinæ, ſibi patriæq; æternam poſteritatis memoriam, conſecra erunt. Interea Albano cum regina Angliæ controverſia incidit. Erat rumor, Philippum Regem Albano magnam ſummam pecuniæ mari transmittere. Eam pecuniam navibus Hiſpanicis devectam, calciarij Gallici, Condæi Principis, inſectantes, in proximum Angliæ portum fugarant. Hiſpanicus Legatus Guerarus Deſpius, apud Angliæ reginam commeatum in petravit, iſtam pecuniam, quæ ducentorum millium coronatorũ eſſet, Antuerpiam terra marive, tuto transmittendi. Paulo poſt, regina per indicium accepit, pecuniam non eſſe regis, ſed ad Genuenſes mercatores Italos pertinere quam tamen Albanus bellum gerens, intercipere cuperet: dominos mercatores, malle

Controverſia de numis cum Regina Angliæ.

autem

gato colloquium denegavit, diciq; jussit, se quidem graviter ab Albano læsam, tamen hanc injuriam pacis causa devorare, neq, bellum cupere, nisi Albanus agat ulterius. Idem ad Regem in Hispanias querelanter scribit. Interim Angli mercatores, suum pannorum & Carsejarum mercatum, Hamburgum transferunt. Rex Philippus paucis mensibus post, Marchionem Chiapinum, Vitellum, Johannem Functium consiliarium, & Torrium secretarium, Legatos pecunias detentas repetitum, in Angliam ablegat, simul postulat navium & mercium utrinq; detentarum laxationem. Cum autem nec damni per injuriam dati, neq; satisfactionis mentionem Legati ullam facerent, neq; in mandatis haberent, ut certo ordine, de pactis deinceps observandis procederetur, re infecta & illi discesserunt, sicut & regina Regem suis literis, vigesimo decemb. Anno M. D. LXIX certiorem fecit. Quæ res Albanum magis irritavit, ut severioribus edictis, omnibus Belgis Anglicas merces, navigationes & commercia prohiberet, & numerum Belgicarum navium & mercium in Anglia detentarum edi mandaret, quasi suis Burgundis ex Anglicarum rerum in Belgia,

Angli Hamburgũ transferunt merces.

adverſaria detentione, damnum ſancire vellet, quod tamen minime fecit, ut infra videbitur. Atq; hæc ita quidem aliquot annis, magna cum negotiatorum jactura, & vicinorum incommodis, ultro citroque agitantur, donec tandem res ad concordiam reſpiraverit, ut ſuo loco dicetur. Suprà diximus, Aurantium cum fratribus Naſſoviis, in Bipontini Principis caſtra, in Galliam ad Condæum ſecontuliſſe. Albanus autem regi ſuppetias miſit, viginti quinq; ſigna Germanorum & Hiſpanorum peditum, & duo millia equitum. Condæus autem prope Congiacum memorabili pugna, amiſſis decem millibus militum, à fratre regis Henrico, cum triginta Gallicis proceribus & nobilibus ipſe cæſus eſt. Ante hanc pugnam Carolus Rex publicam pompam, quam ſacram proceſſionem vocant, in urbe Metenſi inſtituiſſe dicitur, cui ipſe cum omnibus aulæ principibus & nobilibus interfuerit. proxima verò nocte, nuncio de Condæi cæde allato, ipſe de lecto ſtatim conſurgens, magno Zelo ad templum properat, & uſitatum hymnum, te Deum laudamus, cum ſuis decantat. Condæi autem filio, Navarreno, & ſocijs bellum continuantibus,

Condæus à Rege Galliæ. Cæſus.

antibus,

antibus, & Puitierium oppidum, cum Bipontini copijs frustrà obsidentibus, iterum Hugonoti, ad Montcontaurium, quinto Nonas Octob. infeliciter pugnaverunt, Germanicis peditibus occidione propemodum occisis. Sed Comes Ludovicus, Germanicum equitatum incolumen domum fortiter reduxit, & Aurantius, paulò ante hanc pugnam, in Germaniam magno cum periculo mutato habitu reversus erat. Eodem anno, pius V Pontifex per Nicolaum Neapolitanum internuncium, Albano gladium inauratum, & pileum variis gemmis, multaq; arte confectum, & religiose Romæ consecratum misit, in gratulationem contra Hæreticos & rebelles obtentæ victoriæ: & reginam Angliæ Elizabetham, edito diplomate, quam Bullam vocant, ut hæreticam, & regni inhabilem, per quendam Nicolaum Montonum presbyterum Anglum, in Angliam ad quosdam proceres Catholicos missum declaravit, eamq; omni potestate & imperio privans, atque excommunicans, clientes & subditos juris jurandi, quo ei erant obligati fide, liberos pronunciavit; quo facto, & si nonnulli Angli, ad arma adversus reginam concitati sunt, tamen quingentis circiter

rursum profligatur.

Papa Albano ensem consecratũ & pileum tradit,

ex communicat reginã Angliæ per bullam.

captis, & supplicio affectis, iste pontificius conatus in bullam evanuit. Iohannes etiam quidam Feltonus Anglus, exemplar proscriptionis regiæ, nactus, ipso Corporis Christi festo, ad sacram ædem Londini id publicè affixit, qui cum de periculo admonitus fugere nollent, comprehensus, & à duodecemviris damnatus, capite pœnas dedit. Maximilianus Imperator, Belgarum exulum principum & nobilium procerum, & tot miserorum hominum sollicitationibus & supplicijs, inferiorisq; Germaniæ calamitatibus motus, ad totius Romani imperij periculum redundantibus, illustrissimum Principem, Carolum fratrem, Archiducem Austriæ, ad Hispaniarum Regem de pace cum mandatis magno splendore misit, verum id responsi tulit, ut facilè appareret, nullum miseriarum finem fore, neq; pacem impetrari posse ab eo rege, nisi pontificia Catholica religiõe omninò per Belgiam restituta: nullis enim rationibus nullis exemplis, vel authoritatibus majorum suorum aliorumve regum & populorum, qui religionis pacem, conscientiæq; libertatem pro temporis ratione, suis subditis necessario permisissent, flecti potuit.

Imperator ablegat legatum ad Regem Hispaniæ.

Differ-tatio

Porrò cum Saraceni, vel Marani, qui in regno

Hispa-

Hiſpaniarum Granato, in montanis commorabantur, novis rebus ſtuderent, ut recuperata poſſeſſione regni, quod majores octingentis annis obtinuerant, Ferdinando autem Caſtiliæ & Arragoniæ rege, ante octuaginta circiter annos rurſum amiſerant, rerum potirentur, Ludovicus Requiſentius, & Johannes Auſtriacus, auſpicijs Philippi regis, eos partim vi, partim dolo, domuerunt, & ad perpetuæ ſervitutis jugum redegerunt. Iam pax per Belgiam erat, & provinciæ domitæ, exercitus majori ex parte, ſolutis ſtipendijs dimiſſus, cum tamen magnæ militum manus præſidiariæ, paſſim in finibus retinendæ, & ad ſubitos & in opinatos ægrorum, & recens ſubactorum populorum motus, intempore præcavendos, alendæ eſſent. Quæſtores autem querebantur de exhauſto ærario, iſto gravi & diuturno bello. Neque volunrariæ ullæ Belgarum contributiones, jam expectandæ videbantur. Itaque Albanus de conficienda pecunia, & inſtituendo certo ordine, communi provinciarum ærario

de Saraceonis.

A a 5 rationes

rationes ineundas esse judicabat; ne etiam subinde pecuniæ, à Rege ex Hispaniis petendæ & magno cum periculo accersendæ, vel etiam, si fieri posset, à subditis rogandæ essent, & quasi emendicandæ. Ad quam rem, omnium subditorum facultatum & possessionum, certus & descriptus census, centesimus vigesimus & decimus nũmus secundum Aistingerum, quem in hac re potissimum sequimur, peridoneus esse visus est: qua ratione accideret, ut & Rex securus redderetur, de pleno Dominio, & absoluta potestate Imperij, & subditi de ordinario belli subsidio, omni tempore, in omnem eventum, pacis & quietis essent certiores. Etsi autem neminem obstiturum, vel refragaturum crederet, & generales conventus, regio nomini parũ afferre solere, didicisset, tamen de more, hoc præsertim rerum statu, in re insolita, conventum agere voluit. Itaq; ineunte Anno M. D. LXIX. generalem omnium ordinum conventum Bruxellis indixit, quo in conventu tum ipse, tum per consiliarios, in hunc fermè modum ordines est allocutus. Non opus esse arbitror, longo uti dicendi principio, præsertim apud vos, qui optimi Regis nostri subditi, & subdi-

Albani oratio ad Ordines Belgicos.

ſubditorum Legati, ejuſmodi juſſu, rebus mecum graviſſimis decernendis, ad hunc locum univerſi convocati eſtis. Cum enim veſtra virtus ſuperiorum temporum memoria, ſatis cognita & perſpecta eſt, tum certè his proximis & difficillimis annis, id ſtudium, ea fides veſtra, erga Regem enituit, ut cum paſſim per provinciam, civiles motus exiſterent, & multi non ſolum á Rege, verum etiam à fide Catholica deficerent, vòs in obſequio immoti perſtiteritis, neq; veſtro officio, ullo unquam tempore defueritis, qui etiam me, ut miniſtrum Regis reverenter habuiſtis, & contra ſeditioſos, & perduelles patriæ, ope præſidioq́; juviſtis. Quo magis confido, vos non ſolum attentè me dicentem audituros, verum etiam æquiſſimis meis poſtulatis non gravatim aſſenſuros. Itaq; quæ bella, quæ expeditiones contra Ludovicum Naſſovium in Friſia, & Guilielmum Aurantium Principem in Brabantia fuerint, meminiſtis, quibus ego, partim in acie cæſis ac profligatis, partim fuſis ac fugatis, compreſſa ſeditione, religione conſtituta, juſtitia culta, tandem tranquillitatem provinciæ, pacem ſubditis, vobis omnibus ſalutem, Regi deniq; dignitatem

peperi,

peperi. Sed demeis laboribus industria nunc non dicā· De sumptibus belli dicam, qui sumptus quanti fuerint, quiq; ad huc sint futuri, non nihil attingere, operæ pretium est. Facti autem sumptus sunt immensi: superant enim quadraginta millia librarum auri, ut quæstores suis ex rationibus referunt. Qua re & regij proventus, & Reipub: ærarium ita sunt exhausta, ut nisi ex privatorum hominum reditibus ratio publicæ cogendæ pecuniæ ineatur, nervi rerum gerendarum brevi sint defuturi, Etsi enim ex distractis exulum & proscriptorum bonis non nihil nūmorum est conflatum, tamen ista pecunia, quantacumq; fuit, simul quicquid præterea in ærarijs regijs & reipub: erat reliquum, id ultimo isto bello omne est insumptum, nec quicquam ad futuras impensas(: Reipublicæ præsertim portorijs propter bellum impeditis:) est residuum. Et quanquam stabilita pace exercitus quodammodo est dimissus, tamen his inquietis temporibus, passim in finibus sunt retinenda, arcium & oppidorum præsidia, miles ad subitos & inopinatos casus ad manum habendus, disponendæ diversis locis cohortium stationes, & excubiæ, instruendæ, classes vestris tutandis

portubus

portubus & mercibus. Nam mercatores nostri ad vicinas atque exteras nationes, exteri & vicini ad nos navigare, & commercia maritima exercere ab exulibus prædatoribus non permittuntur, Quæ omnia absque ingenti perpetuaque pecunia expediri non possunt. Quòd nisi nos, quorum res agitur, quibus possumus rationibus, reipub: jactare opem ferimus, quis omnino ferat? nemo enim nobis propior, quam nos ipsi. Itaque in tantis rei pecuniariæ angustijs, quò semel continuum imò perpetuum patriæ subsidium statuatur, non abs re visum est, ut centesimum quisque nummum omnium suorum immobilium ac nobilium Regi semel pendat. Deinde ut decimæ omnium rerum immobilium, quæ venderentur, vel distraherentur, quandiu fuerit necesse, aut alia subsidij ratio à rege inveniatur, contribuantur.

Albanus postulat decimū & centesimum nummum.

Etsi autem vobis prima specie rem insolitam proponere videri possim, tamen quando recordamini, multis jam annis Carolum Cæsarem & Philippum Regem, ineunte principatu suo, idem cogitasse, & in eandem rem incubuisse, non adeo vobis novum, id quod nunc postulatur, videri debet. Constat enim eos de solitis contribuendi modis, de Ordinum vel statuum difficultate esse questos, cum toties, quoties ad necessarios vsus reipub: in tributa conferendum esset, princeps à suis subditis auxilia quasi redimere, & ad indulgentiam exorbitantium privilegiorum se precibus demittere, indigné cogeretur. Deinde constat imparem & planè iniquam esse veterem censendi rationem; cum pleriq; divites, parum vel sæpius nihil pendant, reliqui mediocres feré vniversi ordinati census contribuerent, Hollandi verè quartam partem Flandricæ portationis soli onera omnia sufferant, imo verò provinciæ ipsæ, inter se de contribuendi ratione, non consentire solent. Nam etsi Flandri aliquando tertiam Brabantii quartam partem Flandricæ portionis tantum, quemadmodum & Artesi & Hannonij, sextam partem ejusdem Flandricæ quotæ, singuli

guli aliasq; aliæ provinciæ census partes conferrent, tamen id deinceps præstare imprimis Flandri Brabantiq; recusaverunt, sed in conventibus publicis altercando, tempusq; terendo, subinde principibus causam dederunt, propter pecuniarum angustiam, rei bene gerendi occasionem amittendi. Ista verò contribuendi ratione; quæ nunc proponitur, nemini parcetur & ex reipub: decreto omnes æqualiter,quod reipub: debent, juxta facultates absq; dissidijs solvent.

Neque sanè subditis grave videbitur,cum venditor decimum nummum Reipub: solvens, ipse novem nummos sibi retinet. Hac etiam aliæ præ alijs provinciæ gravari non possunt,& solita vectigalia, Jmprimis quæ frumentis carnibus, vino, cerevisiæ sunt imposita, de quibus subditi non semel sunt conquesti, ipso facto tollentur.

Jam verò præter vetus æs alienum,magna scitis adhuc restare stipendia, Germanis, atque alijs exteris ducibus,equitumque magistris solvenda qui vltimo bello fortiter & feliciter Regi militarunt: ut taceam res oppignoratas, quæ grandi pecunia etiam sunt redimendæ; Et cum non solum vetera propugnacula atq; arces ampliandæ & præsidijs

præsidijs tuendæ verũ etiã novæ munitiones &castella in finibus sint collocanda, atq: instruẽda, videtis ingẽti vi pecuniarũ opus esse, imo majorẽ quã hactenus sumã rempubl: exigere. Nulla autẽ major quã ex hoc cẽsu confici potest, ex quo tanquã ex perenni quodã fonte, necessarij sẽper sumptus hauriẽtur, qui in cõmunẽ vsum & incommodum patriæ redundabunt. Vt deinceps æs alienum ullum facere, nõ sit necesse. Quin hoc remedio plebs rustica, ab usitatis oneribus sublevabitur, neq; ecclesiasticus ordo, neq; nobilitas magnopere habebunt, quod quærẽtur, cum decimarum exactio mercatores & opifices potissimũ tangat. Atq; hic census etiã in Hispanijs, atq; alijs regionibus est usitatus. Ego enĩ ad quinquagĩta ducatorum millia, in oppido meo Albensi, ex eo singulis annis isto censu percipio. Quãobrẽ cum & summis nostris principibus, jã pridẽ ista centesimarum, vigesimarum, & decimarum collectãdi ratio placuerit, eaq; & apud exteras gentes recepta, & toti Belgarũ ditioni, thesauro cõstituẽdo perpetuo, in omnẽ evẽtum domi militiæq; sit profutura, & nunc denuo á Rege sũmis rationibus urgeatur neq; vtiliter haberi possit, nolo apud vos prolixior esse: certo confidens vos pro vestra in regem & patriam charitate & studio, quibus nunquam non celebres fuistis, nec communi patriæ

neq;regis dignitati,nec vestris proprijs commodis nunc quoq;non esse defuturos: Et si quid fortè, prima fronte erit molestiæ,id alacri animo esse laturos. Vt Rex sentiat,omnesq;mortales intelligãt,vos Belgas,neq;Hispanis, neq; alijs ei subjectis populis fide & obsequio ullo unquam tempore cessisse.

Hæc cum esset Albanus concionatus, magna ordines perturbatio cœpit, tãquã attõitos in Cõitio tẽuit,donec responderẽt se spaciũ deliberãdi, cũ suis & domũ revertendi petere. Vt in tẽpore deliberatũ responsũ cõmuni õniũ nõine referrent. Consiliarij autẽ(: Finantiarũ vocant:)Senatu in queis erant,barlãontius,Noiercarmius,præses viglius, Zuichẽus, & Schetzius,thesaurarius & alij aliquod,cum quibus Albanus hãc rẽ diu multũq; antea cõmũicaverat,eorũq;sensũ postulaverat,digressis ordinibus habito cõsilio,per vigliũ ità ferè respõderunt. Quæde cẽsu cẽtesimi,vigesimi & decii nummi in publico Delegatorum Belgarũ ordinum cõventu, Dux proposuisset ea ordines attentè audivisse. Et quanquã optarent provinciarũ delegatos communi nomine statim respõdisse,suã quoq;mẽtẽ duci quodãodo ignotã nõ esse:tãen cum dẽuo sentetiã rogati instantius urgeantur, se pro sua quidem parte, seorsim etiam responsuros eaq; vsuros dicẽdi libertate qua juris jurandi religiõe qua

Vigilij responsio nomine ordinũ.

qua Regi & patriæ devincti sint, præstare deceat: sperantes, id quod officij ratione facere iubeantur, Ducem pro sua æquitate placide auditurum. Ac primo quidem inquiunt quod ad Ludovicum Nassovium, Aurantiumq; Principem, & confederatos attinet, fatemur sanè maximos, & vniversæ Belgiæ periculosos fuisse excitatos motus, quos tu quidem Dux Jllustrissime, singulari prudentia, virtute, & felicitate, ita repressisti, ita composuisti, vt parta victoria, eam; qua, nunc pacem & tranquillitatem patriæ fruimur, post Deum jmmortalem, tibi maximè acceptum feramus.

Jtaq; maximas tibi omnes gratias agimus, Deum precantes, vt deinceps, bene prosperéq; & feliciter rempublicam gubernes.

Sumptus autem huius ultimi contra Guisios à te suscepti belli gravissimos fuisse: ut memoratum est, satis inter omnes constat. Quibus si addantur ista quadringenties centena millia aureorum nummum, quadringentas tonnas auri, ut vocant conficientia qui Caroli & Philippi regis bellis, adversus Galliæ Reges gestis, insumti sunt, certè multo plures, in 6 immanes erunt pecuniæ: quin nemo credet, unam Belgiam tantis, & tuam diu-

turmis

turnis exantlatam bellis, tot impendijs tantis pecuniarum cumulis, atq; thesauris expendendis, parem esse potuisse. Atq; hanc summam, Belgarum populi, præter morem, non mediocriter quidem gravati, partim ex civitatum & rerum publicarum telonijs, atq; portorijs, partim etiam ex suis facultatibus & possessionibus præstiterunt, non autem centesimas, multo minus, vel vicesimas, vel decimas, quæ nunc postulantur, contribuerunt. Jstam enim censendi rationem, non solum per Belgiam, verum etiam per Germaniam, & totum Imperium Romanum, esse planè novam, & ante hanc diem inauditam. Nam quod Carolus Cæsar & Philippus Rex, Belgarum Principes, de solitis contribuendi modis ordinumq; difficultate conquesti, & propterea hunc novum contribuendi modum requisivisse dicuntur: certè constat Carolum ejus census mentionem apud Ordines nunquam fecisse. Imò verò quum se abdicans magistratu, filio regi provincias traderet, filiumq; ordinibus, ordines filio, vicissim commendaret, quantum verborum honore, qua gratia & benevolentia, vltima oratione, ordines sit allocutus, tum cum paulò post, in Hispanias, discedens, Belgas relinqueret,

queret in integra est memoria. Etsi autem rex ineunte principatu suo, centesimi nummi exigendi quorundam instinctu meminit, tamen cum cunctos ordines ei refragari animadverteret, non amplius urgendum statuit, multo min[us] vel vigesimarum vel decimarum censum inferre voluit. Neq; verò constat, provincias, suis de contribuendi ratione altercationibus propter rei numariæ difficultates, aliquando causã principibus dedisse, rei bene gerendi occasionem amittendi. Etsi cum quandoque in conventibus publicis, pro temporum & ingeniorum varietate, diversæ sententiæ de rebus propositis dici solent, tamen consentientibus subditorum suffragijs, nostri principes, nunquam non votorum compotes facti sunt atque ita pecunia militéque in tempore instructi fuerunt, ut nostra, majorumque memoria, semper suis hostibus, superiores & victores evaserint, quemadmodum, immensi, à nobis suppeditati, & modo memorati, pecuniarum thesauri, non obscure docent. Est præterea iste census, non solum difficillimus, verum etiam propemodum impossibilis, venditorum, fraudibus & collectorum questorumque cumulandis, impensis expositus,

patriæque

patriæque perniticsus. Nemo enim quisquam suarum facultatum, & possessionum, vel quantitatem vel qualitatem, vult profiteri: neq; patietur vel immobilia bona, quæ vendere non vult, vel mobilia & vtensilia, quæ sunt venalia à quoque taxari, vel quid in arca habeat, inspici aut numerarj. Et cum una & eadem res, præcipuè de rebus mobilibus, paucis diebus decies, quandoq; & sæpius distrahetur, pretia rerum venditarum, & mercium, quæ varietate & specie sunt infinitæ, in immensum crescent, & emptores earundem, semper investigari non poterunt, unde & populi, plebisq; murmur & commotio, & Vicinorum, qui hactenus modicis portorijs, in Belgicis provincijs sunt negociati, odium & indignatio metuenda. Vicini enim certis legibus ac privilegijs, huic provinciæ devincti, enormem illam mutationem census, ut sibi suisq; commercijs damnosam, contra pacta conventa facta quærentur, & ab hac provincia absterriti par pari referent, & indigenæ atque incolæ negotiatores ac opifices, qui sunt veluti caro & sanguis Belgarum, præcisis commercijs, tanquam nervis Reipub: discedent, & patriam desolatam relinquent: Etenim

regio conſtituendo dicitur, vnde tanquam ex perenni fonte continentes ſumptus, qui adhuc graves inſumendi ſint, dimanarent. Conſtat impenſas pro modo facultatum, & temporum ratione, in hac provincia ſolere poſtulari, neque tantùm à ſubditis tempore pacis, emungendum, ut ingruente bello, non amplius ſit, quod contribuant. Jmò fieri non poteſt, ut illiusmodi theſaurus condatur, qui nunquam deficiat, nunquam exhauriri poſſit, nullis enim id majorum monimentis, nullis literis eſt cognitum, præſertim in amplisſimarum & multorum injurijs expoſitarum provinciarum adminiſtratione, ubi ſubinde exhauſto ærario, inopinatis caſibus, immenſæ & inopinatæ impenſæ, neceſſariò a ſubditis repetendæ incidunt, quorum fides & benevolentia, propterea magis benignitate fovenda, quam aſperitate retundenda ſit, ut in ſubditorum potius animis, atq; obſequijs, quam in aceruis pecuniarum, eorundem ſudore & ſanguine expreſſarum, theſaurus iſte perpetuus ſit ponendus. Quemadmodum ætate Caroli Cæſaris, ut ſupra diximus, præclarè factitatum meminimus. Neq; verò tam neceſſarium, nova in finibus ædificare propugnacula, quam vetera ædificata tueri.

Atq; his veteribus propugnaculis mediocres impensæ sufficient, neq; tot cohortes præsidiariorum militum, nunc constitutà pace, sunt alendæ, quibus ex ærarijs solito more stipendia solvi nequeant. Æs præterea alienum vetus, ab Regijs pecunijs, superioribus annis ex Hispanijs missis, est solutum, & Germanorum equitum novis stipendijs, paucis exceptis, à provincia satisfactum, loca q; redempta, quod si quid desideratur id nobe solet sarciri. Classis verò tuendis navibus onerarijs, privatorum magis mercatorum atq; exercitorum, ad quos eæ naves pertinent, pecunijs, quam ex publico, adornari solet, & si quæ fuerit, in consuetis vectigalibus & contributionibus, quæ omninò retinenda judicamus, inæquabilitas, ea est corrigenda. Quod ad rusticam plebem, Ecclesiasticum ordinem, & nobilitatem attinet, certè generale provinciæ garvamen, cunctos tanget, neq; ullus ordo non sentiet se gravatum eo censu, cum de novem nummis decimum, subditus præstare debet, quo censu, nullum onus gravius afferri potest. Quis enim tunc suarum rerum videbitur Dominus? Sed quid nos huic orationi diu inhæremus, quæ propriè ad ordines pertinet, quorum expectatum responsum, vt mus-

ſitari audivimus, iſtas difficultates, haud dubie multo exactius enucleando exponet. Itaq; finem dicendi facimus, qui pro tempore, ea libertate, qua Regios conſiliarios oportet, & quemadmodũ ſumus juſſi id quod ſentimus, quodq; & ad Regis & ad ſubditorum commoda maximè facere judicamus, conſulendo diximus, Quæq; etiam apud Regem ipſum, ſi adeſſet, juſſi diceremus, quæ quemadmodũ ejus majeſtatem clementer conſulturam, ita tuam celſitatẽ, Illuſtriſſimè Dux, benignè acceptură confidimus. His auditis, Albanus animo perplexus, cum jam pridem hanc rem animo concepiſſet, & primo ingreſſu provinciæ apud Theonis villã cum quibusdã communicans, ſubindè urſiſſet, Etſi diſſuadentibus, contradicendo, reluctandoq; & nunc etiam apud Concilium regium, ſe parum proficere, videret, tamen obſtinate pergens, conſiliarios regios & ordines, tũ corã, tũ literis, ſingulatĩ, acrius appellavit, rurſũ inferens, rẽ, non eſſe novã ſed regẽ quandoq; ab ordinibus, centeſimas, poſtulaſſe. Se itaq; non tam centeſimas vel decimas quã regiã Authoritatẽ reſpicere jubẽs volensq; & pro ĩperio mandans provĩciarũ præfectis, & civitatũ Magiſtratib: ut ijs quib: præſint ordinib: ſua poſtulata, tã de vigeſimis & deciis, quã cẽteſiis per-

Reſponſio Albani.

ſuaderent, ſe eam adhibiturum moderationem, ut nullum ſit metuendum, incommodum, vel ſi quid fortè præter expectationem ſuboriatur, ſe in cujus manu res eſſet, eundem cenſum antiquaturum. Contumaces verò vi & armis, Regia poteſtate, quemadmodum etiam, aliquot cohortibus Hiſpanorum militum emiſſis, facere eſſet conatus, compulſurum.

Deniqué ſedulò jam minis, jam blanditijs, laboravit, ut ſaltem primores, quosque ordines, & conſiliarios, ſuas in partes pertraheret.

Jam verò, ordinum delegati, paucis menſibus poſt, Bruxellas reverſi, initio idem quod Conſiliarij Regij, pluribus etiam ad ductis rationibus, graviter Albano reſponderunt, tandem edocti, ſe ſuosq; centeſimas à Rege quondam petitas, certa pecuniæ ſumma, quo ei tunc utunque ſatis fecerint, redemiſſe, & ipſi aſtipulante concilio certis conditionibus, quantum absq; detrimento Reipub: fieri poſſet, in centeſimas conſenſerunt. Etſi autem deinceps vehementer vrgerentur, & de vigeſimis & de decimis admittendis tamen eas Ordines omnes, ad mittere noluerunt. Friſij autem & Geldri, & Tranſiſulani,

Ordines utcumq; centeſimas permittunt.

lani, cum paucis alijs, in eas etiam eisdem conditionibus, post multas altercationes tandem quodammodo consensisse referunt. Sunt quidem etiam authores, Brabantos, in summam quingentos, quadringenta duorum millium librarum Arthesiarum intrá biennium solvendum, certis etiam conditionibus consensisse. Cum autem postea, Albanum, neglictis conditionibus non servare fidem, & rem exequendo fore difficillimam, & ad concussionem patriæ redundaturam animadverterent, ij cum Flandris, Artesijs, Trajectensibus, Hollandis, Selandis & alijs provinciæ populis, urgenti Albano sese gravius opposuerunt, & jussum mandatumq; Regis videre voluerunt. Viglius in sententia perseverans, motus populi, ut prædixit veritus, Albano consuluit, ut ea tenus saltem executio differretur, quo ad Rex de difficultatibus istius census, ab ordinibus edoceretur: repugnante enim populo laborare, esse adverso flumine natare & vocem populi, uno refragantis consensu, esse vocem Dei reclamantis, neq; omnem inobedientiam habendam esse seditionem. Ibi verò Albanus jam polliceri se mandatum exhibiturum, jam inferre, suam fidem, regij instar esse mandati:

Frisij, Geldri, & alij non nulli ordines quoq; utrũq; indecimas & vigesimas concesserũt.

omnis inobediẽtia nõest habẽda seditio.

ſunt. Nam quanquã Albanus hanc cauſã jam ferè bienniũ pertinaciter urgens, ſusq; deq; jactaverat, & juraverat, ſe decimas Belgis, quantũvis etiam cum ruina provinciæ, impoſiturũ, tamen cũ eas Bruxellis in lanios cũpediarios & cerviſiarios primũ exequi vellet, concitato populo, non abſq; dedecore, incepto tandem deſiſtere eſt coactus. Quas turbas deindè Anni ſeptuageſimi ſecundi principio, qua nec tum frementibus omnibus ſ.irere deſiit, multò graviores motus, quibus nobiliſſima provincia propemodum concidit, & regis imperio, quod ille plenum & abſolutum ſẽper ver dicabat, alij autem jugũ ſervitutis vocabant, ſe tandem evolutam eripuit, ſunt ſecuti, ut ſuo loco dicetur. Quò major Vigilij Zuichemij, & aliorum conſiliariorum virtus apparuit, quo vero cõſtantiq; judicio progreſſi, ſalutem patriæ, & privatis cõmodis prætulerunt, & dignitatẽ regis, quã falſò Albanus prætẽdebat, ſua apud regẽ gratia, potiorẽ habuerunt. Dixĩus ſuprà de fuga quorundã Groñingẽſiũ in vicinas oras. Eorũ abſentiũ, qui erãt circiter ducẽti tã ex urbe, quã ex agro poſſeſſiones & facultates, juſſu Albani à Carolo Guarre cõmiſſario regio, Grõĩgæ cõmorãte, his diebus cõſignãtur, ipſi ſẽel atq; iterũ citantur, ut ad diẽ apud

Seditio propter decimũ nummũ Bruxellis.

Gronigenſes profugi & exules ab Albano cita

Albanum, vel ejus commiſſario ad dicendam cauſam Bruxellis comparerent; pœna conſtituta capitis & fortunarum. Illi verò ſolenni interpoſita proteſtatione, ſenatum Groningenſem ſupplici libello, qui de civibus erant appellant, rogantes, ut juxta leges patrias, omnem omnium cauſarum ipſis de civitate cognitionem, tam in rebus criminalibus quàm civilibus; ſine ulla provocatione permittentes, ſe in ſuam fidem tutelamque ſuſcipiant idem qui erant ex agro, apud aulam Bruxellis ſollicitant, ſed fruſtra, ſcripto enim illic omnibus reſpondetur, comparentibus fiet juſtitia. Porrò in tanto omnium odio & invidia poſitus Albanus, quò non ſolum hæreſin extirpare, & ſeditionem vindicare, verùm etiam jus & juſtitiam exercere videretur, ineunte Anno M. D. LXX, præter alios maleficos & improbos nebulones, qui malè Rempub. adminiſtrabant Johannem Grovelium Spellium, rerum criminalium præpoſitum; vulgo provoſtum vocant, quod accepta pecunia veniam reis conceſſiſſet, & innocentes vexando, etiam miniſtrum ſuum, adverſantibus aliorum judicium ſuffragijs, ſuo arbitratu, ultimo ſupplicio affeciſſet, & quod juſtitiæ

Anno. 1570.

J. Grovelius Spellius ſuſpenditur,

prætextu,

prætextu, insontium nominibus, in judiciis capitalibus, damnatorum sontium nominibus sceleratè substitutis, multos injustè & crudeliter expilasset, atq; trucidasset, Bruxellis ante curiam erecto patibulo, suspendio affixit, capite etiam punitis aliis duobus ejus ministris, ut domini rerum consciis & complicibus. Deinde supplicio sumpto, iis qui monetam adulterassent, quia magna fraus, peregrina & maligna invehenda pecunia, committebatur, publico interdicto cavet, ne quis peregrinis nummis, aliunde invectis, neve aliis, quàm Philippi Regis, per Belgicas provincias, uteretur. Addebantur & leges judiciariæ, quibus in causis agendis & decidendis, litigantes, advocati & judices uterentur. Postea veniam delictorum ac criminum, quæ superioribus annis commissa essent, nomine jussuq; Regis, regali solio magnificè ante curiam extructo, ipse sedens, Antuerpiæ magna solennitate & pompa, hominumq; expectatione & concursu promulgavit, quam propterea Pandoram, tanquam calamitatum magistram, non pardonam, tanquam delictorum condonatricem appellabant, quia iis actionum conditionibus, ab Hispanicis Inquisitoribus, allatam, &

Novæ leges ab Albano conduntur.

Veniæ delictorum Generales Antwerpiæ promulgantur.

naturæ bonitate & prudẽtia eximium principem, qui si à Cæsare principibusq; adhuc semel appelletur, & de re tota rectè edoceatur, haud dubie, de remedio, aliquando tandẽ cogitaturum. In quã rem eò magis principibus esse incumbẽdum, quo majus incendium parietum proximum ardeat, omnesq; mortales intelligant nova minus Germaniæ & Reipub: vniversæ, quã provinciæ Belgiæ, pacis cõcordiæq; interesse. Hæc cum exules, magna comitij attentione supplices dixissẽt, & jã majoribus suffragijs decretũ vrgeretur. Regis Philipi Legati, qui ut Dux Burgundiæ, Burgundicã provinciã, in Imperij cõsessibus de more obit, cõsurgunt, respõdẽtes, suum regẽ, gravissimas suæ administrationis, in suis provincijs causas habere, & illiusmodi querelis jã antea respõdisse, neq; tẽeri ulli mortalium, nisi Deo opt: Max: rationẽ sui facti reddere. Quare si ipsi adversarium decretum, præter opinionẽ factum fuerit, se solenniter nõine sui Regis & principis cõtra protestaturos. Ita dilata causa, in vlteriorem deliberationem, nihil tum quidem impetratum fuit. In his Cõitijs Cæsar duas filias Añam Mariã majorẽ Carolo nõo Galliarũ regi in matrimoniũ collocavit, Maximilians & Philippus erãt duorũ frat: libri, quos jurisců: vocãt cõsobrios

Philippi Regis Legati responsum.

Matrimonia duo celeberrima in cõitijs facta.

Maximilianus Philippi Germanam ſororem, Caroli V. filiam, in uxorem habebat, cujus ſuæ ſororis, & conſobrini filiam, diſpenſante Pontifice, Philippus ducebat. Illuſtriſſimi Principes Archiduces Auſtriæ Albertus & Wenceſlaus fratres Cæſaris, amplo cum Comitatu, ſororem, ſponſam regiam in Belgiam deduxerunt, quos quamq; Dux Albanus Antuerpiæ excepit, Inde per Montes Samonenſes in Sehelandiam profecta, verſus Hiſpanias navigavit, in oceano, ab Anglica claſſe, regio apparatu excepta; Anglicam oram legens, felici curſu in Hiſpaniam ad vallum Toleti de menſe octobri, ad ſponſum Regem pervenit, quo menſe & Carolus Rex ſuam Eliſabetam accepit. Anna Maria, Philippo multos filios & filias peperit, de quibus Philippus III dictus ſolus ſupereſt, patris ſucceſſor. Hæc quarta uxor Philippi erat, tertia Elizabeta Galliæ Regis filia, paulo poſt Carolū, Hiſpaniarum Principem privignum, Anno M. D. LXVIII, in Hiſpania mortua; ex qua, Iſabella Philippi filia, memorato Alberto Archiduci, poſtea nupta, illi in dotem Belgarum ditiones contulit, Elizabeta verò Auſtriaca Gallo Regi, unicam filiam peperit, non diu ſuperſtitem.

Menſe

Menſe Novembri magnæ inundationes, aquarum per Belgicas provincias, Brabantiam, Hollandiam, Zelandiam, Friſiam & vicinas oras efferbuerunt, ut aggeribus cataractisq; ruptis, non ſolum in agris, verùm etiam in oppidis magnum detrimentum darent, pluribus omnis generis mercimonijs corruptis, domibus integris cum fundis, & territorijs violenter revulſis, & in alia loca raptatis, ingentibus navibus(: quæ holcades dicuntur:)ultra altos aggeres vallaq;,reiectis multis hominum & pecudum millibus,aquis abſorptis & ſuffocatis, ut ſuperiore ætate, ſimiles aquarum impetus haud temere fuerint. Diluvia horrẽda varia.

LIBER SEPTIMUS.

Sub hoc tempus, Albanus tria ſigna Germanorum peditum, qui propter non ſoluta ſtipendia, Valencenæ Comitem Lodronium Ducem ſuum captivum detinuerant Antwerpiam accerſivit. Advenientes cum Albanus ſævit in

putarent

suos milites. putarent acceptis veniæ literis, eam sibi vim atque injuriam esse condonatam, ab Hispanis equitibus cingi, authores tumultus evocari, eorum alios ad quadraginta quatuor, ultimo supplicio laqueo suspendi, alios aliis pœnis affici jussit.

In Academia etiam Lovanij, aliquid ridiculi accidit, quod hic notare visum est. Quidam enim Doctor Delrio cum amplissimos Albani, de Maduris, Gallis, Belgis, Germa- & alijs devictis nationibus, triumphos orationis celebrare instituisset, tanto strepitu scholasticorum in ipso orationis exordio explosus est, ut vix posset progredi; paucis diebus post, cum Egbertus Leonius Longolius & Johannes Vainesius Doctores, nomine Academiæ, Bruxellas missi de rebus mandatis, apud Albanum verba facerent, simili strepitu pedem ab ejus religionis confessario obturbati sint; mirantibus autem ijs causamq; sciscitantibus, est responsum merito illos eodem modo excipiendos, quemadmodum nuper ille, qui optimi Ducis laudes cecinisset, à furiosis scholasticis Lovanij, in quos tamen promerito animadversum non sit, exceptus fuerit. Porrò cum jam antea Rex Philippus cognoverat Turcarum classem

Piali

Piali & Hali Baſſis ductoribus, cum centum
& ſedecim triremibus, quadraginta duabus
virenibus, & aliquot onerariis navibus, men-
ſe Majo Conſtantinopoli, ad occupandam
Cyprum ſolviſſe, quam inſulam à Senatu po-
puloq; veneto, precibus armatis Tyrannus
Solimannus poſtulaverat, putavit Philippus
ſibi faciendum eſſe, ut ex fœdere cum ponti-
fice & Venetis inito, communis viribus, præ-
potenti hoſti, & totius maris imperij inhi-
anti, maturè reſiſterent neque amicam vene-
tam ciuitatem, quæ multis annis Cyprum in-
ſulam quaſi in centro maris poſitam, contra
Turcas poſſeſſam cum non obſcuro Chriſtia-
norum omnium commodo fortiſſimè defen-
diſſent, deſerendam judicavit. Itaq; phi-
lippus & pontifex egregiam Claſſem, cui
Joannem Andream Auriam Genuenſem, &
Marcum Antonium Columnam Romanum
præfecerant, ad Venetam claſſem, cujus Zaneus,
Imperator erat, prope Cretã, Venetæ ditio-
nis inſulam ſtantem miſerunt. Vbi cum
eſſent, communi ſententiâ decreverunt cum
Turcis manum eſſe conferendam, ſpectantes
parta victoria, quod Deus opt: Max: bene
vellet Cyprum liberatum iri. Ad quam rem
opportunitatem ſibi judicabant, Rhodum,

Expeditio Turcarum in Inſulam Cyprum.

do tunc vento cursum intendere, eò in itinere cognoverunt, Bassas suis cum classibus, superioribus diebus Cyprum appulisse, & junctis cum prioribus Turcis, auxiliaribus copijs, Nicosiam Cypri civitatem expugnasse, quo nuncio perturbati consilium mutaverunt, & Cretam revertentes, cum hoste feroci, & victoriæ elato non congrediendum censuerunt. Paulo pòst Famagustam alteram civitatem Cypri Metropolim, occupatam á Turcis audiverunt. Gesta hæc sunt in fine anni, supra mille quingentos septuagesimi, atq; initio septuagesimi primi. Hoc nuntio Christianis principibus allato, & cognito, Selimũ suis victoriã persequi mãdavisse. Vt vicini maris mediterranei insulas deinceps occupando, classem Christianorum invaderent, eorumq; potentiam, terra mariq; quantum possent infringerent: Ictum fœdus, Pontifex Rex Philippus & Veneti, conjunctis aliquot Italiæ principibus, sacrum fœdus nuncupantes, renovarunt, & singuli suas copias, navesq; contulerunt. Pontifex præfecto Veneti Antonio columna, adducebat duodecim triremes: Regis Philippi erant octuaginta una triremes, & viginti aliæ magnæ naves ductore Johanne Austriaco notho

Cyprus a Turcis capitur.

Anno. M. D. LXXI.

Sancta liga Classis Christianorum.

fratre

fratre: Veneti per suum ducem Sebastianum Venerium adduxerant, centum & octo triremes, cum sex grandibus Galeassis, & duabus magnis navibus rostratis; quibus Italici duces & Maltenses suas addiderant. Vt universa classis esset ducentarum & octo triremum, sex grandium Galassearum, & viginti quinq; aliarum magnarum navium rostratarum & quadraginta navigiorum parvulorum, quæ Myoporones vocantur. Hæc classis instructa erat duodecim millibus Italorum, octo millibus Hispanorum, tribus millibus Germanorum, & tribus millibus diversarum nationum militum præter nautas; in quis & multi Belgæ profugi erant, qui vitata Albani tyrannide, se in navalem istam inmilitiam procul patria, simul contulissent. Taceo remigum servorum & captivorum multitudinem, quorum multi propter diversa maleficia, ad furcas, & Galeias, damnati, illicq; revincti, interdum remigum; interdum etiam si sors & fortuna militum operam præstare cogerentur: nam illiusmodi hominum, quantumvis ærumnoso in labore opera, in omnem eventum attendenda neque parui momenti habenda esse credebatur. Præter armorum ingentem vim & appa-

instructa.

& apparatum admirabilem, tanta erat omnis generis commeatus & annonæ copia, ut vel in longum tempus universis & singulis sufficeret. Vniversi imperii Joannes Austriacus imperator erat. Cui propter spectatam fidem, & singularis virtutis opinionē, non solum Rex Philippus frater, verum etiā reliqui principes rei summam deferebant, & propter iuvenilem ætatem Ludouicus Requisentius, magnus commendator Castiliæ, grauis & maturi judicii vir, adhibebatur: qui ambo posterioribus annis, Belgicarum prouinciarum præsides successiue facti sunt, vt suo loco narrabitur. Christiani fœderati suam classem, ad Messanam Siciliæ ciuitatem colligunt & de ratione belligerandi constituunt. Cum autem cognovissent, Bassas accepto a Solimanno imperio classem trecentarium omnis generis navium, in sinum Corinthiarum, intulisse & parto commeatū, refectisq; navibus Corcyram tendisse, & ipsi cursum eodem sine mora dirigunt. Oram vero Cephaloniæ legentes, classē Turcarū in conspectu habent. Ibi utrinq; excitatis animis expansisq; classibus, tubarū, tympanorūq; clangore & strepitu sese ad pugnā præparāt. Erant numero naviūm prope pares, sed Turcæ militū, epibatarumq; copia, & altitudine magna. (præparant se ad pugnam.)

navium superiores. Illi suo [illegible] lunata acie processerunt: nostri vero operam dantes, ut altitudinem maris supra insulas occuparent, quadratam, & quadripartitam aciem instruxerunt. quarum vnam ad dextrum cornu Andreas Doria Genuensis Ammiras ducebat, gerens insignia militaria viridia, alterã ad sinistrũ cornu administrabat Augustinus Burbadicus venetus, cũ flavis fulgentibus signis mediã aciẽ obtinebat ipse Ioh: Aust: Imp: cũ signis cæruleis: Marchione sanctæ crucis, vltimã aciem cum candidis signis obeunte, Austriaci navis prætoria inter excelsos duos Galeones pontificis ad dextram, unum, Venetorum ad sinistram alterum, media cursum tenebat admirabili tormentorum apparatu & quingentis millibus, præter nautas remigesq; communitos: quibus aderant summæ Galeassæ duæ, Genuenses & Sabaudæ, præfectis principibus Parmæ & urbini ducibus, ultimæ ad dextram & sinistram insignes Mattensis & Bruelinscha Galeæ egregiè instrúctæ visebantur. His grandioribus a tergo tanq; succenturiatæ, naves aliæ bene munitæ adjunctæ erant. Ita nostris dispositis & ineundæ pugnæ signum exspectãtibus. Austriacus ex navi prætoria mioporone conscenso acies classiũ obnavigavit, & alacri voce acclamans cunctis, paucis ad virtutem cohortatus, docet, ut Christianorum

Ordo Christianorum

Christianorum res gestas & memorabiles contra immanissimos Barbaros sæpe obtentas victorias memoria repetentes, nunc quoq; contra Turcas fortiter dimicent. Neq; enim de pugnæ eventu, victoriaq; dubitandum, quum pro aris & focis & Christiani nominis dignitate cum impia, & fœdissima gente confligerent: manere victoribus amplissima præmia, ab optimo liberaliq; Pontifice, à Philippo rege Catholico potentissimo, Senatu populoque Veneto, summis Christiani orbis principibus, quorum ampla stipendia mererentur, quod si verò fato functi, cui omnes mortales essent obnoxij, pro patria occumberent, tum verò & æternam pietatis, nominisque memoriam ad posteros relicturos, & beatis sempiternas felicitatis sedes, apud præpotentem & immortalem Deum adepturos. Ad hunc modum præparata classe, cum Trierarchi suos classiarios etiam graviter appellassent. Austriaeus in navim prætoriam revertitur, & cum videret Turcicam classem, sub teli jactum esse, majoris tormenti bombum in signum pugnæ suis intimat, simul in hostem aciem dirigit, expansis tribus Imperatoriis insignibus, crucifixi Christi, divæ Mariæ

Oratio Admiralis.

virginis

virginis imagines & trium fœderatorum principum, textili opere arte facta signa, variegato & auro colore illustri splendore, referentibus. Tota etiam nostra classis coruscantibus vexillis exornata, speciem æquo majorem & terribiliorẽ hostibus præbebat. Ventus initio spirabat nostris adversus, deinde tranquilliore orta tempestate, secundus factus est. Initium pugnæ in sinistro nostrorum cœpit, quod Ochiali Bassa perfidus Christianus, quem mamaluccum vocare solent, suis cum navibus summa vi adortus est, ut tres Venetas triremes primo impetu occuparet, quo impetu, Augustinus Barbadicus etiam oculum vulneratus interijt. Ex media Galeonum acie, ubi Austriacus, Columna, & Venerius curabant, nostri majorum tormentorum frequentibus ictibus, in Turcarum classem collimantes magnum detrimẽtum intulerunt, cum contra Turcicæ classis ejaculationes, propter altitudinem suarum navium, naves nostras supergresse parum obfuerunt. Tunc verò ambo Ammirantes imperatores Johannes Austriacus, & Hali Bassa, sese mutuis certaminibus intrepidis animis impetiverunt. Quanquam quodam modo diversim scriptores narrant alij. Scribunt praeliũ.
 buat

bunt Austriacum, cum Bassa, & duobus alijs Turcarū ducibus esse congressum, ut quinq; triremium impetum simul sustinuisse, in ipsius Bassæ navem prætoriam invasisse, & mo- lotenus obtinuisse, sed in eadem navi ab Austriaco interfectum esse, inde initium victoriæ ortum Turcicam classem inclinatum & eandem universam profligatam esse, ut Ochiali Bassa, cum quadraginta circiter triremibus, vix aufugerit, tenebris noctis protegentibus pugnam enim à meridie usq; ad noctem continuatam fuisse. Postridie deprehensum est octo millia Christianorum cum aliquot magni nominis trierarchis perijsse. Turcis ultra centum & triginta triremes à nostris exceptas & captas esse, octoginta naves mari depressas & perditas, viginti millia Turcarum militum interfecta, sex millia capta, duodecim millia Christianorum captivorum ex triremium compedibus liberata. Præter hæc quadringenta ænea tormenta in prædam venerunt. Quæ omnia fœderati principis æqualiter inter se diviserunt. Cæsi Basse, duo filij etiam capti sunt. Hæc navalis Christianorum victoria, quæ nonis Octobris accidit quamque parem haud scio

Victoria.

detrimētū Turcarum.

in proxima vidit ætas. Vt Turcarum ferociam non parum domuit, ità suorum inprimis Venetorū animos magnopere recreavit. Libuit hæc Turcica breviter inserere, quæ etiam Belgica videri possunt, propterea quod Philippi regis Belgarum, principis auspiciis, pro Christiani nominis dignitate, potissimum gesta sunt, quæ candido lectori, non ingrata fore, judicamus. Tempus autem & ordo quibus rerum gestarum series, & historiæ ratio maximè constat, postulant, ut unde discessimus maturè revertamur. Igitur Albanus Centesimo nummo, certis conditionibus utcunque impetrato, de decimo & vigesimo, jam aliquot annis ad huc apud primores ordines laborabat. Neque videbatur desiturus quo ad juratæ suæ sponsioni, cujus suprà meminimus, &magnificis promissisConciliandæ reginæ, quam se inde perpetuam, ut inter domesticas subinde jactabat, consecuturum satisfecisse videretur. Iste autem nummus ex contributione opificum, mercatorum, piscatorum, & nautarum, & id genus hominum potissimum videbatur pendere, quo magis

Albanus postulat decimum nummum. Albanus vero edocebatur censum istum ingentium pecuniarum fore cumulum ex subditorum sudore & sanguine conflatum, eo majore cupiditate incendebatur. Vt tandē ordinem & moderationem census ederet. Valebat ut qui mercator merces importaret, prima venditione â numo liber esset, cui liceret, easdem res si non venderentur, vel commutarentur, liberè rursum exportare. Quo cupidius etiam merces distraherentur, statuit ut res sæpius venditæ semel tandem censum solverent, præsertim in ultima venditione, quando provincia exportarentur: ut fruges, frumenta, & legumina, simul & pecudes indigenæ, prima distractione, quoque essent liberæ, quæ magis rustici ad agricolationem & pecuariam invitarentur. Cæterum neq; populus, neque ordines assentiri voluerunt, malentes illiusmodi pecunias, ad mundum domesticum, splendoremque vestitus, quibus Belgæ præ cæteris gentibus delectari solent, impendere. Imprimis autem verebantur censum istum semel rogatū nunquam destiturum. Verum ille vi introducendum statuens, putavit Bruxellis initiū faciendum esse. Bruxellenses vero suas tabernas claudentes nihil vendiderunt. Neq; Bruxellensium denegatio.

pistoris,

piſtores neq; cereviſiarij neq; alij victu cupediarij ſuum officium facere voluerunt, ut magnus eduliorum, potusq; defectus, & perturbatio per totam civitatē ſequeretur. Ille verò nihilo minus tanquam contra ſtimulum calcitrando, decrevit maleſano conſilio, primos quoque Bruxellinſes cives, deſtinatis carnificibus, noctu domatim, Martio & Aprili menſibus ſuſpendere, qua autem nocte clades inciperet, pridie rumor increbuit, de occupata per Lumæum Briela, quod calendas Aprilis anni ſupra mille quingentos Septuageſimi ſecundi accidit: quo caſu iſte decimus & vigeſimus tam diu agitatus, Regique perſuaſus, & ſperatus nummus concidit, neque minima cauſa fuit, provinciarum tandem à rege defectionis. Diximus ſupra, nonnullos exules patria profugos, omnibus rebus ſpoliatos, ſe ad prædas & rapinas, quaſi deſperatione contuliſſe. Eorum nonnulli ab exulibus nobilibus inſtructi, mediocrem ſibi claſſem ac piraticam circiter quadraginta naviū quas fleibotas nominant pepererunt ſperaras ſe ad patriam vindicandam, & ſua recuperandi, æs ære pretium facturos eſſe. In his primi capitanei auſpicijs Aurantij principis erant Comes Guilhelmus de Marca Lumæus,

Anno M.D. LXXII

Nobiles Belgici qui piraticam exercuerunt.

Lumæus, Guilhelmus Blosins Trelonias, Dolainus Henwircus, Lancetattus à Brederode, Bartoldus Entens Groningensis, Jacobus Schonwallius, Antonius Vtenhofius & eorum substituti tribuni, Ruchaverus, Brantius, Robollius, Abelij & alij aliqui navium magistri, & maritimarum rerum periti. Cum autem ij suos receptus Ovijvæ, Doveræ & alibi in Anglia possimum haberent; Albanus reginam sollicitare non destitit, ut rebelles & piratas istos, regni sui receptaculis, portibusque prohiberet. Illa verò etsi propter illatas iniurias, Albano offensa erat, tamen veterum portorum recordans, ijs discessum mandans, omni interclusio Anglico commeatu. Itaq; versus Enckusas Hollandiæ civitatem navigantes, duas magnas & Hispanicam, & Biscanicam onerarias naves preciosissimarum mercium plenas intercipiunt. Vento autem adversante, ut institutum cursum tenere non possent deflectunt

Briela capitur.

& Brielam, aliud Hollandiæ oppidum, propter quod Rhenus & Mosa confluentes, se in oceanum effundunt, ipso die palmarum, quæ in Kalendas Aprilis incidebat, appellunt ubi scansionem facientes, portam proxumam pulvere tormentario in-

cendunt

cendunt & diruunt oppidum capiunt. Albanus certior factus primum parvi facit, mittit tamen Trajecto comitem Bassunium, cum decem signis Hispanorum peditum, ad eas fugandos. Hi cum versus Brielam etiam navigare conarentur. Lumæani classe sua obnavigantes, impediunt, quò minus ad oppidum progredi possent. Itaque Hispani proximum littus ascendentes & per cænosa aclutosa loca, partim passibus vacillantes, ut ad pugnandum essent inhabiles, utrinque terra marique cæduntur, & fugantur, eorumque navigia incenduntur, plurimi Dordracum fugiunt, Dordra censes illis portam præcludunt. Illi Rotterdamum pergentes Ductore Bossunio, neque illi primum intromissi sunt, donec tandem precibus, per manipulos viginti vel triginta militum transitum exorarent. Quò impetrato gens superba & ferox quæ leges dare non accipere consuevisset, indignata civium impetrium, globo facto portam vi occupant cives ad ducentos trucidant; oppidum diripiunt, occupato etiam paulo post vino oppido Delfshavio. Quâ re Hollandorum animi, vehementer offensi sunt.

Comes Bossinius profligatur.

Rotterdamesis Cædes.

Albanus

Albanus autem jam ante ceperat ut supra diximus, arcem fundamentis iactis, Vlissingæ imponere. Eo mittebat ex Brabantia præsidiorum Hispanorum peditum octo vexilla quorum tribuni jam præcesserant; & die paschæ in curia à decurionibus, rationẽ disponendorum per oppidum militũ; qui cum præfecto Pacieco propediẽ adfuturi essent, petebant. Hoc rumore apud cives percrebrescente; quorum alij in templum comeabant, alij jam sacris pontificiis, quæ tum celebrarentur, intererant; alij in foro, plateisque ambulabant, fit commotio: Accedebat mentio decimi & vigesimi nummi, ab Albano severissime mandati, perquam molesta & odiosa. Itaque in curiam concurritur, & præsentibus Hispanorum tribunis, clamatur de Hispano milite nequaquam recipiendo: Interea naves cum Hispanis militibus se in conspectum dare, plebs & nauta imprimis juventus ad armentarium properare, tormenta bellica ad portam raptare, Hispanis impetere; qui inopinata re perturbati, relicta Vlissinga, versus Bergas Zomas cursum deflectunt. Jam verò Middelburgi cohors Gallicorum militum, erat in præsidio, cujus tamen dimidia pars, cum signifero Vlissingæ morabatur:

Vlissingi subiiciunt se Lumæo

morabatur. Signifer autem cum suis, propter Flissingensem tumultum Middelburgum, discedebat. Cum aliquando post Flissingam venisset Paciocus cum aliquot domesticis ministris putans se suas copias illic reperturum, captus est. Capto & excusso eripuerunt, quæ habebat Albanica mandata conclamant ad arma tum ex Briela Lumæum, ex Anglia Belgas exules, Ludovicum Nassovium ex Gallia, & aliunde alios amicos & socios commorantes sollicitant, & audito Hispanorum in Rotterdamos crudeli perfidia istum Paciecum quantumvis reclamantem, & se regium ministrum Albaniq; propinquum frustra vendicantum, cum suis aliquot patibulo suspendunt, fundamenta Castri convertunt, intromittunt aquas, in erutum fundamentorum destinatæ arcis locum, arripiunt materiam, usurpantq; ad oppidi munitionem. Sunt qui scribunt apud paciecum Catalogum, multorum insignium virorum nobilium, & primorum civium; per plerasque Belgicas civitates, conscriptorum inventum fuisse, quos Albanus neci destinasset, quo facilius decimum nummum quem tanto pere urgebat extorquere possat. Comes Lumæus, aliquot milites

Paciecus suis penditur.

Belgæ

Belgæ exules Anglicani, vexillum peditum egregie instructorum, Ludovicus Nassovicus ex Gallia strenuos & inpigros Centuriones, cum manu Gallorum militum in subsidium mittunt. Tum etiam quidam Flissingenses nautæ, qui cum suis navibus, Albani jussu, ad persequendos Geusios emissi erant, domum revertentes, suis se civibus adversus Hispanos conjunxerunt, pulvere etiam tormentario clam ex Antwerpia Flissingam in rem suam comparato. Middelburgenses verò, præsidio firmati, superveniente etiam etiam tribuno Beauvoio, rerum satagentes & plures copias ab Albano impetrante in fide Albani permanserunt, & Arnuidam propinquam oppidum, in eadem fide retinuerunt. Sed Campverium oppidum, in quo armamentarium totius prope insulæ erat, cũ Flissingensibus faciebat ita distracta insula; Flissingenses ex omnibus in Selandiam appulsis navibus; primum in suum usum tormenta bellica auferunt; postea magnum numerum opulentarum navium, aromatibus plenam, in quibus; & multum signatæ pecuniæ erat ex Lusitania adventum adepti merces vendiderunt, & magnam summam pecuniæ conficientes, mediocrem exercitum

Middelburgum & Armuiden in fidem Albani permãserunt. Fissingi capiunt varias ditissimas naves.

elere

alere potuerunt. Itaque vi regionem Middelburgum pertingentem occupant, aggeres perfodiunt, qua aquæ ad oppidum alluant, & se suamque civitatem, omnibus modis, ad bellum instruunt, faciunt impressiones in Flandriam Brugensi civitati, quam sibi bona ex parte amicam eoque libentius suas in partes transituram, quamvis frustrati putabant, bellum denunciant, templa monasteriaque spoliant: Zircseam etiam oppidū, cum tota insula Suedbevelandia, in suas partes trahunt. Dum hæc Flissingæ geruntur, Albano jam sene de dimissione apud Regem sollicitante appellit ex Hispania Schulsam dux Medinaceli cum duobus millibus Hispanorum millitum successor Albani jam diu exspectatus. Ille verò in rem præsentem adductus, cum res turbatas præter opinionem deprehenderet, neque se gravissimæ functioni parem judicaret, paulo post se provincia abdicat. Lumæus Flissingæ, quotidie viribus crescens, Hollandos frequentibus monitionibus, ad belli societatem auxiliumq; fatigat, illis ad animum vocans Tyrannidem, & frequentia per Hollandiam & Schelandiam imprimis præsidia, tam decimi & vigesimi nummi censum præter omnes alias exactiones;

Adventus ducis Medinaceli successoris Albani.

Lumæ9 invitat Hollandos ad fœdus;

exactiones, & provinciarum contributiones non ferendum proponit: Docet servitutem perpetuam imminere, nisi nunc in tempore sapiant: cum & princeps Aurantius, novos delectus in Germania habeat, & Comes Bergensis per Gelriam millitem colligat, & Ludovicus Nassovius, cum egregiis copiis, ex Gallia exspectetur. Itaque Hollandiæ civitates re deliberata, Aurantio ipso, aliisq; per litteras & internuncios certius edoctæ, aliæ post alias, partim voluntariæ partim à vicinis coactæ & occupatæ, ad Lumæi partes, accedunt. Aurantius etiam Lumæi rebus cognitis, communicato consilio eum Hollandiæ præsidem certis mandatis absens ordinat: ad Dordracum administrandum, Boxcelium mittit: Soli Amstelrodamenses quæ primaria Civitas Hollandiæ est, in hoc tractu Albani partes tuetur, Northollandia verò quo altera pars est provinciæ, primam suam civitatem Enchusas, ad Lumæum sequitur: idem Alemaria, Horna, Edamum, & Medenbliccum oppida faciunt. Porro exules nobiles Frisij occidui ductoribus, Iudoco Schowenburgio & Niderwormtero comitibus, aliquot Frisiæ oppida, Snetam, Bolsvertam, Franitam occupant. Sed Gaspar

Hollandi sub-mittunt se Aurantio excepto Amsterdamo.

Roblesius

Roblesius Lusitanus, jussu mandatoque Albani, Leowardiam, Staveram, Harlingam, præcipuas civitates, se cum aliquot militum Cohortibus intulit. Castrum Staverense ab Aurantianis quidem obsidetur, sed ijs fugatis Albanici, jam ante occupatum oppidum diripiunt. Comes Guilhelmus Bergensis invadit comitatum Zutphaniensem, cum vicinis Doteco, & Duisburgo civitatibus Gelriæ. In cujus etiam fidem Transisulanæ provinciæ oppida, Hardevicum, Campi, Schvollum, Hassellicum, Steinvicum, Goerum, & Oldenselium, partim obsidione coactæ, partim spontanea deditione consenserunt. Aurantius ab Hollandis & Zelandis civitatibus, cum ex Gallia, subsidiarum aliquam pecuniam, quam etiam auxit ex distractione suæ cujusdam in Germania hæreditariæ ditionis, novis delectibus per Germaniam habitis, equium excercitum conscribit, comparatis circiter septem millibus Germanorum equitum; & mille quadringentis peditibus summo Legato Ernesto Mandelslovio constituto, adjunctis comite Barbino & Henrico Nassovio fratre; cum jam antea fædus cum rege Galliæ pepigisset. Etsi autem Vallenæcenæ, & aliæ quædam civitates Hanoniæ

pars Frisio-rum sequitur.

Com: Zutphaniensis & Transisulana.

Aurantius novum conscribit exercitum in Germania.

monię ab Albano tunc quoq; defecerunt, tamen paulo post vi armisq; in eius potestatem redierunt: Gorcomij etiam & Brietæ atq; in alijs non nullis captis oppidis, lumæani, in sacrificos, monachos, & sacerdotes, laqueo, ferro, aquarum sub mersionibus atque alijs modis crudeliter sævierunt. Sub hoc tempus mortuus est Pius V Pontifex Romanus, qui singulari cura & studio præcipuè author, Venetis fuit secū & cū Philippo Rege, contra Turcam Selimum ineundi & confirmandi fœderis, quo fœdere, communibus armis ejus tunc ingruentem vim & ferociam, insigni sub Cæphaloniam navali parta victoria, ut modo memoravimus, egregiè fregerunt. Quæ victoria potissimum in rem Venetam cessit, qui paulo ante amissa Cypro, etiam de Creta, aliisq; suis mediterranei maris insulis, non obscurè periclitarentur. Quanquam non parem gratitudinem, socijs retulisse videri possent, quod ijs relictis, & neglecto communi fœdere paulo post, clam cum Tyranno novum fœdus societatemq; contraxissent, homines adsint, qui semper in rem præsentem nitenti quid sibi suisq; maximè expediat, speculantes sua cōmoda, ex sociorū dissidijs, atq; incōmodis, metiri cōsuluisset. Etsi alijistū eorūastū, prudentiæ nōine denōīadū existiāt, judicātes tūē

Moritur Pontifex Pius.

oportunè Venetorũ amicitiã Selymo oblatã, & gratam fuisse, cum ipse ingenti accepta clade, & fractis navalibus viribus, tempus sese reficiendi, & de alia belligerandi ratione cogitandi, spacium aptavisse videretur. Et licet nunc victores Venetij essent, tamen cum nequaquam imperij magnitudine, neq; viribus armorum terra mariq; intuentum pares futuri essent, non in consulto fecisse Venetos, si ex tempore consilium caperent, quo cum præpotentissimo vicino fero hoste pacem colere, opulentissimis ejus regnis atq; emporijs frui, & suæ reipubl: libertatem deinceps sartam tectam conservare possent, præsertim cum ipsorum cum Barbaro fœdera, non adversus Christiani orbis principes dirigerentur. Fœdus cum Galliarum Rege Aurantius, per Ludovicum fratrem, ope consilio Casparis Coligni Ammiralis fecit, cui etiã non nulli cõsiliarij regis subscribebant. Censebãt enim, in rẽ Regis maxime fore, si bellũ Hispaniarũ Regi in Belgicis provincijs faceret, atq; illic artẽ belli, regno suo, in pace cõservato, cõstitueret. Carol: autẽ & propter dõesticas causas graves & singulares, quæ ejus anĩũ nõ leviter stiulãt, & propter eædẽ suorũ militũ, quos in Americã prope Mexicum, centuriones Ribauto emisisset ab Hispanis crudeliter per satam cujus

Aurantius init fœdus cum rege Gallorum.

cujus authores ipsa ad justas factis pœnas non semel frustra poposcisset, in Philippum exasperatus videbatur. Itaque Ludovicum in Gallia Rupellis commorantem, ad se accersens, multam harum rerum mentionem facit, monet ut fratrem principem certiorem reddat, reconciliationem ab Imperatore, nomine Philippi Regis, ipsi ablatam, quamvis non in commodã, ne autẽ acceptet se majora meditari. Velle provincias Belgicas, suo regno conterminas, antiquo majorum jure occupare, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, Trajectenseinq; ditionem Aurantio relinquere. In quam rem Aurantius per Germaniam militem conscriberet, Dux Alenconius frater suus, cum egregijs copijs, Ammiralio Duce Belgam peteret. Accedebant hujus rei probabiles conjecturæ, quod Belgicæ aliquot naves, in portibus Galliæ ductoribus Philippo Strossa, & Belgardio, ad hanc expeditionem instrui viderentur, & Dux Florentinus, mediocrem summam pecuniæ, bis centies mille ducatos ad militum stipendia numeraturus diceretur, & Rex Carolus cum Regina Angliæ, & nonnullis Germaniæ Principibus, novum fœdus pactionemq; faceret, qua se ad mutua auxilia, contra omnem ingruentem

tem vim atq; injuriam, etiamsi religionis ergò, aliqua pars oppugnarentur, vicissim arctissimè constringerent. His pactis Ludouicus Comes consilia inijt, cum Ianovio & Genlio tribunis Gallis, Montes vel Bergas Hanoniæ, primam & munitissimam ejus provinciæ civitatem; occupandi. Frequẽtabat oppidum Ludovicus notitia cum non nullis civibus comparatq; & curabat, ut aliquot sui milites fere duodecim, quos præ cæteris sagaciores nosset, œnopolarum habitu, negotij sui conficiendi causa; certò die oppidum intrarent. Hi vesperi diversorium ingressi, & hospitem de hora aperiendi portam rogantes, esse enim aliquot plaustra vinorum, quæ mane inveherentur, cum responsum tulissent, quartam horam fore, vel si liberalius portorium custodi solverent, etiã citius fieri posse: summo mane rei satagentes consurgunt, ad portam suo habitu properant, & dato honorario, apertam impetrant, confectoq; custodi claves eripientes, Ludovicum Comitem cum quadriginta militibus, ante portam delitescentem intromittunt: milites per urbem armati discurrunt, cives inclamant, adesse principem Aurantium magnis cum copijs, qui & civitatem ab Hispa- nica

Mons Hanoniæ capitur strategemate à Ludovico.

nica servitute & decimo Numo Albanico liberatum veniat, mandat ut quisque se domi contineat, ex januis prospicientes fenestrasve aperientes, sclopetis impetunt, & præcipuis compitis occupatis eum terrorem strepitumque aliquot horis per urbem faciunt, ut supra mille numero esse putarentur & ex civibus progredi auderet nemo, Iam verò equites circiter quingenti, qui eodem spectabant, â Ludovico ad urbem exspectabantur, neque tamen in tempore aderant, proptereà ut posteà deprehensum est, quod in propinquà sylva oberrassent, Itaq; Ludovicus sollicitus, celeriter se portà eijcit, de equitibus quærit & dispicit, demum paucis horis reperit, & feliciter in urbem introducit, cum jam fere periculum esset priores milites, & numero pauciores, & viribus impares deprehensi, ex urbe rursum â civibus paulatim prodeuntibus pellerentur. Equites intrantes, singuli singulos sclopetarios, pone se equis insidentes adducebant. Cum inforum densata acie venissent, præ lassitudine humi subsederunt, ab alacrioribus tamen, portis, arcè, curià occupatis, præsidiisque.

Crescebat Ludovici numerus militum, ex Gallia, atque aliunde quotidie confluenti-

umo

um. Oppidum satis armis instructum, exiguò commeatu erat, suspectis arma demebant, deditis conferebant. Accidit ista Montium invasio vigesimo quarto Maij qui dies est nonus Calendarum Junij, inter strategemata militaria Romana meritò numeranda. Quod quidem strategema Albanus ipse admiratus est, non enim initiò credere potuit, Ludovicum eò die in civitate fuisse, cum certò cognovisset, paulò ante in sphæristerio Parisiis cum Rege esse visum, neque se persuadere poterat, cum tam paucis militibus tam celebrem populosam civitatem uno quasi momento ita occupatam fuisse, & etiam nunc teneri: Itaque ille cum tandem fama constaret gravi cura anxius hujus civitatis defectione, qua januam Gallis invadendi Belgiam apertam videbat, magis, quam aliorum oppidorum casu movebatur. Et quanquam non ignoraret, se propter severitatem imperij, & insoliti census qui tamen non præstabat exactionem, per quam odiosum esse, armis undique peti, reique numariæ angustia laborare,

tamen ille magno animo se ad novam expeditionem recuperandamq; civitatem præparare, magnus delectus equitum & peditum per Germaniam facere Ducibus Erico Braunschvigense, Adolpho Holsteinio, Francisco Saxone præcipuis: ordinarias Belgicas aulæ cohortes clientes omnes Regios, & administros convocare, Itaque Fridericum filium cum quatuor millibus Germanorum & Hispanorum peditum & quatuor turmas equitum præfecto Nordcarmio præmittit mandans, ut ante omnia oppidanis commeatum intercluderet, ipse cum universis copiis prope diem secuturus, Fridericus magnis itineribus profectus prope suburbium castra ponit, occupato cœnobio suburbano Bethlemo oppidum vallo & munitionibus cingit. Hic multæ quotidie velitationes accidunt, oppidanis frumentatum & pabulatum erumpentibus, Hispanis vero pro virili certando prohibentibus, Jenlius Tribunus in Gallia de hoc rerum statu, ab Ludovico certior factus, cum Regem edocuisset, jussu mandatoque ejus, auxiliares copias colligit: idem Ammiralius facit. Igitur conscriptis quatuor millibus peditum, atque aliquot turmis gravis & levis armaturæ equitum, ex utriusque religionibus

Albanus in Germania cogit copias.

Mittit filiũ ad recuperandum eam exercitu Montẽ.

Galli urbem liberare approperant.

ligionibus, ductoribus Rentio Jumellio, Berenguarvillo, Janilaco & Beavoio, se ad expeditionem parant. Ludovicus vero Jenlium monuerat, ut omissa Montium civitate, quæ satis firma præsidio, exigua autem annona esset, ad Aurantium fratrem, nunc ad Mosæ fluminis transitum, castris in hostem tendentem iter flecteret. Ille verò Montes peteret illac ad Aurantium transiturus, per seductores itineris quinque fere millibus ad urbem in viarum angustias; primum ab Albanicis duce Nortcarmio, cum tribus millibus rusticorum Hannonensium qui collecta manu, populantes Gallos acriter persequebantur, profligatus est mille ducentis militibus, cum Rentio, Ringravio Dolhanio, aliisque primoribus Belgis cæsis, Jeumellio & Lenlio captis, quorum ille tandem Tornaci liberatus, hic Antwerpiam in castrum devectus, & post diuturnam captivitatem, in carcere mortuus reperitur: multi etiam nobiles & alij, capti, in castris hostium, statim suspensi sunt, pauci circiter centum sibi fuga salutem quæsiverunt, Montesque pervenerunt. Tertio Nonas Augusti Albanus ordines Belgicos Bruxellas convocat, & præsente Medinatœli, proponit, Regem ex Hispaniis,

profligantur, multi cæsi, & capti sunt.

Hispaniis, decies centena millia aureorum numûm ad sumptus belli misisse, eamque omnem esse pecuniam, quæ inde exspectanda sit: se verò ea pecunia conscripturum duodecim legiones, Germanorum, quinquaginta signa Hispanorum, centum & quinquaginta cohortes Gallorum & Belgarum peditum, tum vero decem millia Germanorum equitum, & tria millia Belgarum ordinariorum equitum, & bis mille equites levis armaturæ, exceptis navibus, & tormentis Belgicis reliquoq; apparatu militari magnificis verbis jactans, se bimestri spacio bellum confecturum, & hostem ex Belgia omnino profligaturũ. Tanto autẽ excercitui, cum regia summa haud sufficeret, illos oportere non minorem, imo majorem summã præstare, postulare ergo vicies centena millia aureorũ, unius anni spacio numerandam. Ipse paucis diebus post, quãvis Germanorũ copiæ nec dum adesse omnes possent, & cum triginta duobus majoribus tormentis, versus Montes castra movet, quẽ Medinaceli sequitur relictis Bruxelli Arescoto Duce. Appropinquans urbem circũvallare pergit, ita se munitionibus instruit, ut nõ solum, annonæ interclusionẽ a filio cœptã continuaret, verum etiã contra oppidanorũ eru-

Albanus ab ordinibus cõvocatis exigit summes.

ptiones, & externorũ hostium impetus munitus esset. Interim non cessabat blanditiis, & precibus animũ Galliæ regis flectere, muneribus & benevolentia, sibi purpuratos aulicos conciliare, & Ammiralium invisum facere. Idem spectabat Rex Philippus, intercedente pontifice qui quidem pontifex cardinalẽ Alexandrium, ad Carolũ Galliæ Regẽ misit postulatũ, primum ut in sacri illius fœderis, quod inter se põtifex & Philippus moliebantur, societatem se ascisceret, deinde sororem Margaritã Regi Navarreno, sed Lusitani Regis filio in matrimoniũ collocaret. Deniq; ne Hugonotorum, imprimis Ammiralij consilia sequeretur; id enim tam ipsi quam universæ Ecclesiæ Catholicæ exitio fore, Omenis deniq; Guisios ut Catholicorum per Galliam, principem familiam hortantur, ut diligenter sui rationem habeant; neq; Hugonetis summam gratiã in aula permittant; qui suum regem adversus Philippum Regem Catholicum, vicinum amicum & affinem; columnam Ecclesiæ ad arma invitare non desinunt, recordentur paternæ cædis, quam Ammiralius Dux & author seditiosorum hæreticorum

Praxis Albani de divertendis Gallis.

per

per quendam Poltrotum perpetraverit, ejus se vindicem præstent. Aurantius hoc tempore cum copiis progressus, prope Duisburgium Rhenum traiicit. Ruremondam Gelriæ civitatem ad Mosam sitam expugnat, milites autem Ecclesiasticos sacerdotes; & monachos male tractant, & spoliant. Cum autem ejus loci primus Episcopus Lindanus abesset, ejus supellectilem, & bibliothecam, quam omnis generis perantiquis & neotericis ex varijs gentibus conquisitis libris, instructissimam habebat discerpunt & dissipant, non sine dolore multorum. Inde injuncta pecunia, in Brabantiam tendenti, Lovanium, Nivella, Michlinia, Terœmonda, Aldenardum oppidum cessere: Sed Aldenardi magnam crudelitatem in summos & infimos, sacros & prophanos Aurantiani exercuerunt. In itinere de cæde Admiralij, constanti rumore allato; qui rumor eum ejusq; præfectos militares, non mediocriter perturbavit, ille tamen versus Montes Hannoniæ pergit. Hic non ab re fuerit, nonnulla de parisiensi nuptiali tragœdia, ad nostram historiam facientia, breviter inserere. Paci jam tertium inter regem & Hugnotos in Gallia factæ confirmandæ aliquot illustria matrimonia;

Aurantius varias capit civitates.

monia, diversis temporibus contracta fuerunt. Præterquā enim quod Rex ipse Carolus, Maximiliani Cæsaris filiam, ut supra meminimus, in conjugem sumpsit. Admiralius Comitissam Entremontanam Sabaudiam, Princeps Condæus Ducis Neverij filiam, uxores duxerunt. Agebatur etiam de Matrimonio, inter Principem Navarræum, & Regis sororem Margaritham Valesiam contrahendo; satagentibus rege ipso, & regina Navarræna Joanna quæ erat soror Francisci primi regis, matrona lectissima, & reformatæ religioni addictissima.

Nuptiæ aliquot celeberrimæ in Gallia comparantur.

Hæc sub præparamentis nuptialibus, vel pleurinicide vel ut alij volunt, ex infectis veneno donatis chirothecis mortem obierat; ijs nuptijs destinatus erat dies decimus septimus Augusti. Ad quas primores & proceres Galliæ fere omnes invitati utriusq; religionis magno numero comparebant. Conjungebantur stato die, sponsus & sponsa Parisijs, ante majorem sacram ædem à Cardinali Borbonio, absq; Romanæ Ecclesiæ ceremonia. Iam festa nuptialia, tota hebdomade, regia pompa, varijs ludis & Certaminibus de more celebrantur. Admiralius autem monebatur, ut sibi in tanta hominum variorum

Admiralius ut sibi caveat admonetur, à Regis Perfidia.

rum turba ab insidiis caveret; quæ ea temporis & loci oportunitate, & à licentia fortè accidere possent. Ille regis benevolenti & promissis confisus, nihil se metuendum respondit, Regi enim Carolo diffidere, esse de salute religionis, & Reipublicæ desperare. Regē amplissimis verbis sibi esse pollicitum, finitis nuptijs, se reformatorum querelas cogniturum, & de expeditione in Belgas instituenda, amplius deliberaturum; in quam rem jam aliquod factum esse apparatum. Idem Teligniius gener respondebat; proram & puppim in regis fide collocans. Neq; ullis rationibus alliam sententiam, sibi persvaderi patiebantur: promanare quidem talium cogitationum adversiones ex pio studio, & civili solertia; sed se Deo bonam causam totam committere quæ majori sibi curæ, quàm satis & vita esset. Vegesimo secundo Augusti Regem concilio ad ludum pilarum progredientem Admiralius comitatur, quo in ludo Rex Guisium, & Teligniium adversarios provocaverat. De ludo domum circa meridiem regressus Admiralius, manu tenens & legens supplex quorundam Reformatorum scriptum de catholicorum injurijs & maleficijs, in platea à quo-

dam

dam ſicario, per feneſtram vicinæ domus cla- trată l ngiaris ſclopeti ictu indicem dextræ manus, & brachiũ ſiniſtrũ vulneratus eſt, reſpiciens domũ vulnerantem, atq; demonſtrans; præſentẽ Pilleum Tribunũ poſtulavit, ut Regi indicaret. Rex interim cum Guiſio ludens certior factus abjecto ſtatim Rancketo inſtrumento luſorio, perturbato vultum ſe in conclave contulit. Mox Navarræus, Condæus, Mareſchallus Coſſæus, Damvillius atque alij amici Admiralem Domum ductum, & decumbentem inviſunt, illi indicem dextræ manus, ex ictu dependentem præſcindi, vulnera curari vident, conſolantur, rogant ex quem iſtius facti authorem exiſtumet, ille reſpondit Guiſium ſuſpectum habere, & præterea neminem; tamen non poſſe certo aſſeverare. Jam pridem autem didiciſſe, neque mortem neque inimicos timere qui nihilo illi plus detrimenti dare poſſent quam beatum vitæ finem & quietem apud Deum ſempiternam afferre, in quem ſolum ſpem ſuam collocarit. Teneri autem magno deſiderio, regi ante exitum ſemel loqui. Inde illi regem queruli adeunt, Admiralij caſum deplorant, neque ſibi tutum Pariſijs eſſe memorant, petentes ſibi liberum Commeatum dari. Rex ipſe condolens, eos

Admiralius vulneratur bombarda.

consolatus, deierat se in istud facinus, ita animadversurum, ut neque Admiralius neque ipsi neque quisquã omnium conquerendi causam habeant. Aderat & Regina mater mœsto vultu querens lamentansque, tantam eo facinore regi iniuriam atq; ignominiam, quæ nisi pro meritó vindicetur; neminem vel in aula, imo ne in strato quidem suo tutum fore, simul & latronem diligenter investigandum & persequendum mandant, & in omnem rem suos provinviinciarum administros, & legatos apud exteros principes commorantes edocent addentes perpetratum istud scelus gravissimè vindicatum iri. Hunc sicarium dicitur subornasse quidam Challius Guisianæ aulæ magister. Sicarius autem emisso & relicto sclopeto, statim per posticum ædium elabens, per celeres equos in Belgiam fuga evaserat, is & antea Dominũ suum Monticum proditoriè tormento traiecerat, post Admiralis autem cædem, ab ejusdem Mosij filio, Parisijs inpublico vicissim trucidatus est. Aprandio frugaliter sumpto, Rex cum regina matre, fratribus Marschallis, Mompencerio, Cardinale Barbonio Nerverio, Gonzago, Rethio, Thereo, (absente Montmorentio) atq; alijs proceribus

Sicarius fuga elabitur.

Rex cũ multis proceribus ægrotum Admiralium invisit, ejusq; dissertationes.

aulicis

aulicis ad Admiralium properat. Denium ingressus solus cum matre; & Theligno Admiralij genero & filia eius cubiculum intrat. Intranti regi & humanissimis verbis appellanti atque consolanti Admiralius gratias primum agit de benigna & honorifica visitatione, inde infit sese tribus rebus eius Maiestatem reverenter affari cupere. Primum ut propensum & deditum animum suum; qualem ab initio semper habuisset, regi etiamnum ostenderet, eius suæ voluntatis Deum opt: Max: in cujus nunc vulneratus, judicio iaceret; testem & vindicem invocans. Inimicos suos ipsum ut seditiosum & regni perturbatorem criminari, sed palam fore, eos ipsos esse, qui toties edicta regia contra datam & acceptam fidem violassent: Qui merito, ut suspecti caveri debeant. De inde de expeditione Belgica, cujus expeditionis instituendæ occasionem, Regis majores talem nunquam habuissent; Verba facit: Regem non ignorare, quot & quantæ civitates amicitiam ejus & gratiam aucupentur; quot provinciæ ejus imperium expetant. Hanc autem oportunitatem alios in aula contemnere, alios irridere, imò ejus Majestati, quasi ex manibus eripere. Superioribus die-

bus, Gentium suis cum copiis, proditio. e Albani Ducis circum ventum, & profligatum esse. Nihil tam arcanum in regio concilio agi posse, quod non Albano prodatur. Quid egitur futurum, si ipsius regis & fratrū, secreta per ipsorū consiliarios, & administros amicis pariter & inimicis pateant. Postremò regem ad constantem observationem edictæ pacis hortabatur: Constare quoties pax publica religionis edicta; quoties recepta, & jurejurando sancita sit, Multos Principes & exteras nationes admirari, Potentissimum Monarchā Sacramentum suum pro Ludibrio habere.

In Campinia crudelitas contra aliquas Hugotas.

Superioribus diebus, obstetricem quandam in Campinia, non procul à Troia, infantem curasse Baptizari in pago, loco à rege concesso, in Ecclesia Reformata eam obstetricem reportantem Baptizatum infantem, cuius aliarum fæminarum comitatu domum redeuntem, à nonnullis seditiosis grassatoribus, in itinere cum infante & omnibus fæmineis, crudeliter trucidatam esse: obnixe rogans, & obtestans regem, ut in eam crudelitatē & id genus alia facinora, per suum regnum graviter animadvertat, & justitiæ ratione habita, det operam ut regiam authoritatem apud subditos tueatur, & prædarum ubi nomen

apud

apud exteros compareret. Rex audita oratione Admiralij, ad primum postulatum respondet, se nunquam de ejus fide dubitasse, habere ipsum fidelem clientem, & virum praeclarum, inter omnes sui regni proceres, Tribunum prudentissimum. Cujus sui de ipso judicij, non obscura argumenta extare. De secundo nihil respondet, vel quod matrem astantem, aliosq ex in opinato intervenientes arbitros vereretur, vel quod res ista Belgica ei cordi non esset. De tertiò dixit sibi nihil magis esse curae, quam ipse sua edicta pacificatoria saevere exequatur, cui administrationi nova mandata excutiva pertotum regnum emisisset, matrem testem appellans. Mox illa, ita sanè est Admirali, passim sunt commissarij ablegati, respondit Admiralius, credo regina, sed illiusmodi familia, qui quinquaginta coratiorum millia in caput meum posuerunt. Infit Rex ad Admiralium nequaquam ira commoverare, ne valetudinem tuam graves, sis tranquillo animo. Cruciatus isti tui sunt ignominia mea, jurans per mortē Dei, se istud scelus vindicaturum, ad rei memoriam sempiternam, simul referens informationem facti qualiter examinari jussisset. admiralius vicissem; At sicarius (inquit) non procul est quaerendus. Ad

Ad hæc Rex & regina mater se ad Admiralij pulvinar inclinant, & aliquid in aurem susurrant. In discessu consulunt Rex, Rethius & Thelignius, ut majoris securitatis causa, in arcem Regiam Luparam migraret, quasi tumultus populi esset metuendus: responsum fuit, medicos dissuadere propter gravitatem vulnerum, quæ quietem requirerent; neque parisienses esse metuendos, si quidem rex, sibi rem esse cordi vellet. Rex & regina quærunt de globo quo vulneratus erat, & de ratione vulnerum, & cum vidissent globum sibi demonstratum & sanguinem, infit rex, se judicare constantiorem, & vel magis intrepidum Admiralio reperiri neminem.

Rege discedẽte alij magnates accedunt, & eorũ consultatio.

Rege discedente cum suis Mavaræus, Condæus, Vidamus de Chartres & alij aliqui accedunt, consolantur, deliberant quid opus sit. Vidamus consulit parisijs statim excedendum, tantum hæc præludia Tragædiæ, secuturam tristiorem Catastrophen, alij dissentiunt requirentes jus & justitiam ab rege petere oportere, in quem Telignius Admiralij gener ita pertinaciter incumbebat, quasi cor Regis penitus introspexisset. Quum & postridie Rex Admiralium visitari jussit, qui quũ de quorundam Parisiensium motibus

que-

quereretur, peteretque, sex regios satellites, ad sui custodiam; Rex quidem in Parisienses commotus, primum annuit, sed mox ab alijs dissuasus consentit in quinquaginta sclopettarios, duce Cossenio. Internuncius verò qui hanc rem Admiralio retulit, isto accepto nuncio non leviter perculsus fuit, nam non ignorabat Cossenium capitalem Admiralij esse inimicum. Cossenius igitur statim, manum illam militum jussit per vicinas ædes, domum Admiralij quasi circumvallare, & excubias agere. Mandabatur etiam, ut Hugonoti proceres omnes, qui per totam urbem erant dispersi, in viciniam Admiralij diverterent, ut essēt securiores. Eodem autem die hi rursum in consilium veniunt, & pleriq; consulunt, esse cum Admiralio discedendum. Alij vero dissentientes, existimant operam esse dandam, ut potius Guisiani parisiis discedant, ipsi autem a rege administrationem juris, atq; justitiæ toties promissam expectent, neq; eum diffidendo offēdant. Guisiani interea & socij suarum etiam rerum satagunt, quorum non nulli ex consilio regio erant. Concilium autem non obscure animadvertebat, rem in eum casum devenisse, ut Regem alterutræ parti se adjungere

Colseni us Admiralij inimicus fit corporis custos.

oporteat. Quod si facinus in Guisianos vindicaret, magnum potentissimorum hominum odium, atque invidiam, magnam belli molem sibi regem attracturum esse, plærique judicabant. Præterque enim, quod nedum quidem de autore facinoris, certò constaret; etsi Guisiani capitales inimici Hugonotorum & imprimis Admiralij essent, & haberentur, tamen non tam sua sponte inductos, si fecissent, quam Albanicis Hispanicis artibus & præsidi ijs nixos, & impulsos videri. Quin si Guisiani certò deprehensi rei essent, regi tamen prudenter & graviter esse perpendendum, num veteres amici, qui essent primates Catholici, de suo regno benemeriti, socij, atque amici pontificis, atque Hispaniarum regis, propter unicum illud facinus in communem hostem perpertatum, deserendi, veteres verò, & communes inimici, qui sunt Hæretici seditiosi & regni perturbatores suscipiendi & defendendi essent.

Guisianorum consilia adversus Hugonotos & Admiraliū.

Alij sentiebant Hugonotorum res non esse contemnendas, neque ipsis juris atque justitiæ administrationem, toties à Rege petitam, atque promissam denegandam, fidem omninò servandam, neque dubitare oporte-

te, quin si aliter accideret, novum civile bellum, multò prioribus graviùs oriturum, totumque regnum vastaturum; cujus tunc probabiles causas apud suos atque exteros populos facile proferri Hugonoti possent. Autorem facinoris, omissò vel dissimulatò Guysiò, qui utique tormentum in Admiralium ipse non laxarit sed eodem momentò, cum rege in sphæristerio luserit, vivo etiam nunc Admiralio, ad exemplum investigari posse & puniri. Hæc in utramque partem disceptata, Regi, Reginæ matri, & fratribus copiose proponebantur, Sed eorum sententia prævaluit, qui Guisianorum partibus studebant, quique censebant, Hugonotos nunc adoriendos & opprimendos quam esse, antea injuriam suam vindicando rursum insurgerent. Præstare, ut Carolus Rex, cum Philippo rege, cujus paulò ante non-nihil offensi potentiam verebatur, cum pontifice Romano & omnibus Catholicis amicitiam constantem & perpetuam coleret & regnum suum quietum obtineret: His

His enim Hugonotorum proceribus, & nobilibus in unum congregatis, cum Admiralio oppressis, nullam regni seditionem, nullum civile bellum, unquam metuendum quo alioquin bello, & regnum & regia majestas, & Catholica Romana religio, tandem haud dubie peritura sint universa. Hortari igitur regem, quandoquidem nunc omnes hostes suos, sua in manu habeat, fortuna suâ atq; occasionē utatur, ne in posterum pœniteat. Ignominiam istius internecionis, facilè apud exteros posse excusari, imò etiam ipsis Hugonotis imputari, qui in regis regiæque familiæ perniciem scelerate conspirasse dicerentur, quemadmodum etiam nuper ab ipsis satis atroces minæ sint auditæ. Rex ijs auditis, atq; pensitatis, initiò secum nihil statuere certi potuit, vel propter imbecillem ætatem, vel propter inopinatam postulati facti atrocitatem. Expeditio præterea Belgica inmente erat de qua assidue cogitabat, quam Admiralio & socijs cæsis, sibi omninò perituram crederet: neq; abs re perfidiæ notam metuebat, exterorum judicia verebatur. Jnterim partes Guisianæ non quiescere, monendo hortando laborare, ut à Deo datam vindicandi occasionem ne negligeret,

Guisiani persuadent regi ad fa

imo

imo integros dies texentes regi adhærebant, quibus rationem & modum, præclari istius facinoris perpetrandi apte commonstrarent. Deniq; nuncio à medico allato, vulnera Admiralij non esse lethalia: obstupefacti videbantur metuere ne brevi valetudini restitutus, cladem suam armis esset vĩdicaturus, asserẽtes, fidẽ faciẽtes neq; ijs motibus institutã Belgicã expeditionem à rege expediri posse. Itaq; tandem juvenilem regis animum in suas partes pertraxerunt, eiq; vigesimo tertio Augusti, nefandum facinus, sero ad vesperam omnino persuaserunt: Itaq; inflammarunt, ut etiam eadem nocte, ad ipsorum arbitrium rem exequendam mandarent. Qua quidem nocte, ad horam matutinam tertiam die solis, qui in Divi Bartholomei sacrum, & vigesimum quartum Augusti incidebat, signo campana dato, Cosienius Admiralij fores pulsat, in fores apertas cum sua cohorte militum irruit, obuiantes trucidat.

facinus atrocissimum

Hoc tumultu familia, quæ superius dormiebat excitata, superiorem ianuam, contra subitam ingruentem vim, pessulis impedimentisq; domesticis obstruit. Admiralius autem cum suis domesticis, qui & ipsi ibidem erant, turbas strepitumq; audiens, & id quod erat colligens, statim in genua pro-

cumbit, & deum depræcans se ad mortem præparat: & cum de lecto sub levatus & nocturna talari toga indutus esset, domesticum concionatorem suum D: Merlinum jubet, gravi sedatoq; vultu, primum praeces ad Deum clara voce praeire, inde quemq; de familia, quantū posset suæ salutis diligentē rationem habere, suam autē ipsius vitam se deo commendare, neque nunc magnopere curandam, itaque & nonulli è domesticis, tectum, ascendentes, noctu fuga evaserunt. Cossenius tandem effractis superioribus cameris in Admiralij conclave, cum aliquot armatis jrruit, in queis erant Sarlebuxius, Artinus, & quidam Besma, quem alij Bemum vocant, natione Germanus ex Ducatu Wirtenburgico oriundus minister Guilij. Iste Bemus Admiralium lecto assidentem conspiciens rogat, num ne ipse esset Admiralius, affirmantem, respondentemque inter alia, non facies meam vitam breviorem ô adolescens, aliquot adactis ictibus trucidavit. Mox & Guisius ipse cum alijs inferiorem domum invadit, & cum cognovisset Admiralium esse mortuum, ex atrio ædium sursum acclamavit jubens ut de

Cædes Admiralij 24 Augusti Anno 1572.

fenestra

fenestra in plateam dejiceretur. Quo facto ipse accurrens, & sanguinolentam faciem Admiralij sudario abstergens, ita ut agnosci posset, læte exclamavit: ipsus est: & cadaver pedibus calcato discessit. Famulatus & cursores ejus aulici, nudum per plateas per lutum cœnumque traxere; cadaver capite truncatum ad patibulum, Montfacon pedibus suspensum, proxima tamen nocte desumptum est & sepultum. Caput Romam, ut ajunt ad pontificem missum. Est & Comes Rochecofautus, in tecto suo trucidatus, quemadmodum & Marchio Revelius, Telignius Comes, Regi alioquin præter omnes gratissimus alijque proceres; eadem nocte, in eadem domo, varijs modis cæsi confectique sunt. Multi nobiles qui in regia Lupara apud Navarræum & Condæum pernoctabant, in quibus erant Baro Perdilianus, Pilleus, Martinus, & quidam alii, à præfecto cohortis prætoriæ armis spoliati, & cubiculis exacti, cum in aream ad arcis portam, ut exirent diluculo pervenissent, occisi sunt. Rege de fenestra prospectante.

Postea

Laniena maxima Parisiensis.

Postea in omnes Hugonoti nominis, quotquot reperiebantur, nobiles; ignobiles, doctos; indoctos; mulieres; infantes senes, sine discrimine, passim per totam urbem grassabantur; quorum cadavera, plenis vehiculis, in Sequanam flumen devecta proijciebantur: Sed Vidamus de Chartres, Montgomerius, Fontenejus, Camontius cum sociis qui ultra Sequanam in prooppido Germani morabantur, albescente cœlo, rumore & concursu perterriti, celerrima fuga, frustra persequentibus Guisianis sibi salutem quæsiverunt, Rex missis Romam literis ad Pontificem Gregorium XIII. omnē rem cum Admiralio gestam exponit, inde derepente, quasi panico terrore perculsus arma sibi afferri, & cohortis suæ prætoriæ tribunos adesse jubet, jurat se constituisse Hugonotorum reliquias omnino exstinguere, atq; exordium à Condæi capite facere. Regina verò Elisabetha uxor, Imperatoris Maximiliani filia maritam regem obtestari precari, ne inconsulto, tantum facinus, neve rem tanti momenti aggrediatur; ne se suosq; in tantam Infamiam, discrimenq; præcipitet, quin se se recolligat & judicio magis, & rationi quā præcipiti audacia & temeritate procedat:

Aliqui salutem fuga sibi consulunt.

Reginæ intercessio pro Con-

Igitur

Jgitur Reginæ precibus exoratus paulo ſedatior factus eſt. Poſtridie rex Navarreo, & Condæo, ad ſe accerſitis, principibus acerrimis verbis propoſuit, ſe tantum unam religionis formam per regnum ſuum eſſe permiſſurum, jubens ut ſub pœna capitis, & fortunarũ, Miſſã, & religionẽ Rõanã ſequantur. Mareſchallius Coſſetius & Bironius fratres, Pariſiis quidem erant, ſed eorum duo fratres Monmorentij Mareſchalli Damuililij, non erant, quare propter horum abſentium metum ac reverentiam, illos eorumq; Comitatum, Hugonotorum numero non habere, neq; tangere Guiſiani ſuſtinebant. Montmorentij tamẽ audito caſu primo Admiralij edixerant, ſe in Guiſianos perpetratum facinus vindicaturos, exiſtimantes id regi gratum fore. Quare commoti Guiſiani, cogitantes ſi ſe authores huius tragœdiæ facerent, quantum apud omnes homines odium ac invidiam ſibi atq; ſuis facerent, quantum periculum adirent; apud Regem vehementer inſtabant, ut authorem facti profiteretur: cuius quidem facti invidiam, á ſe in regios, quoquo modo derivare conabantur. Nam cum Dominus Anerius, ex Hugonotis proceribus unus, qui poſtea Dux Vleſius factus eſt (: Dux Anerius liberat

ter ab Guisia- tra&a- tus.

factus est (cujus frater simul in tumultu inter-fectus esset)captivus veniret in ipsorum potestatem, valde eum liberaliter habuerunt, & quasi ejus captivitatem dolentes, vitam humanissime conservaverunt. Sed jam rex publicarat, emissis passim per regnum,& ad vicinos literis,Guisianos facta conspiratione cum socijs in Admiralium, & Hugonotos, impetum fecisse, eos crudeliter trucidasse, propeque absuisse quin ipsum & fratrem Navarræum & condæum principes, totamq; regiam familiam,ipsa in arce peremissent. Paulò post verè à Guisianis creditur exoratus contrarias litteras publicavit,quibus Admiralium & socios perduellionis & majestatis accusabat, quasi in ipsius fratremque & regij sanguinis Principem conjurassent. Cui conjurationi occupandæ necessario coactum, se suosque legitime defendere atque vindicare: Huic rei palliandæ, Briquemaudum magni nominis virum, & divi Michaelis ordinis socium, & Cavagnium Navarræi Regis cancellarium, captivos fieri, & immminutæ Majestatis accusari, quæstionibus admoveri, & quasi confitentes reos, cum tamen constanter negarent condemnari, & suspendi jussit. Scribebatur præterea passim

ad

ad omnes provinciarum ac civitatum magistratus, de Hugonotis omnibus absque mora trucidandis, quod quidem & Rotomagi, & Aureliæ & Lugduni, & alibi immaniter factum est. Eo die quo Admiralius cæsus est, Parisijs in cœmiterio innocentium puerorum, arbor quæ multis annis, arida sterilitate fuerat, subito florere, foliaque & fructus producere visa est.

LIBER OCTAVUS.

Rerum Belgicarum

Historia, Henrici Paulini.

CArolus mane consurgens, templum cum aula parlamentoque adit, & audito sacro, gratias Deo agit, de felici hujus rei successu, quæ sine suorum cæde & sanguine fuerit confecta. Statuerant Reformatam religionem omnino exstirpare, & quanquam ea immanitate, magnum terrorem passim Gallis attulerunt, ita ut proceribus & nobilibus Reformatis, vel Hugonotis plerique non veluti momento oppressis, reliqui ne his- *Patrato Rex Deo gratias agit.*

 cere

sere auderent, sed partim fugerent, partim laterent; tamen aliquanto post ij quasi resuscitati, resumptis viribus revixerunt, & Catholicorum attenuatis viribus, honestam tandem pacem, salva religione, aspirantè Deo obtinuerunt. Iam ut mature redeamus, a quo obiter (sed tamen oportunè) digressi sumus, Hugonotorum ista clades, Aurantij & Ludovici fratris conatus magnopere retardavit. Facilè enim animadvertebant, se hac ratione omni spe Gallici fœderis subsidijque, quo præcipuè nitebantur decidisse, suorum animos non parum remissum iri. Jtaque statuit Aurantius cum Albano quam primum confligendum, & fortunam periclitandam esse. Jlle verò qui paulo ante Alenconium & Admiralium hostes, cum magnis copijs ex Gallia exspectasset, jam eâ cura liberatus, suo more agere, ad Bergas se munitionibus continere, inceptam obsidionem continuare, civitatem oppugnare, pugnam verò detrectare, Aurantius autem non cessare. Jtaque adeo celeriter primò impetu Albani castra est adortus, ut vix dimidium horæ spatium Albanicis daretur, sese armandi, munitionesque ascendendi. Qua autem via Aurantiani, se Bergas

Aurantius adoritur Albanica castra frustra.

occupa-

occupaturos ſperarant, ea via ſeptem tormentis majoribus, cum duobus Germanorum peditum ſignis in munito propugnaculo, aptè diſpoſitis, ita excipiebantur ut non ſine accepto detrimento gradum referre ſint coacti. Poſtridie, qui fuit nonus Septembris, rurſum ex Aurantianis aliquot turmæ equitum, cum viginti octo ſignis peditum, Albani caſtra invadunt, ubicum acerrimè aliquot horis concertatum eſſet; tandem ab Hiſpanis ſclopetarijs, & tormentis bellicis acriter repulſi ſunt, deſideratis amplius, centum & quinquaginta peditibus, equitibus quadraginta. Neque tamen Aurantius quievit, ſed Henricum Naſſovium fratrem juſſit ſuo cum equitatu, in quatuor turmas equitum Albanorum, ex improviſo impetum facere, quos ille adortus & diſſipatis ordinibus perſecutus intra munitiones, ea concitatione compulit ut videretur, ſi peditatus affuiſſet, munitiones occupari potuiſſe. Igitur Aurantius vniverſas copias ad Molendinum in aciem producens, hoſtique quatuor horas continuas opponens, vniverſi certaminis facit facultatem. Ille verò antiquum obtinet. Interim ultro citroque tormentis res agebatur. Tandem Albanus aliquot ſclopetarios, pro-

Aurantius invadit caſtra Albani cũ detrimento.

pe castra, in velitationes emittit. Aurantius sperans integrum certamen fore, suos in hostem incitat, & ad Albanica castra rursum producit. Hi acri certamine velitationis denuo orto: Aurantiani ab hostibus sclopetarijs, qui majore numero erumpebant, iterũ repulsi sunt. Igitur appropinquante nocte Aurantius Craregnonum deflectit, ut castra ad Gallianũ faceret. Eò veniens nullum commeatũ, quem Hispani omnẽ absumpserant, reperit. Postero die statuit ponte facto, fluvium Gillainuno rendentem traijcere, verum Albanus mille circiter ducentis equitibus ad Ripam oppositis, transitu eum probibuit. Iam Albanus majoribus copijs ab Electore Coloniensi Archiepiscopo atque alijs auctus, quater mille & quingentos equites Germanos & duodecim millia Hispanorum, & Gallorum, & totidem Germanorum peditum habebat, exspectabat præterea, propediem, aliquot veteranos Germanorum duces principes, cum validis copijs equitũ, ut supra dictum. Aurantius interim nuncio accepto de integro rerũ Bergensium statu, ad molam prope Bergas castra reponit, & universas copias educens, & quinque horas, in acie consistens Albanum ad pugnam denuo prolectat, sed frustra. Quamobrẽ tandem Aurantius motis castris

Auran-tius rursum regem invadens pellitur

Albanus novas accipit copias.

integra acie discedit, & secundum Albani castra exercitum ducit, intentus, ut vel castra idoneis locis rursum adoriretur, vel alicujus momenti quæsito certamine ad pugnam hostem provocaret, ad alterum latus, fluvium præter fluentem habens. Albanus consilium Aurantij animadvertens, multis millibus sarmentorum & straminum, celeriter in agro acervatim congessit, & inflammatis novas munitiones, passim, qua cum exercitu ille transiturus esset, ad flammarum splendorem, noctu erigit, & de superiori loco vibratis tormentis ei iter omnino intercludit. Itaque Aurantius, cum videret, se sua consilia, satis expedire non posse, neq; civitatem fratremque liberare, nonnulli etiam qui auspicijs Regis Galliæ in Castris militabant, propter non solutastipendia mussitare inciperent, incensis castris, versus Nivellas, Bergis discedere statuit, priusquam majores tumultus militum orirentur; Albanus autem, omni occasione intentus, ad mille quingentos Hispanos sclopetarios, cum equitibus levis armaturæ quinquaginta, qui stratagemate omnes extrinsecus, albis indusijs super induti erant, ut sese nocturnis tenebris dignoscerent, & majorem terrorem hosti incuterent, in

Albanorum impetus in castra Aurantianorum.

exercitui ſtipendia, quam primum Hannoniæ fines attigiſſent, tamen quia Gallica fide, a qua totus dependebat, deceptus erat, ipſe fidem præſtare haud potuit; Vt non ſemel de ipſo in caſtris retinendo, & hoſti pro ſtipendiorum ſolutione tradendo, ab exercitu deliberatum fuerit. Plus tamen tandem potuit, apud caſtrorum duces, atq; equitum magiſtros, quantumvis propriam ac potiſſimam ſtipendiorum partem flagitantes, æquitatis, ac temporis ratio, quam apud militum vulgus & multitudinem inconditus clamor & perturbatio: ut tandem Aurantius excuſatus haberetur & quodammodo cum milite tranſigens Delphos in Hollandiam exiguo cum comitatu tuto diſcederet. Vbi deinceps ſedem ſuam poſuit. Ea fuit expeditio ſecunda Aurantij principis, paribus quidem animis, viribusque ut prior, majori autem ſpe ſuſcepta, ſed infido Gallorum fœdere, fædè fruſtrata. Quæ documentum poſteris dedit, rerum humanarum, & præcipuè magnorum regum ac populorum impotentiæ ac inconſtantiæ. Fædera enim raro ſolent eſſe felicia inprimis inter impares belligerantes principes, quia ſpecioſo prætextu vnanimitatis, diverſis ſæpe ſtudijs con-

Aurantius periclitatur vita propter non ſoluta ſtipendia.

trarios exitus ſortiuntur. propterea, quod ſocij pleriq; majores, neglecta fide proprij commodi ſtudioſiores eſſe conſueſſent. Etſi autem Albanus, ea rurſum felicitate, magnum ſibi nomen atq; auctoritatẽ peperit, qui compreſſis ſuorum novis motibus, petentem, & magnorum regum ſtudijs, animoſum hoſtem abſq; notabili ſuorum jactura, intra trimeſtre ſpaciũ deviciſſet, ut ferme ipſe in principio ſe facturum glorioſe jactaverat: tamen viribus magis diſſipatis, quam profligatis, eum neq; opprimere totum; neq; Belgicis provincijs omnino ſubijcere potuit. Quanquam enim multa Brabantiæ, Geldriæ, & Friſiæ oppida, quæ defecerant, ad Albani fidem in hoc tempore redierunt, tamẽ bellicoſiſſimæ provinciæ, Hollandia, & Zelandia intolerabilem Albani ſævitiam deteſtantes, Aurantium profligatum, cupidè receperunt, & deinceps ad Bellum cum Albano, ſucceſſoribusq; ejus terra marique gerendum multis recuperatis oppidis atq; provincijs, magnum ſubſidiũ præſtiterunt. Itaque nunc ad Bergarum vel Montium, Albanicam revertamur, Eam civitatem poſt diſceſſum Aurantij, triginta majoribus tormentis, certis locis apte diſpoſitis, & collimatis totum triduũ, continuis ictibus graviſſimè verberavit, ita ut ruinæ ædificiorum

Albanus magna vi

in castris perstreperent, & postridie mille nongenti & octuaginta pilare jactus numerarentur. Qua vi, primum suburbium Bertimontium Albanus occupavit: repulsus autẽ, tertio die rursum invadens, obtinuit, in eaq; se communivit. Ex hoc deinceps suburbio, cuniculos versus proximæ portæ propugnaculũ, magnis conatibus egit, studuitq; erecto ad latus & alte congesto, & munito aggere, perductis canalibus, aquas ex oppidi fossis educere, easq; exsiccatas obstipare, quo paratiores ad oppugnationem scansionemque faciendam sui essent. Sed Ludovicus opposita manu impigrorũ sclopetariorũ, contrarijsq; actis cuniculis, illas Albanicas molitiones, quãtũ potuit impedivit. Inde Albanus per captivũ militẽ, in civitatẽ intromissũ ad pellendos animos, añunciare oppidanis jussit, Ammiralij & Hugonotorũ in Gallia factã cædẽ, operãq; dat, ut per recens a suis effossos & munitos calles castrenses, oppidanis omnẽ exitũ eruptionemq; intercluderet. Præter cætera, majora tormenta decẽ in portã Bertimontiã collimata totum quatriduum sine intermissione emiserunt, quã ex fũdamẽtis, ex quadrato exstructa, & egregio propugnaculo communita, superius perforare quidem, sed subtus neq; concutere neque demoliri potuerunt. Octo verò tormentorum continuis ictibus, aliud

tormentorum aggreditur Bergas.

aliud murorum ex adverso propugnaculum, funditus dejecerunt: ut ex ea parte nudato muro, oppidani crates vimineas, terra impletas, atque conseptas hosti opponere, ijsque vim omnem, aliquantisper excipere cogerentur: Donec magnis saccis lana linoque confartis, tum lectis & alijs impedimentis congestis, prostratam partem muri, conjunctis cratibus compleverunt munitiorem reddiderunt. Inde aliquoties in hostium munitiones, tum pedites tum equites alacriter eruperunt, & exigua manu, magnam virtutem ediderunt. Albanus verò animadvertens sicco pede oppugnationẽ fieri non posse propter aquosas fossas, quæ non facile exantlarẽtur, jubet aliquot scaphas parari, excrassa densaque materia, transtris in ambitu ita conclusas, atq; ædificatas, ut minoribus tormentis traijci facile non possint, ipsæ autem ex perforatis lateribus ejaculari possent: His sclopetariorum manu imposita, fossas ad murum qua imbecillior concussus esset, oppugnatum adnavigare statuit. Præterea pontem super aliquot vasa inania vinaria, in fossis natantia, conjunctis asseribus, ad eundem usum instruebat. Etsi autem per se hæc erat populosa civitas, atq; etiam Pojetus, Berle-

præparationes Albani ad oppugnandam civitatem

tus,

tius, & alij Gellorúm tribuni, cum egregijs auxiliaribus copijs præter Ludovicanos qui primam invasionem fecerant, Auspicijs regis Galliæ in præsidio erant: tamen cum hæc Bombardarum ultrò citroque jaculationes, contentionesque certaminum, jam ultra mensem durarent, assiduis laboribus fatigati, & funesto de Admiralio, socijsque cæsis, tum etiam de discessu Aurantij allato nuncio perturbati, plerique non parum animos remittebant: ita quidem ut etiam Ludovicus, animi ægritudine, dolorique decumberet, querens se a Gallo miserè circumventum, & honestissimæ causæ obtinendæ & quasi ex manibus ereptæ victoriæ, præsentissima spe, cum fratre Aurantij socijsque dejectum. Cives suam quoque fortunam lamentabantur, qui nihil cogitantes, imò coacti, ex alta pace, & quiete, in hanc nassam à Ludovico attracti essent, atque inducti. Quin etiam milites, præfectique mussitantes tumultuari, Galli imprimis, nolentes contra regem, & summum suum magistratum, deinceps militare deficientibus imprimis stipendijs juxta, & socijs. itaque inter ipsos oppidanos discordia orta, ac diffidentia, Ludovicus non illubenter, de transactione inter loquentes audivit.

Bergensium civium Discordia.

divit. Quæ neq; Albano ingrata fuit, propterea, quod videret re ad extremũ deducta, exugnationem haud fore facilem, neque incruentam: deditionem autem tantæ urbis, ac tam populosæ civitatis, sibi honori & gloriæ futuram. Itaq; post triduum colloquij ab Ludovico impetratas induoias de deditione, tandem his conditionibus transactum est, decimo nono Septemb: ut Comes Ludovicus, proceres, nobilis Galli, tam pedites, quam equites armati, cum sarcinis atq; impedimentis, salvi sosspitesq; exirent, ut Belgis militibus, similis exitus, cũ impedimentis, permitteretur, gladijs & mucronibus, tantum instructis: Vt civibus qui in armis fuissent, etiam exire liceret, cum impedimentis quidem, sed inermibus: ij autem qui Reformatæ religionis essent, jure atque habitatione civitatis carerent, exirent tamen libere, nulla re gravati, tantum jurarent, se neq; in Hispaniæ, neq; Galliæ Reges arma laturas, nisi accideret, pro proprijs suis regibus, Ludovicus verò, Germani, Anglica asseveratione non teneantur. Pactioni subscripserunt, Dux Medinaceli, Barlamontius, Fridericus Albani filius, & dux ipse Albanus. Proficiscentibus addebatur co-

Montium deditio & conditiones

initatus equitum & nobilium qui Ludovicum Ruremondam, Gallos Barbiam Guisianam incolumes deduxerunt. Albanus jam perfunctus, Bergensi obsidione, civitateque potitus, & curis Aurantianæ, Galliæque expeditione liberatus, paulo post bonam partem Germanici equitatus instante hyeme exauctoravit, quarum tamen nonnulli, stipendiorum solutionem, aliquamdiu post remanentes exspectaverunt. Reliquos in militia retentos, Mebliniam atque alia oppida, quæ defecerant repetenda misit. Ipse Mastrichtum, & Noviomagum, Dux Medinaceli, Buscoducum ad hyberna discesserunt. Præsidiarij quos Aurantius Mechliniæ & Teremodæ reliquerat, pavidas civitates ex Albani successu cernentes, cum aliquot civium centurijs, clam turpiter aufugerunt, & Ruremondam plerique contenderunt. Postridie cives Mechlinienses sacratum sacerdotum ordinem, cum sollenni processione, ad Albanum, ad alterum ab urbe lapidem castrametantem, deprecatum miserunt, junctis mandatis, ut quam honestè possent transigerent: Cum ecce inter agendum, Albanici milites in oppidum, tam ultra muros,

Albanus exauctorat equites Germanos & Noviomagum discedit

quam

quam per portas improviso irrumpentes, discurrentesq contra jus gentium civitatem diripiunt, omnibus mobilibus, ne minima quidem re ad coquum focumque relicta, in universum spoliant, magna per omnes ordines perpetrata cæde atque libidine. Neque enim sacris virginibus, neque Ecclesiasticis viris & sacerdotibus parcitum: præclaris etiam Bibliothecis optimorum librorum dissipatis ac laceratis. Præda ad quadraginta millia aureorum numûm æstimata. Ex his manubijs Hispani, ut nihil tamen non religioni conferre viderentur, partem, novæ Jesuitarum sacræ domui Antwerpiæ exædificandæ atque consecrandæ donaverunt. Albanus verò hominum judicia præsertim Catholicorum veritus, quod Catholicam civitatem supplicem eo modo excepisset, facti sui defensionem scripto edidit, culpam in ipsorum perfidiam, & rebellionem multiplicem conferens, minitans etiam atrociora. Inde publicè edixit grandi pœna omniũ rebellium, vel eorum, qui quocunque modo ipsi restitissent, facultates publice consignarentur, intra triduum ad magistratũ deferrentur, delatori tertia parte constituta. Porro Diestum, ut tene oppidum

Cædes & violationes in virgibus ac mulieri- perpetratæ.

propter

propter defectionem non direptum, sed pecunia aliqua mulctatum. Teremondenses fuga elapsis præsidiarijs, pacem etiam octo millibus aureorum redemerunt, Aldenardium etiam rursum, in Albani potestatem pervenit, ubi cum antea Aurantiani præsidiarij, magna sævitia grassati essent, variante fortuna talionem veriti, omnes sese fugæ dediderunt, quorum plerique Ostendam incolumes pervenerunt, nonnulli verò ex primoribus, inter quos Iacobus Blomart erat, qui illic præfectus fuerat, fugientes, in casa rustica ab Albanicis circumventi, & vivi concremati sunt. Exeunte Octobre, nova & singularis quædam stella apparuit, quæ neque cometa fuit, neque fixa, cuiq; lumen quotidie crescere videbatur, donec post longiusculum tempus, (: dicitur enim ultra quingentos dies fulsisse :) evanesceret. Varia sunt de illa Mathematicorum judicia, nonnullis judicantibus, post Christum Dominum natum similem stellam, non conspectam, Christiq; ad judicium instantis adventus prænunciam fuisse. Fridericus Albani filius, absentis patris Legatus, relicta Brabantia, in Geldriam castra movet. Ubi pleræque civitates, quæ ad Aurantium defecerant, clade Aurantij, Gallicana cæde,

Diestũ Teremũda Nordum emunt pacem ab Albano.

Nova stella apparet.

suis veritus, etiam in Frisia provincia sua cessit. Fredericus dedita Zuthania versus Naerdam, primum in Hollandia oppidum castra metatur. Oppidani tenues & imparati eum se suaq; dedissent, hospites novos receptos humaniter tractavissent, citati in domũ publicam, ad ducis capessenda mandata, contra datam fidem omnes trucidati sunt. Friderico, ipso sua manu civitatis consulem trucidante, oppido direpto atq; incenso. Inde Fridericus, cum Bossuvio, Obersteinio, Havecourtio, Nortcarmio Comitibus Amstelrodamum civitatem Hollandiæ opulentam & fidem Regis sequentem, progressus est illic aliquot diebus commoratus, exspectavit aliarum Hollandiæ civitatum de deditione legationes, nullis autem venientibus, & vestigia priorum metuentibus citatis castris Harlemum petit. Ibi magna perturbatio civitatem capit. Nonnulli instante pastore Beginhofio, qui forte literas ex castris acceperat, esse spem veniæ si statim deprecatum ad Fredericum mitterentur, Theodoricum Frisium consulem, Christophorum Schagium Scabinum & Adrianum Assendelphium Syndicum spectatos viros Amstelrodamum legatos miserunt. Alij quibus id consilium, non satis tu-

Rex ex Frisia fugiunt Comites.

tum videbatur convocatis civibus, primoribus quos sclopetarios vocant, deliberant quid facto opus sit. Illic Wigbaldus Ripperda Groningensis, claro loco natus urbi præfectus, vir corporis & animi dotibus præstantissimus, cum Lancelotto Bredcrodio, Adriano Johannis prætore, & Stuvero consule, in medium progressus: Viri inquit, Generosi, & cives optimi: Hodie ad nos allatum est, litteras ex castris Albanicis in urbem missas, quibus venia annunciatur, si statim ad eam petendam, culpamque deprecandam legatos mittamus. In quam rem nonnulli nostrorum consenserunt, & quosdam cum mandatis ablegaverunt. Etsi autem studiosi pacis omnes sumus, & nos non minus quam alij hanc optimam civitatem inprimis conservatam cupimus: tamen fatendum est, Bellum pace dubia securius, & præstare cum aperto hoste confligere, quam cum simulato amico dominoque contrahere. Quæ autem quæso veniæ spes est! quæ gratia exspectanda ab eo hoste? qui multis quidem diversarum provinciarum civitatibus veniam obtulit, nullam autem fideliter præstitit? Testes sunt pleræque civitates, quæ deditione superioribus mensibus, in ejus rursum potestatem pervenerunt

Oratio Ripperdæ ad cives Harlemenses.

nerunt, seque ejus fidei permiserunt, quarum aliæ post datam, & acceptam fidem miserè circumventæ, & spoliatæ, aliæ in ipsa transactione, gratiæque impetratæ momento, contra omnia Divina ac humana jura, ex improviso fœde vastatæ sunt. Denique in perpetuum interitum præcipitatæ, concrematæ, & in cineres redactæ sunt. Neque necessum est, eas vobis calamitosas civitates singulatim recensere, doloremque refricare, quarum vicinarum cognatarum familiarum lamentabilibus querelis, & inconditis mulierum puerorumque ejulatibus, aures vestræ quotidie personant. Quæ autem fides ab eo hoste speranda, cujus proprium est fallere, quique pro pietate habet diversæ religionis homines, quos hæreticos vocant, quales nos habent, speciosis verbis decipere. Imo qui ne suæ religionis hominibus, sacratisque viris, pro se & universa civitate Mechliensi supplicantibus pepercerunt. Quid autem peccavimus, ob quod facimus, veniam, gratiamque precabimur? An propterea quod Hispanorum Tyrannidem cum multis alijs summis & infimis intolerabilem fugiamus? quod ab idolatrica doctrina, ad veræ doctrinæ reformationem religionem ad salutem animarum no-

strarum sempiternam, ex Dei præcepto, quasi postliminio redeamus? Iam verò Deo opt: max: & illustrissimo principi Aurantio, qui hanc nodis civitatem commisit, sacramentum militare solenniter præstitimus, quod ut fallere turpissimum, ita servare honestissimum. Ego verò, cui inprimis hæc est demandata provincia, juratam fidem sancte religioseq; servabo, neque ullis vel blanditijs vel minis astuti & truculenti hostis, me à proposito abduci patiar quoad spiritus & artus supererunt, idem vos omnes facturos confido. Hæc ita Wigboldum militariter dicentem, cives milites que alacri voce exceperunt, neq; se eum deserturos, sed civitatem Herlemiam cum ipso communibus armis fortiter, defensuros spoponderunt. Inde de propugnandæ & muniendæ civitatis ratione, & ordine demittendis ad Aurantium Delphos, & ad Lazarum Mollerum in propinquo cum decem signis Germanorum peditū commorantem tribunum legatis inter se constituentes, ad sua quisq; munia discesserunt. Lazarus rem edoctos, extemplo, quatuor signa Christophoro patre, & Steinbachio ductoribus, auxiliares copias Herlemium misit, ipse cum reliquis sex vexillis Leidam proficiscitur. Harlemenses remotis ex templo statuis mutataq; doctrina, reformatam religionem susceperunt. Inte-

Harlemenses Cathol: Rom:

rea ex eorum Amstelrodamum missis Legatis duo domû redierunt, tertiû vero Theodoricû Frisium illic reliquerunt. Duo autê Schagius, & Assendelphius reversi domi capiuntur, propterea quod Friderico se civitatem tradituros spospondisse dicerentur: Inde cum ad Aurantiû Delphos captivi missi essent, Assendelphius & propter alia, quibus culparetur Crimina, capite punitur: alter post multa tormenta mente captus in vinculis moritur. Porro Harlemenses Certiores facti Hispanos Sparendamû tendere, miserunt trecentos milites in queis etiam nonnulli cives erant, ut eos oppido prohiberent, ductore Mertino Provisio. Adjunxerant Harlemenses aliquot fossores, qui aggerem, qua Hispani transirent, perfoderent, aquarum inundationem attraherent, hos Hispani fodientes disturbant, & lacunas fossas replentes aggere, ex effusis per æstum maris aquis rigente bruma congelato, præfecto Juliano Remero satagente, Sparendamum summis viribus adoriuntur, & profligatis Harlemensibus capiunt, Cæso Spruisio, non tamen sine detrimento suorû. Dum hæc geruntur ALDEGONDIUS Aurantij & Hollandiæ ordinum nomine, Harlemium Legatus venit, hic cives oratione confirmans præter alia exponit, quemadmo: Theodoricus Frisius,

religionem abrogant.

Hispani Sparendamum occupant.

cum suis statuisset, dato civitatem in Albani potestatem tradere, quod Deus infortunium consilio virtuteque aliorum avertisset, petit, ut novo senatu creato, octo consules, & quatuor decim senatores facerent. In consules itaque lecti fuerunt Nicolaus de Lanio, Johannes Vlietius nobilis, Gerbardus Stuiverus, & petrus Casius. Anno salutis supra mille quingentos 72 Vndecimo Decembris, quo die prope Amstelrodamum natus est vitulus biceps, gemino dorso octo pedibus, & Hispani obsidere incipiunt. Est autem Harlemum oppidum Hollandiæ, inter Amstelrodamum & Leidã situm, forma fere rotunda: ad occidentem solem, & septentrionem, opima pascua habens, pomœrijs propinqua. Pascuis vero lacus satis amplus, & navigabilis, potissimum ad septentrionem, adiacet, qui lacus ad duo latera urbis, utrinque in rivulos, ex Amplitudine desinens in fossas leniter defluit, atque urbem circumluit. Versus orientem solem ferme ad teli jactũ sylva est, quam vocant sylvam Harlemicam. Meridiem versus, etiam sunt loca campestria satis ampla. Hanc urbem tribus castris majoribus, ad tria latera urbis positis Fredericus cingit. Postagrum compascuum ad latus septentrionale,

Aldegondius Harlemi nouum senatũ eligit 1572.

Harlemum describitur.

â Frederico cingitur.

in Ripa

in ripa lacus, aliquot munitiones cum præsidijs collocat, ad quas munitiones stationem suarum navium habet. Vrbs Hollandicarum civitatum fere est vetustissima inventrix (ut Adrianus Junius refert) præclaræ artis Typographicæ, quæ posteaMoguntiam translata maximo mortalium commodo, ad summum illic nitorem pervenit, gladium pro insigni gerit, vbi carnificis vniversæ Hollandiæ habitatio est, vnde omnes ejus provinciæ, ad capitalia exequenda judicia carnificem vocant. Erant in castris triginta sex Hispanorum, viginti duo Gallorum, octodecim Germanorum peditum signa, equites octigenti, quibus quotidie plures copiæ, cum tormentis, & omnis generis apparatu bellico, ab Albano missæ accedebant. Oppidani etsi obsidione coarctatæ premerentur, tamen & numero & viribus subinde crescebant inprimis, donec rigente hieme, quæ sævissima fuit, densa glacies accessum præbebat. Vt quinquies mille milites insigni virtute præstantes, præsidiarij essent, præter octingentos cives, qui pari fortitudine præstabant. Nam etsi neq; arte, neque natura munita civitas esset, tamen militum, civiumque virtus inexpugnabilem reddidit, non solum fortiter pugnando, verum

In ventrix artis Typographicæ.

rum etiam in defessi alacritate, perfracta mœnia, toto obsidionis tempore repararando. Fridericus autem primum omnium fecialem ad illos mittit, qui solenni Cerimonia, clangenteq; tuba, auspicijs Hispaniarum regis urbem dedi postulat. Illi respondent se Nerdensium suorum popularium, vestigijs terreri; Friderieique fidem suspectam habere, gloriosius ducere, pro patria pro aris & focis fortiter dimicando mortem oppetere, quam se suaque omnia, vxores, & liberos, in exitium præcipitare sempiternum. Itaq; posteris diebus, quatuordecim tormentis majoribus vehementissima jaculatione facta, hostes Cruispoerte proportam, sexcentis & octuaginta ictibus, ita verberarunt, ut ea dejecta patentem aditum, in muros habere viderentur. Quem tamen oppidani, continuis laboribus ex terra ruderibusque congesto aggere, rursum obstruxerunt. Inde cum sexcentis septuaginta quinque ictibus, Divi Johannis portā & huic conjunctum propugnaculum impetivissent, oppugnationem scansionemq; pontibus fossis injectis, cum octodecim signis peditum ingenti conatu instituunt, sed ita ab oppidanis, imprimis tormentis majoribus, globis immissis catenatis, ardentibus picatisque missilibus, etiam repetito hostili insultu exci-

Responsia civitatis ad tubicin̄ Albani.

Oppugnatio urbis Harlem: a Friderico.

piuntur, ut multis fortibus viris, ordinum doctoribus Hispanis desideratis, fossis cadaveribus repletis iterum summa cum ignominia repulsi, pedem referre cogerentur. Dum hæc ad Harlemum geruntur, Aurantius per Lumæum, cum duodecim circiter signis militũ, quos superioribus diebus collegerant, conatur in pago Hilligemo, qui inter Harlemũ & Leidani situs est, in Harlemij subsidium, castris locũ facere. Fridericus rem per exploratores edoctus, citatis itineribus, cum manu quinquies mille militum, & sexcentis equitibus ex castris profectus, eos adoritur, tanta celeritate, ut Lumæ spatium sese armandi, aciemq; instruendi vix esset. Etsi autẽ fortissime dimicando, acriter resisteret, hostemq; aliquamdiu sustineret, tamen cum de duobus successive equis quibus insedisset trajectis in terram pugnans deijceretur, & profligata acie spes restituendi nulla esset, ad extremũ & ipse victus fugatusq; est, ut vix ægre hostiũ manus evaserit. In hoc quasi tũultuario prælio, multi præclari viri, inprimis vexilliferi ex Hollandis ceciderunt, qui etsi viderent, se a suis desertos, aciemque dissipatam, ipsi tamen se fugæ dedere noluerunt, sed tanquam ahenei muri adversus hostem consistentes, suosque

Subsidium ab Hispanis profligatur.

ſuosque quantum poſſent à fuga retrahentes, tandem ſe ſuis vexillis implicuerunt, cum ijsque confoſſi conciderunt. In queis erat inſignis juvenis, Jacobus Martinus præſidis Gandavenſis filius. Perierunt in fuga circiter ſeptingenti. Inter captivos fuerunt Baptiſta Treverenſis, & Johannes Kellerus quos vivos Hiſpani, altero pede, ad patibulum, in caſtris ſuſpenderunt. Lumæus pro Baptiſta, in redemptionem duo millia coronatorum, & novendecim alios ab hoſte captos milites obtulit, ſed fruſtra. Itaque ille novendecim iſtos captivos viciſſim ſuſpendi juſſit. Aurantius tamen ſollicitus de ſubſidio obſeſſæ civitatis, ex diſſipatis militibus qui evaſerant, & novis, quos ex Germanis, Gallis, Anglis, & Scotis, ſub diverſis præfectis conſcripſerat, novendecim ſigna, cum multis Rhedis frumenti, pulveris tormentarij, alijsque cibarijs, & bellicis inſtrumentis plenis, per glaciem Harlemum feliciter intromittit. Harlemenſes hoc ſubſidio alimoniaque inſtructa, majore quam unquam antea alacritate obſidionem ſuſtinent, imò quotidianos fere eruptiones faciunt. Equites quos habebant ferme quinquaginta ſubinde etiam emittentes, & nonnullos ex hoſtibus captivos

Aurantius novas auxiliares copias parat.

vos

vos facientes, ex quibus ipsorum consilia, cuniculosque explorarent, præter cætera exeunte mense Januarij Anno 1573 cum manu mille militum, in castra Germanorum Albanica in sylva Harlemica posita, ea vi & fortuna eruperunt, ut occupatis munitionibus, sexcentis circiter militibus interfectis, novem signa militaria, magnum numerum pecudum abstulerint, trecenta militum tabernacula in castris destruxerunt, opimam prædam fecerunt. Fridericus interim non cessabat, portas murosque tormentis palam deinceps impetere, cuniculis, vallo clam insidiari, ad quem usum Albanus pater, illi tria millia fossorum miserat, qui tamen plerique omnes, in obsidione perierunt. Nam oppidani contrarijs Cuniculis actis, incenso pulvere tormentario, & assiduis ejaculationibus globorum magnum illis detrimentum intulerunt, & nocturnis laboribus, suum damnum, quod hostis interdiu inferebat, varijs modis sarciebant murosq; communi omnium, qui intus erant, juvenum, senum, divitum, pauperum, virorum, & mulierũ, indefessa opera instaurabant, & interius novum vallum, in semilunæ formam obducebant. Vna inter cæteras, fœmina, cui nomen Renavia, quæ ætate integra, Heroica

Eruptio Harlemensiũ Albani nociva.

Renavia

fæmina in oppido. tegra, virili animo, ſexum virtutibus vidua ſuperabat. Nam illa armis inſtructa virilibus, muliebri habitu, inter armatos milites ſimilis incedebat, & haſtam ex muris vibrando, tormenta imiſſiliaq; ejaculando, gladiũ in hoſtẽ ſtringendo, non ſolũ anteſignana, & dux erat fæminarũ omnium reliquarum, verum etiam excubiaque. pleriſq; militibus, ſuo exemplo calcar ad virtutem addebat. Itaque cum Fridericus per quadraginta dies, in memorata portas & promontoria, tormentis denuo vehementer fulminaſſet, muriq; hiatum ducentorum pedum latum feciſſet: novos inſultus, ſupremo virium conatu inſtituit, quos eo expeditiores fore ſperavit, quod ea parte oppidani, nulla laterum munimenta haberent, quibus vel ad ſiniſtram, militũ aſcenſiones probibere poſſent, foſſæ etiam ita glacie denſatæ eſſent, ut non difficilem tranſitum præberent. Quamobrem convocato tribunorum concilio, eos ampliſſimis verbis, ad virtutem hortatur, monet ut rurſum ſe ad invaſionem oppidi parent, neque enim eam civitatem, quæ neq; ab initio munita fuerit, & nunc continuis jctibus, ab hac parte, quam nunc adoriri vellent, magnopere debilitatã ſit, eſſe inexpugnabilem. Proinde curatis corporibus, & confirmatis

animis

animis, ad extremum certamen ad instantem noctem concubiam præparent atque ita rem gerant, ut vel expugnata urbe gloriose vincendum, vel non expugnata ignominiose sibi pereundum esse judicarent: mandatur etiam militibus impressionem facturis, ut candidis indusijs arma superinduant, quo in tenebris dignosci possent. Mandragonem, præfectorum prudentissimum, & fortissimum, cum manu duorum militum Gasconum, & septem signis Germanorum militum, in Hispanorum castra vesperi Fridericus vocat, & quemadmodum muri ab illis invadendi, scandendiq; sunt, docet, alios in munitionum fossas distribuit, ijsque insidere jubet, ut oppidanis sclopetarijs assiduis ictibus ex propugnaculis & muris deijciant. Igitur noctu de tertia vigilia alacriter progressi summa vi sed silentio invasionẽ faciunt, quorũ nonnulli ex fossis in valla, clam oppidanis evaserunt, vigilibus autẽ inter duas illas portas (qui ferme erant quadraginta) strepitu excitatis, tũ verò ingens clamor exaudiri, cives, præsidiarijq; concurrere, arma expedire, itaq; depugnare. Vt qui mœnia ascendissent, rursum ex alto deijcerentur. Cum autem Hispani acerrime repetito certamine, incredibili crepitantium sclopettorũ praeunte procella novos impetus facerent, &

Oppugnatio urbis frustra.

Hostes sursum invadẽtes repelluntur. & cum aliquot signis militaribus, prostrata valla ruentesque muros occupassent, oppidani cuniculos, quos jam antea subter ea loca pulvere tormentario, pice, alijsque levibus materijs, ingeniose substruxerant, injecto igne expediverunt, magnamque multitudinem hostium, perruptis ingenti hiatu, disiectisq; à fundamento vallis perdiderunt, multis vi pulveris quasi turbine in altum projectis, atque discerptis multis terra obrutis, suffocatis, atque crematis. Oppidani extemplo cladem clade cumulantes, eruptione facta, reliquos milites, quos extra castra aciemque deprehenderunt, magno numero, tormentis, & gladijs confecerunt, in queis multi viri fortes & nobiles ordinum ductores, pluribus vulneratis, ceciderunt, ipsi oppidani, ultra decem non desideraverunt. Ex eo tempore Fridericus de expugnanda urbe propemodũ desperavit. Sub hoc certamen nonaginta Rhedæ, annonam & arma, cum tam populosæ civitati non sufficeret, oppidani atque Aurantius, qui se Delphis continebat, resoluta glacie, exeunte Februario, majorem frumenti copiam, Duo ænea (quæ erant donaria) & decem ferrea tormenta majora commodata, aliumque apparatum militarem, ex Leida navibus

Commeatum à principe, intromittunt.

vibus Harlemum invexerunt. Contra verò Albanus Amstelrodamo naves bellicas emisit, Admiralio comite Bossuvio, quibus Harlemensibus commeatum prohiberent. Hispani secundum rivum, qui ex Harlemico lacu, civitatem alluit, aliquot castella ponunt, quibus oppidanis navigationem intercludunt. Aurantius pone castella Hispanica, ad Harmicam, ut vocant Tonnam, munitiones suas facit, in ripa lacus, ad quam suarum navium copiam habebat. Ex adverso autē ad septentrionem, ad ejusdem lacus ripam, aliquot munitiones etiam Albanici exstruxerant, propter quos, naves Amstelrodamenses in portu stabant. Itaque frequentia navalia, & terrestria certamina utrinque edebantur. Sed Aurantianæ naves, ut diximus, propter Hispanica castella ad urbem pertingere haud potuerunt. Etsi autem & oppidani suas munitiones prope urbem septentrionem versus habuerunt, quibus armenta potissimum in pascuis defenderent, tamen commeatui importando, neque terra neque aqua profuerunt, Porrò Enchusani conantur aggerem Diemerdiickum, quod omnino unicum iter erat, quo Hispani in castra commeatum Amstelrodamo afferebant, fossionibus in ci-

Enckusani conantur aggerem perfodere sed frustra.

sum

fœminea Gallica, aqua suffocatis. Talia facta, quasi ludicra fœde crudelitas certamina, quorum merito Barbaras ipsas gentes puderet, magno cum dedecore Christiani nominis, pro malum tunc inter partes vigebant. Albanus interea supplementum militum subinde mittere, & Fredericos majores tormentarios globos, etiam ignitos, vehementissime in oppidum ejaculari, quibus tamen tantum detrimenti non dedit, quantum globis non ignitis, qui indesinenter per, oppidum volitabant. Erexerant Hispani castellum militare altiori in castris loco, quo ex castello, majoribus tormentis, in domos, turresq; fulminantes, magnum damnum intulerunt. Huic tignis & trabibus fabrifacti conjunctis, tabernaculum super ædificant, in quo aliquot periti sclopetarij constituti, continuis ictibus, ita per oppidi vicos, plateasq; grassantur, ut multis quotidie vulneratis, & interfectis, per plateas eundi consistendiq; ferme potestas esset nemini. Quod cum Hispani aliquot dies fecissent, oppidani eo directis tormentis tabernaculum perfregerunt, quinque ibi positas grandes bombardas contusas corruperunt, tandem cum sclopetarijs militibus, qui intus erant, omnino dejecerunt,

Machina nova bellica paratur.

quod ab Hispanis quidem instauratum, ab oppidanis verò rursum est prostratum. Etsi autem Harlemenses arctissime obsidebantur tamen subinde literulas, rerum gestarum nuncias, pedibus columbarum, ad suos pullos & nidos, ex quibus clam Aurantiana castra exportatæ erant Harlemum revolantium alligatas, cum Aurantiani ultro citroq; missitabant. Deficiente pecunia, usurpabant frustum argenteum, pro moneta, insigni impressum civitatis dimidij infra pretium valoris, ut in eventum postea meliori fortuna sarciretur. Quo tempore etiam Hollandi, omnem usitatæ monetæ valorem decreto publico adaugebant. Quoniam autem Hispanorum munitionibus, & Amstelrodamensium navibus, commeatu omnino præter opinionem intercluderentur, añonæ inopia quotidie imprimis mense Junio crevit, expectatio verò externæ opis decrevit: Jtaq; singulis gregarijs militibus singula pōdo siliginei panis, singulis diebus ordinabantur, civibus autem & feminis, pueris aliæq; im belli turbæ, cibaria erant, primum placentæ libaminaq; ex cannibacco semine confecta, inde majori defectu, equi, canes, glires, mures, feles, armamentorum tergora calce macerata, virides radi-

Columbæ tabellisferæ.

Harlemenses famè laborant.

ces

ces & herbæ. Deniq; cum multi inedia confecti morerentur & obsidionẽ tolerare diutius vix possent, Aurantij opem solicitant; per columbam octavo Julio rescribit se quidem navigijs opem ferre nullam posse, obnixe autem conaturum mittere commeatum, cum quingentis propemodum carris, & firmo militum præsidio munitum ductore Barone Batenburgico per silvam Harlemicam, ubi castra altera hostium posita erant. Ipsi in hoc subsidium signo in silva dato oportune intenti essent. Oppidani ad hoc nuncium erecti duo millia præsidiariorum militum & civium, qui candidis indusijs supervestiti erãt totam noctam in armis habuerunt, nullum autem signum animadverterunt, cum annunciaretur; Batenburgicum quidẽ cum commeatu & præsidio juxta hostilia castra, ad sylvã accessisse, vigiles primo aggressu, cum aliquot militibus trucidasse, sed audito clamore tota castra commota Aurantianos repulsos profligasse, Batenburgicum ipsum cum Clotigo, Carolo primoribus, & magna parte militum occubuisse, commeatum interceptum. Clades Aurantiani. Hanc Cladem Aurantius ipse paulo post oppidanis, per columbam rescribit. Cujus rei argumentum, ipsi etiam Hispani, in victoriæ

trophæum, novem Aurantius productis vexillis, Harlemensibus ex castris ostenderunt. Narrabatur inter cætera, ex diversis Hollandorum civitatibus, manum juvenum evocatam, ad Aurantianam istam expeditionem accessisse, & sua imperitia ac temeritate causam cladis dedisse. Tum vero oppidani subsidio omni desperato, cum viderent, transigendi cum desperato Harlemensium Friderico rationem nullam esse: decernunt, præsidiarijs, & civibus, quicunque arma ferre possent, globo facto, vi atq; armis, ex urbe in hostium stationes, silente nocte irrumpendum, & fortunam belli, in omnem eventum, vel fortiter perrumpendo, vel honestè pro patria moriendo, periclitandam. Relicta in urbe imbelli multitudine. Hoc deprehendentes mulieres, cum liberis, infantibus, alijsq; ad bellum minime aptis hominibus, facto ad portam concursu, manibus ad sidera passis lamentabilibus ploratibus & præcibus ea nocte retinent, Ibi videbas uxores in gremijs maritorum, liberos in parentum complexibus hærere, corpora inedia confecta, titubantibus crucibus, lurido oris colore, tristissimo vultu, suam quemq; fortunam, communemq; miserari, opem præsidiumq; divinam, deficiente humano, inconditis gestibus, &

eju-

ejulatibus implorare. Itaq; postridie recollecti simul omnes statuunt, ut septem signa peritissimorum sclopetariorum in exeunda porta, primis ordinibus præcederent, hos sequerentur consules & senatores;& primores cives, cum uxoribus & liberis, inde populus plebesq; cum suis quicunq; adessent,ultimum agmen clauderent, octo cohortes militum, veteranorum, qui in stationes excubiorum,& vigilum per urbem obijssent. Sunt autem etiam nunc præpediti,tum quia hostis novam oppugnationẽ instituere videbatur,tum quod ex castris sylvanis hostium, missis literis, omnibus oppidanis,si sese dederent, venia & gratia offerrentur. Quo nuncio centuriones,militesq; Germani confisi, urbe exire noluerunt, seq; à cæteris sejunxerunt. Etsi autem sequentibus diebus, aliquot Gallorum,& civium cohortes quibus se etiam nonnullæ mulieres virili habitu junxerant, idem semel atq; iterum tentarunt, tamen summa spe futuræ transactionis, & quod abruptis jam initio obsidionis partarum pontibus exitus non daretur remanserunt. Tandem duodecimo die Julij transigentibus Steinbachio, & Christophoro patre, præsidiarij; tribunis,& duobus consulibus, civitatis,cũ Friderici Legati' internuncijs,

urbs dedita eſt in Albani poteſtatem, Hiſpa-
niarum Regis auſpicijs. Cum autem de conditi-
onibus deditiōis, res non ſatis explicata eſſet, &
Tribunus Roſonius, in ſimplicem deditionem,
quam ille intelligebat de nulla certa gra-
tiæ conditione cum Gallis & Belgis militibus,
nollet conſentire Hiſpanisq; diffideret, Fri-
dericus ad pulſum tympani, reſponſum à præ-
ſidiarijs, & civibus publicè poſtulavit, mal-
lent né cum bona ac mala gratia, in civitate
remanere, an inermes exire. Ibi acclamatum
remanere velle, quod propterea faciebant, quia
Germani, Angli & Scoti de impetranda ve-
nia certo ab Albani internuncijs ipſi per-
ſuaſi, alios etiam à ſe perſuaſos tenebant.
Bordetus autem nobilis Gallus, qui obſidi-
oni Bergenſi interfuerat Albani gratia diffi-
ſus, armigerum ſuum requiſivit, ad manum
inferendam. Is tandem precibus exoratus
manum Domino intulit, & vitam illi cum
morte commutavit. Deniq; tranſigitur cum
civibus, ut vitam ad redemptionem ſuarum
facultatum, ducentorū millia aureorum ſum-
ma luere poſſent, quorum dimidiam partem,
intra dies duodecim, alteram vero trimeſtri
ſpatio ſolverent, exceptis quinquaginta ſe-
ptem primis civibus, qui rem publicam ad-
miniſtràſſent

ministrassent, quiq; novorum motuum autores fuissent, in quos vitæ ac necis potestatem reservatam vellet. Quamvis vis alij quodammodo diversum tradunt, quorum absurdas & ineptas narrationes hic attingere nihil attinet. Hæc ita ut narravimus acta pactaq; sunt, Friderico ipso in modum indulti civibus consignata & communicata duodecimo Julij Anno 1573 ut modo diximus, quo die frustum panis duorum pondo sex viris commedendum distributum est. Fridericus cum primoribus Hispanis, urbem est ingressus. Eodem die & posteris diebus, cives, Belgæ, Germani, Scoti, Angli, Galli, milites omnes jubentur arma deponere, & in curiam comportare: tum in suspectos cives & plærosq; omnes milites, gladio, laqueo, alijsq; modis sævitum, ducenti circiter & quinquaginta, bini dosotenus colligati milites in lacum uno die projecti & suffocati. Nonnulli ægroti in oppidi munitionibus decumbentes fame necati, multi etiam ex nosocomijs ægroti ad suplicium extracti sunt. Quingenti Germani milites, cum suis præfectis civitate educti, spe vitæ data, ut ad triremes ducerentur, in itinere à militibus Brochusianis, sive Friderici ducis conniventia, sive militum facto

Eximia cudelitas Hispanorum oppidanos.

spontaneo sunt liberati. Lanceloto Brederodio, Rosinio alijsq; ordinum ductoribus cervices præcisæ sunt. Duobus concionatoribus suspensi. Scotorummilitum præfectus Ballfourius, vitam redemit, jurejurando stipulatus, se Aurantium principem confecturum quod tamen juramentum dimissus minime servavit, quia neq, divino neq; humano jure teneretur, ut Aurantio postea ipse indicavit, Wigboldus Ripperda præfectus, gladio percussus est, vir ea calamitate indignus. Huic viro antea in Frisia Orientali in cœnobio Blauhusano exulanti, noctu genius apparuit, aliquantisper contra eum consistens, & tetrico, terribiliq; vultu ita intuens. Vt non dubio horrore mortis illato, vix spiritum duceret. Cum autem Ripperda paucis annis post, Harlemij, dedita civitate, militem adse in cubiculum intrantem, & mortem annunciantem conspiceret, spectri prioris terribilem faciem, in ejus hominis vultu formaq; apparentem, est recordatus, itaq; ex templo instantem mortem divinas, ab ipso divinas, ad supplicij locum perductus progreditur & pro patriæ & Religionis libertate constanter moritur. Quēadmodum fere olim Marco Bruto Romano contra trium viros Antonium, & Octavium Cæsarem belligeranti, & in campis Philippicis

picis morienti ab genio suo accidit, paucis ante mortem prænunciante, ad Philippum me rursum videbis. Dedita & occupata civitate, multum frumentum, vix ullum vivum, vel herba reliqua visa fuisse scribitur, tantum aliqua salis copia, & aqua cæteris edulijs omnibus, potuque consumtis, superfuit. Itaque tunc impetrato commeatu, Harlemenses superstites, pasti refectique sunt. Godefridus Episcopus Harlemensis recuperato oppido, & solenni ceremonia, templo expiato missam coram Friderico, Hispanisq; celebravit, & Romanæ Ecclesiæ sacra restituit. Hæc de memorabili obsidione, & deditione, vel potius cruenta expugnatione Harlemiæ civitatis, quæ cum Sagunto ab Aññibale capto, per idem tempus octo mensium, pacem famam inediamq;, majori tamen virtute sustinuit, in qua bona pars civium interijt, ex qua vix quinta pars primorum militum utrinq; reliqua fuit. Copiosius scribere debui, tum ut rerum humanarum fragilitatem deploremus, tum ut mortalium delicta, Deiq; vin dictam agnoscamus, quibus cumulum attulisse videtur Harlemensis carnifex. Qui cum ad capitalia sceleratorum juditia exsequenda. Ut super diximus, ab initio destinatus esset,

 tamen

tamen postea illucescente sinceriori de vero Deo doctrina officio abusus, millia piorum hominum, quos hæreticos vocabant, per totam Hollandiæ provinciam varijs cruciatibus, & suppliciorum generibus peremit. Etsi autem Hispani & hujus tandem urbis sunt potiti, tamen eum victoria non gauderent incruenta; ipsorum fastus & incitata ferocia, obsidionis diutúrnitate, Harlemensium virtute, non parum retardata & contusa fuit. Quà re etiam cæteris Hollandis urbibus sese muniendi, de ratione belli deinceps accurate cogitandi spatium datûm est. præsertim cum in ipsa expugnatæ urbis victoria, propter stipulatam redemtionis pecuniam, cujus æqualiter milites universi, tam intra quam extra oppidum in castris, in stipendiorum solutionem, volebant esse participes, in grave diuturnumq; dissidium discessissent. Tumultus enim ille militaris per sex septimanas eousq; exarsit, ut fugatis suis castrorum præfectis, qui moderatis rationibus eos sedare conabantur, non desinerent furere, priusquam; viritim distributa Harlemensi pecunia, utcunq; placatj, atq; soluti, tandem imperio deinceps parere pedemq; movere vellent. Libro septimo meminimus, Albanum jam senem & negotijs fessum

ſum, de dimiſſione apud Regem ſolicitaſſe: ſubrogato Duce Medina cæli. Etſi autem hic ingreſſus Belgiam, & ipſi adminiſtrationi renunciat, tamen ibidem manſit, ad Octobrim menſem hujus anni milleſimi, quingenteſimi, ſeptuageſimi tertij, quo menſe in Hiſpaniam reverſus eſt. Ei ſuccedit Ludovicus Requiſenius Hiſpanus, de familia ducum Cæſiorum, Adminiſtrator Mediolani, & magnus commendator regni Caſtiliæ, ordinisq; Divi Iacobi Magiſter, qui ut diximus Johanni Auſtriaco, in memorabili navali victoriæ, contra Turcas præfuerat. Is decimo ſeptimo Novembris Bruxellas ingreſſus Albano ſe provincia abdicante, adminiſtrationem Reipublicæ ſuscipit. Videbatur juſſu Regis, Rempublicam benigne capeſſere, ut ſua humanitate Belgarum animos, qui, Albani crudelitate ad civiles motus exacerbati erant, placatos ſedaret. Igitur Albano ſecundo Decembris, cum Friderico filio diſcedente, Requiſenius conſiderans, Middelburgum præſidio auctum, usq; dum tandem, longo iſto obſidionis tempore, commeatu ſatis inſtructum, iudicavit ſui officij celeberrimæ, Selandiæ, & Regi addictiſſimæ civitati, in quam pleræq; Belgicæ provinciæ reſpicerent, ſummis viribus eſſe opitulandum

tu a idum, suæq; viritutis specimen, in principio Imperij exemplo maxime illustri edendũ. Itaque mortuo Beauvojo, Avilam denuo Ammirantem substituit, & quæ ad novam navalem expeditionem, commeatui inferendo necessaria erant, summa cura ordinat. Statuebat autem duobus omninò itineribus, altero per majores naves Honto, altero Schabde fluminibus, per scaphas, aliaque navigia id opportune fieri posse, cui rei præsens hiems, hibernæq; longiores noctes commodissimæ videbantur. Avila igitur, & Italianus Romerus Ammirantes ambo essent, classem triginta circiter navium bellicarum, egregie milite & armis instructarũ in universum simul ducerent, præter naves onerariós. Avila Honto fluvio, suis cum navibus Antverpia Walchriam versus descenderet. Romerus, Bergis solvens, per Sceldam prope Seudbeverlandiam ei sua classe occurreret, classesq; conjungerent, quibus Selandi ut putabant non facile conjunctis resisterent. Veruntamen Aurantius, cum superioribus diebus, ex Hollandia, in Selandiam venisset, hostis consilio edoctus, cum suis constituit, alteram harum classium,

anteque

anteq; conjungerentur adoriendam esse. Itaq; & Selandi suam classem bipartitam faciunt quarum alteram, viginti circiter navium, Boiseto Ammiranti suo committunt, qui per Scialdam in hostem Romerum profectus, prope Bergas ad auroras stantem in conspectu habet, atq; ex templo & ipse summa vi, in ipsum cursum intendit. Romerus conspicatus hostem etiam non cunctandum ratus, præsertim cum in conspectu sui Imperatoris Requilenij, qui in promontorio Bergensi, cum suis spectator pugnæ erat, esset concertandum: aureis celeriter sublatis, classeq; disposita, se suosq; ad pugnam impigrè præparat, & primo conflictu Boisetanam navim prætoriam, grandiori collimato tormento, à puppi ad proram, sub reticulo tegumento navis, ubi Classiaria multitudo, in foris densata stabat, ita transverberat, vt multis occisis, plurimis vulneratis, magnum detrimentum, tum militibus, tum navi ipsi dederit. Quo impetum etiam navarcho

Scotto,

Scotto, alterum crus est ablatum. Ille vero ea clade minime perculsus, alijs adminiculis suffultus, arrepta laurea, egregie in hostem pugnare, non desinit; cum gener ejus Nicolaus, fortissimus Iuneus globo traijcitur, & ipse Ammiras Borsetus, trajecto oculo, graivssime vulneratur. Tum vero ambis naivbus prætorianis, infestis animis, ingentiq; fragore concurrentibus, & latus lateri transtra transtris appellentibus. Alijs etiam circa navibus quamq; suam Ammiraliam propugnantibus, utrinq; magna virtute, alternante fortuna, aliquandiu dimicatur, donec impiger juvenis quidam Selandus, ex Walchria oriundus, qui ex Carchesio Borsetanæ prætoriæ desuper strenuè pugnabat, in adversæ complicatæq; hostis Prætoriæ Carchesium animose transiliens, ad cacumun volitantis corruscantisque Hispanici signi militaris ascenderet, illoque abrepto involutus, in ipsam hostilem prætoriā, imperterritus in foros descenderet, quam quidem hostilem navim jam multi suorum commilitonum Selandorum invaserant. Vexillo prætorio Hispanico sublato. Hispani pleriq; de victoria de sperantes animum despondèrunt, Selandi magna spe victoriæ pugnam incenderunt, & decem præcipuas na-

ves

ves Hiſpanicas, profligatas ceperunt, non nullas incenderunt, paucæ profugerunt. Perierunt utrinq; ultra mille nautas & milites. Interierunt etiam præter cæteros Glimæus, Hiſpanici Ammirantis Legatus, & Octavius Perenottus. Romerus ipſe Ammiras, per foramen ſuæ navis tormentarium, reptando clam ſcapha incolumis evaſit: tantus autem Selandorum ardor furorq; dimicandi fuit, ut neq; hominis, neq; prædæ rationem ullam haberent, ſed omnes ſine diſcrimine hoſtes quantúmvis torquibus auro argentoq; ſplendentes certatim conficerent, confectos ſuo habitu ornamentisq; depreheuſos, in altum proijcerent, captivum facerent neminem. Avila interea ſua cum claſſe Breſtijuum petit, ibiq; Romeri claſſem, in anchoris præſtolatur. Aurantius in hoc tempore Fliſſingæ commorans, magno in mœrore erat, propterea, quod claſſi, quam Boiſeto commiſerant, ab Avila metueret, ne ſe cum Romero contra eum ad Bergas conjungeret. Itaq; cum ſe totum, ſacris ad Deum precibus, pro ſuorum ſalute dederet, redditur certior, Avilæ claſſem in anchoris viſam eſſe, quam quidem ipſe, in promontorium Fliſſingenſe, ex cubiculo ſuo progrediens, magno gaudio conſpexit; ut & de victoria quæ

jam

jam obtinuerat, bene sperare tunc inciperet, cujus certum nuncium, cum aliquot Romeri advectis, captivis navibus, paulo post nactus est. Scotus, verò navarchus, intra paucos dies, ex cruris abrepti vulnere fato concessit. Avila autē accepta Romeri clade, extemplo sul ductis anchoris, Selandorum vim & fortunam veritus, Antuerpiam suam classem reduxit, jam de Middelburgo juvando desperans. Illic vero, magna rei frumentariæ, omnisq; annonæ inopia erat, consumptis & devoratis omnibus equis, canibus, felibus, muribus, gliribus: jam res ad jecta libamina ex surfure oleario confecta, panesq; lineos tanq; ultimum nutrimentum devenerat. Cudebant monetam quadratam ex auro, & argento, impressam literis, ut vocant, capitalibus, majusculis hujus Sententiæ. Deo. Regi. Populo. Fidelis Middelburgensis. Igitur cum Mundragonius Middelburgi præfectus, de Selandorum adversus Romerum victoria cognovisset, neq; auxilij, neq; commeatus importandi spes ulla esset, extrema necessitate compulsus, statuit cum Aurantio transigere, urbemq; & Arnuidum dedere. Quæ deditio consentiente tandem Requesenio his exeunte Februario Anno supra mille quingentos septuagesimo quarto. Ut Mundragonio,

nio, & præsidiariis, cũ armis atque impedimentis, tum omnibus sacrati ordinis hominibus, nautis, calonibus, & reliquis, oppidanis, qui exire vellent, salvis exire liceat, cunctis tutum commeatum in Flandriam Aurantius præstet, vt Mondragonius militari fide spondeat, bimestri spatio Philippum Marnixium Allegondij Dominum, Iacobum, Simonem Italum, Willekenium Angerium, Iohannem Pettinum, ex carcere liberaturum, nisi faciat, sese extemplò denuò Middelburgum stiturum. Alij scribunt, præsidiarios & oppidanos, simplici tantum amictu excessisse, oppidanos etiam centũ millia aureorum summam iu mulctam solvisse. His ità transactis, Aurantius Princeps, Middelburgo, Armuido, & universa Walchria, marisque Belgici Imperio post biennij ferme obsidionem est potitus. Armuedum etiam, quod ante ignobilis pagus erat, & jam hoc bello ferme desolatus, non solum egregie instauratur, verum etiam mœnibus septum & in formam civitatis est conditum. Hoc anno, per aquarum inundationem, multa hominum & pecudum millia, per inferiorem Germaniam, Belgicas insulas ac civitates, perruptis aggeribus, æstivo tempore perierunt. Obsesso Harlemio, Hollandi Comitem Marckensem Lumæum,

apud Aurantium malæ administrationis graviter accusabant. Imprimis Ecclesiastici Pontificij querebantur, quod multos sacratos viros, monachos & sacerdotes, crudeliter tractasset & trucidasset. Quod quidem ille, se in Egmondani Comitis sui propinqui ignominiosæ mortis vindictam, ex voto facere audacter gloriari solet. Vt & supra diximus. Quamobrem Hollandiæ Ordines captum aliquamdiu custodiri iusserunt, tandem Aurantij intercessione propter impigrum viri animum, atq; operam initio præstitam, liberum sed administratione vacuum dimiserunt. Igitur ille paulo post, Hollandiam relinquens in Germaniam discessit. Sub idem tempus Maximilianus II. Imperator, Belgicarum calamitatum quarum finem non videbat, recordatus, denuo Regem Philippum de tolerabilibus conditionibus pacis sollicitat. Rex verè in sententia, quā ante aliquot annos Carolo Archiduci Austriæ, Imperatoris fratri, tunc Legato, vt suprà meminimus, dederat, perstitit. Aurantius etiam ab Imperatore, ad pacis concordiæq; transactionem postulatus spe facta, ipsum, vel suas ditiones atq; dignitatem, in Belgia recuperaturum; vel alium in Germania principatum non inferiorem, vel saltem comitatum Charlosium consecuturum

respondet,

respondet; se non tam sui quam Belgicarum provinciarum, quæ suæ fidei & tutelæ demandatæ essent, habere rationem, communemque magis causam, quam suam privatam contra Hispanorum tyrannidem agere, Etsi autẽ Cæsar, etiam tunc frustra laborare videbatur, tamen pro sua naturæ bonitate, sequentibus annis, ad qualemcunque transactionem profecit, quæ utinam constantiori fortuna feliciorem exitum habuisset.

Harlemio capto, Alcmarienses vicini (distant enim quinq; fere milliaribus) in magno metu fuerunt, verendũq; fuit, si extemplo Fridericus, ab Harlemo, castra Alcmariæ mænibus admovisset, oppidum in ejus futurum fuisse potestate. Sed dum Hispani milites in castris, de stipendijs, Harlemensiq; pecunia tumultuantes desident, & circumjacentes nobilium, & rusticorum pagos, Heiloen, Egmondani, & alia vicina loca depopulantur, prædamq; venantur, occasionem bene rei gerendæ amittunt, Nam dato respirandi spatio, Alcmarienses animum collegerunt, copijsq; contractis, summis viribus, Hispanis restiterunt. Etsi enim initiò diversis partium studijs civitas distracta esset, occiduamq; partem Albanici-

accerſitis, tormentisq; plantatis, per Fecailem deditionem poſtulat. Illi vero reſpondentes, ejusq; tam magnificia promiſſa, quam terribiles minas continentes, ſe ad propugnationem ſtrenue præparant. Tum Hiſpani decimo Octavo, Septemb: viginti majoribus tormentis,quorũ ſingula ferreas pilas,quadraginta pondo evomebant, per integrũ diem,murum, quà imbecillior eſſe videbatur, duobus ejaculationum millibus,graviſſimè verberare,in portam etiamFriſicam vel ut alij ſcribunt,Harlemicam, aliquot Horis,impreſſionē facere. Sed ab oppidanis fortiter repulſi profligatiq; ſunt mulieribus quoque atq; puberibus, picatas, ardentesq; corollas, lapides, ſaxa atq; omnis generis miſſidia, in hoſtem indefeſſe ex muris vibrantibus, ut retrocedere coactus, ſexcentos de ſuis amiſerit, trecenti vulnerarentur, in queis circiter quadraginta Hiſpani, prima ordinum ductores perierunt, oppdum circiter triginta quinq; deſideraverunt. Sequentibus diebus rurſum octingentes majorum tormentorum globos in oppidum ejecerunt, paratiq; denuo ad inſultum invaſionemq; ſteterunt, duobus ponitbus altero ſuper navigia, altero ſuper vaſa inania, ad oppidi latas foſſas,aquoſaq; campeſtria tranſcendenda fabricatos.Sed tanta oppidanorũ virtus fuit, id propugnendi ſtudiũ, ut

vt & pontes tormentis abijcerent, & continuis scloppettorum missiliumque jactibus, hostem ab oppugnatione vlteriori terrerent. Itaque & virtute oppidanorum, & aquarum copia, qua pomeria propter pluviosum cælum & humida depressaque loca redundabant, & propter instantem hyemem de expugnatione urbis Fridericus desperans ineunte octobri obsidionem solvit, & ad parentem Albanum Amsterdamum se recipit. His diebus Iohannes Casimirus, & Christophorus fratres, Friderici, Septemviri filij, Bavariæ Duces, Comites Palatini, Cum in itinere, in aliquot vasa tormentarij pulveris, quæ ex Germania, in Belgiam Duci Albano advehentur, inciderent, ea interceperunt, & dimissis aurigis atq; quadrigis, incenderunt, seq; apud Cæsarem, literis excusaverunt, neq enim in Cæsaris, neque in Hispaniarum Regis contumeliam, vel ulla petulantia id fecisse, sed misericordia miserorum Belgarum & vicinorum Germanorum motos, id genus armorum, quod ad stabiliendam Albani tyrannidem, & afflictos subditos magis affligendos, atque omnino perdendos accerseretur, incendio absumsisse ut, noceret nemini. Albanum interea non solum repulsa filij, quam ab Alcmaria tu-

lerat, verum etiam Aurantiana obsidio Middelburgensis urebat. Itaq; quemadmodum Middelburgenses juvarentur, & universam Selandiam in suam potestatem ante discessum redigeret, nihil ad summam industriam reliqui facit. Videbat autem Amsterdamum, & Regi fidum esse, & re navali plurimum posse, & Enckhusam, cæteraque Northollandiæ oppida, summo odio persequi, inprimis propterea, quod Amsterdamensis & ad vrbem, & ad mare, omnibus navigationibus, commercijsque ultro citraque intercluderentur qui primi inter Hollandos esse consueuissent. Evare triginta magnarum navium classem ibidem curabat, cui præficiebat, Ammirantem comitem Bossuvium, navi prætoria Inquisitio nominata, quam triginta duobus tormentis æneis grandioribus, præter cætera instruxit. In qua & ducenti milites, ferme omnes, Hispani, præter nobiles, & nautiam turbam erant, tribunorum Corquerio, quibus & Dominus à Kroningen aderat. Hi omnes magno splendore Amsterdami conscendentes, & flante borea in flato tumenteq; mari quæ Enckhusani, demersis navibus, vadosa fuerant loca superantes, feliciter insinium Holandicum, quod mare Austrum vocant navigarunt. Ibi

Enckhusanam Hollandicam classem, instructã reperiunt, quam sine mora adoriuntur. Enckhusanorum classiariorum militum, tribuni duo erant acerrimi, Iohannes Comeputus, & Nicolaus Ruchaverus, quorum hic cum suis Prætorium navim obtinens, classem administrabat, ille in littore maris terra rem bellicam classiariam curabat, quam in conspectu semper habebat. Enckhusana prætoria primum Inquisitionem invadit, & inter pugnandum ex cathesijs suis, multam calcis, desuper oculis Hispanorum præter alia missilia aspergit, qua ratione & eorum conspectũm non parum hebetabat & impetum retardebat. Inde duæ aliæ Enckhusanæ, suæ prætoriæ auxiliarios accedentes, oppugnare persistebant. Que quidem Inquisitioneum deinceps diem, noctumque sequentem, & postridiæ usque ad meridiem, summa virtute certamen sustinuit. Hoc durante certamine cæteræ Enckhusanæ, alias hostiũm naves omnes profligaverunt, quas partim Amsterdamum, fugaverunt, partim projectas captasq; submerserunt, tandem Bassuvius, cum videret, hostem subsidiarijs navibus succenturiatam, suam autem omnino desolatam, vadoq; hærentem, ut se movere non posset, suasu concilioq; eorquerij, se navimq; interposita de vita conservanda pactione, duo-

decimo die octob: dedidit, ipse cum omnibus in navi depræhensis, Hornanum, Hollandiæ oppidum captivi ducti sunt. In queis præter cæteros fuerunt Corquerius, Kroningius, Weldanus Hagensis, Iodocus Wemius, Gerardus Pinhius, Gerebautus Warwijkius, Romerus Quesnejus, Numanus Hagensis, Bleuinburgius Dordracensis, Iohannus Mœlonius, aliq; primores. Ferunt Bossuvium, magis imperio Albani Ducis, pudoreq; coactum, ne ignaviæ socordiæq; notam subijciet, quam suopte arbitrio vel voluntate quod se hosti parem indicaret, hanc expeditionem suscepisse. Hinc ista jam sæpius renovata navalis Albanica expeditio, & munificè venditata bellatrix illa navis Inquisitio, exitum habuit, ad non obscurum omen, ejus tantopere, ab omnibus Belgis, & populis, oppugnare Hispaniæ religionis recentis Inquisitionis. Et jam ipse tumultuante populo Albanus Amsterdami, in magno discrimine erat, propterea, quod præsidiū urbi imponere conaretur. Et Aurātij classis, quā in oceanum miserat, magnā prædā fecit, captis ut ajūt Lusitanorū, varij generis mercibus, atq; opibus, usq; ad milliōnē auri, qui cē[t]ū miriadibus, idest decem tunnis auri valet, pertingentibus, quibus opibus, ad continuandam Middelburgensem obsidionem bellum que deinceps contra Hispanos gerendum, non mediocri-

non mediocriter est animatus. Quin etiam eodem fere tempore Angli, aliam Hispanicam classem, à regijs, & mercatorijs navibus instructissimam, Barchione solventem invaseruut, captam in Anglicam subvexerunt. Ex Africa autem tunc de Iohanne Austriaco fratre Regis lætiora nunciaubãtur, qui Tuneti Gulethæq; præfectus, magnam Turcarum manum, Bisertam vicinum Mauritaniæ oppidum occupare conantem, profligavit, & Amida, qui Tunetum invaserat, pulso, in Siciliamque abducto, juniorem Mulcassem, verum regni hæredem, Regem appellavit, & in regnum Tunetatum auspicijs Philippi restituit. Quanque Philippus dum omnes imperij sui vires, ad Belgicas provincias debellandas confert, sequenti anno mense Iulio, Tunetanum regnum, Gulethamq; arcem quæ Cæsar parens, Hispaniæ, & Italiæ, omnibusq; maris mediterranei Christianis Insulis propugnandis, magna virtute & gloria obtinuerat, non sine ignominia amisit, Gabriele Serbellione, præfecto Hispanico, cum paulo ante Iohannes Austriacus in Italiam discessisset, Turcis capto, & Constantionopolim ab ducto-

Francis-cus Val-desius Alcmaria obsidione liberata, Albanus Antuerpiam, inde Bruxellas est profectus, & Francíscum

ciscum Valdesium exercitui præfecit, qui primum Hagam comitis, deinde Masslandi am, ad occupandam illic positam munitionem castra movet, Vbi Philippus Marnixius Aldegondius, & Iohannes Pettius Tribunus, expugnata munitione capti sunt. Vltimo Octobris Valdesius Leidam Hollandiæ oppidum, quod commeatu adversus longiorem obsidionem exiguo esset, & Hollandorū copiæ Albanicis castris profligandis non esse pares viderentur, de improviso obsidet. Sub idem tempus scriptum editur in formam libelli supplicis, ad Philippum Regem, Aurantij, Hollandiæ, & sociorum nomine, quo Albani Tyrannidem, calamitatem provinciæ, & causas belli commemorant, tum religionis conscientiæque libertatem privilegiorum conservationem & exterorum militum excessum postulant, orantes universos reges & principes nominis Christiani, ut suæ ipsorum erga regem fidei, testimonium ferant, & hoc suum scriptum, ad regias manus perferri neq; intercipi, ut subinde acciderit, permittant, ut sentiant suas miserias ipsis cordi esse. Diximus suprà de Selandia, quæ diversis studijs distracta, in partes discesserat. Itaq; Flissingensis Campueriam eum socijs, & cæterum Middelburgum

ab Albano exercitui præficitur.

Middelburgum & Armvidam & centum Ramkense, auspicijs Aurantij, arctissime classe obsidebant, & totum agrum & insulum Walchriam, pedestribus copijs, immissisque aquis vastabant, quin etiam aliquot naves onerarias holcades, ex ipso portu Antuerpiensi rapuerunt, cives ex domibus stratisque suis, tam interdiu quam noctu captos, urbe abripuerunt. Interea Albanus undique conscripto navali milite (erant verò plærique Saxones, rei navalis imperiti) & comparatis ædificatisque navibus satagebat, ut collecta classe, Middelburgum commeatu importaret, sed id semel atque iterum frustra est conatus. Sancius autem Avila, præfectus arcis Antuerpiensis, jam ab Albano ordinatus Admiras, comparata classe quinquaginta magnarum, & parvarum navium, Middelburgum versus, cum multo commeatu ingenti animo navigat. In itinere obuiam habuit classem Selandiam, cum qua cum aliquot dies, jaculando certasset, tandem pedem referre coactus, grandiores naves Antuerpiam retulit, minores vero ad Bergias somias peteret. At vero hic quoq; actus inanis fuit. Avila itaq; denuo, summis viribus repetito conatu, rursum Mid-

delburgum

delburgum rectà dirigit; Cum autem Euro flante, Brescinum, secundam Flissingam reijceretur, cum Flissingensibus navibus in atrox certamen venit, ut quinque maximas naves de sua classe, magna accepta clade amitteret, omnes enim Classiarij, qui in superatis navibus, deprehendebantur, vel trucidati, vel demersi sunt, tantaque vi tormentorum Flissingenses, in Hispanicas naves fulminarunt, ut per foros & transtra, omnia cadaveribus, membrisque humanis mutilatis plena lamentabili aspectu viserentur, eaque vasis vannisque collecta, acervatim in mare proijcerentur, reliquae naves inter dimicandum vix aegere cum commeatu Middelburgum evaserunt. Hae postea exposito commeatu, receptisque alijs mercimoniis Amsterodamum redire volentes, à Flissingensibus magna ex parte, medio in cursu rursum profligatae, septem de suis amiserunt. Inde in locum Avilae Dominus Bauvojus Ammiras ab Albano constitutus,

cum octuaginta navium classe ; Antuerpia in Selandiam navigare contendens, egit Ramkam arcem â Flisingensibus, partim vi, partim deditione captam, itaque institutum, secundum Ramkam cursum mutans, & Walchriam insulam, septem milliaribus in ambitu patentem circumnavigans, Rompotum, præter hostis expectationem tenuit, ubi classis partem minorum navium, littori applicuit, & commeatum terrestri itinere, bona ex parte (: omnem enim propter hostis ferociam & propinquitatem inferre poterat :) Middelburgum intulit, & tribunum Mondragonem ; cum quindecim signis militum ; in præsidio discedens relinquit. Etsi autem quadragiuta navigia Bergas Somias miserat, existimans tutò inde Armuedum navigare posse : Hostis tamen ea, in portu Bomercio continuit, ut progredi non possent, qui Bergarum mœnia, stratagemate scalarum clam noctu conscendere, atque occupare frustra conatus erat, quemadmodum & Hispanus Circlebæ oppido, inani conatu insidias vicissim struxerat. Dux Albanus in Hispaniam reversus, præter multorum opinionem à Rege clementer exceptus est, & ad consilium, & ad veteres honores admissus.

Acceperat à Margaritha principe, Belgisque proceribus, provinciam paratam, quam is sex illis annis, quibus præfuit, vi atque armis varijs modis turbavit, turbatã regi, posterisque reliquit, ut nisi præpotens Deus, tamque ἀπὸ μηχανῆς propitio adsit, numine, haud scio, an tranquillari possit á nemine.

FINIS.

APPENDIX,

Continens specialem inter Frisios Orientales & Occidentales Contentionem.

SUb idem tempus, constanti rumore Embdam est allatum, omnes Embdanas naves, quæ varii generis mercimoniis, ex diversis Oceani Arctoique maris plagis oppidisque, in Amasim onustæ advenerant, ut Embdam continuo cursu navigarent, à Frisiorum occiduorum præfecto navali, cui Michaëli Hagio nomen erat, interceptas detineri: Eóque nullam omninò navim, ad urbem ullis cum mercibus frumento-ve posse pervenire. Edzardus Comes rei novitate & civium querelis motus, Embdam veniens, Henricum Paulinum, Reipublicæ Embdanæ Secretarium, undecimo Octobris die, legatum cum mandatis ad Michaëlem mittit, causam detentionis, tum, quo jure, quâve potestate, in Sacri Imperii & Orientalis Comitis fluvio, illa intentaret, scilcitatum, petitumque ut à vi atque injuria abstineret: Ille Paulino ad postulata respondit; Se ex man-

Anno 1585. Mens. Octobris.

dato Ordinum Occiduæ Frisiæ, Embdanis navibus manum injecisse injecturumque deinceps; fidem sui mandati literis faciens, XXII. Septemb. Mensis proximè elapsi, à Frisiorum Ordinibus ad se datis. Hæc Paulinum, Embdam referentem, Comes aliquot Civibus comitatum, postridiè ad Michaëlem cum iisdem postulatis remittit, quem cùm multis verbis esset hortatus, ut ab incepto factoque desisteret, adeo nihil profecit Paulinus, ut ille etiam in ejus comitumque conspectu, plures Embdanas, ultro citróque obnavigantes naves comprehenderet, sanctè affirmans se ex mandato, cui esset juratus, aliter agere non posse; propediem autem exspectare literas pleniusque mandatum, quemadmodum cum navibus mercibusque agendum, quove locorum omninò transportandæ essent: Ferre autem posse, ut Comes ad Ordines Frisiæ hac de re questum mittat. Interim mussitabant Classiarii, rumorque ferebat, vel in Frisiam Occiduam vel in Hollandiam, naves mercesque esse subvehendas. Quâ re Embdæ auditâ, universa Civitas perturbari, Comes indignari, etiam ii qui Embdæ exules Frisii Hollandique morabantur, quique ipsorum causæ non nollent, indignitate rei vehementer commoveri: Videre enim erat, circiter

sexa-

ſexaginta omne genus mercimoniis, non ſolum Embdanas, verùm etiam aliarum Civitatum, onuſtas naves, Embdam Embdâque navigantes, circa Michaëlis armatam Claſſem conglobatas atque exarmatas, indies detineri; non lapides, imò ne cereviſiam quidem, neque ceſpites ad focum ignemque urbis quotidianum domeſticumque Civium uſum, neceſſaria & quotidie importari ſolita, ad urbem permittebantur. Fremebant ergo cuncti, tum ſummi tum infimi, non ſolum Oppidani, verum etiam Friſiæ Orientalis univerſi, querentes iſtam indignam ac inopinatam vim atque injuriam, intolerabilem eſſe vicinorum. Neque Comitem, neque civitatem Embdanam, de ipſis, quibus ſuperioribus annis liberale & Chriſtianum hoſpitium præbuiſſent, quorumque cognati & conterranei complures etiam nunc apud Embdanos honeſto loco lautiſque rebus eſſent, quicquam tale eſſe commeritos; Maturo ergo conſilio & facto opus eſſe, ne tam multæ magnæque naves & opes Reipublicę eriperentur, Civitaſque omni commeatu & præſidio intercluſa ac ſpoliata, omnium rerum inopiâ laboraret, neque deinceps & inpoſterum vicinorum rapinis atque injuriis eſſet expoſita: præſertim cùm autumnalibus illis diebus, ſæviſſimorum ventorum

procellis ac tempestate in rapidissimo Amasi fluvio, graves onerariæque naves, facilè prosterni, frumentaque & mercimonia, vel omninò perire, vel adeo resultante salo, corrumpi soleant, ut deinceps mortalium usui esse non possent. Quamobrem primores cives, in Curiam ad Concilium vocati à Senatu, censuêre vim istam atque injuriam tanquam hostilem obsidionem non ferendam, sed omnibus modis esse propulsandam, Senatus opem consiliumque implorantes, ac petentes ut re cum Edzardo Comite communicatâ, in tempore remedium adhiberetur. Veruntamen ut ratione priùs ac consilio quam armatâ manu contra vicinos Frisios, hactenus amicos, res ageretur, videri consultum, ut quàm primum legatio ad Frisiorum Ordines, questum, & detentas naves resque repetitum, mitteretur: siquidem ita Comiti Senatuique placeret. Eorum enim arbitrio, se omnem rem committere, facturosque quod vellent quodque juberent. Edzardus autem Comes ratus id quod erat, si legatione mittenda tempus tereretur, Frisicam Classem Embdanas onerarias naves ablaturam, octo Embdæ naves armari pararique imperat, quarum præfectus navalis erat, Admiralium vocant, Wilhelmus Borsumanus, homo

homo rei navalis peritissimus, & in Hispaniensi navigatione multum diuque versatus; erat illi secundus quidam Quirinus Michaëlis, præcipiti temeritate, vir sævus & turbulentus. Hi cum sociis classiariisque militibus ac nautis, procurante Senatu, quatuordecim dierum spatio, ita Embdanam Classem instructam habuêre, ut jam in Frisios educenda esset. Tum rumor affertur, illos Embdensium aliasque omnes detentas naves, secum ab Amasi devexisse. Itaque Comes ex tempore consilium capiens, Paulinum versus Frisiam occiduam, cum mandatis ad Comitem Guilelmum Nassovium Præsidem atque Ordines Provinciæ mittendum statuit, eique ut se illicò accingat itineri, per Senatum annunciari jubet. Ille inopinato Comitis mandato motus, cùm antea nihil de instituta legatione cognovisset ac planè imparatus esset, ad Comitem properat, orans ut in hoc tempore, ubi ad pugnam adversariæ armatæ Classes paratæque starent, se excusatum haberet. Comite verò negotium urgente & bonæ fidei literas mandataque tradente, Paulinus paucis horis post, cum duobus comitibus iter suscipit; erat is dies vigesimus secundus Octobris. In itinere reperit Classem Frisicam, cum Embdanis cœterisque retentis

navibus versus Amasis ostium movisse, ibique secundum ventum in Frisiam, ad anchoras stantem, præstolari, quo in loco & ipse appellavit & per alium appellari curavit duos Hollandos navarchos, rogans ecquid bellicæ societatis ipsis Hollandisque cum Frisiis occiduis esset, adversus Embdanos. Illi verò constanter negare, sanctéque affirmare, se nullum ad vim hostilem Embdanis inferendam mandatum habere; Frisiorumque Classiarios ab incœpto & malè sano consilio absterruisse, serióque monuisse, ut sibi ab Embdensi instructissimâ classe caverent; Agerent Frisii suo Marte, suo arbitratu, brevi sensuros, quantum Embdanæ naves militesque, occiduis Frisiis tum robore tum rei navalis peritiâ & virtute prævalerent. Itaque liquidò apparebat, quod dudum & rumore percrebuerat, & ex rescripto à Michaële Hagio prolato, divulgatum erat, solos occiduos Frisios hanc tragœdiam contra Embdanos movere. Paulinus cum suis progressus, in Frisiam appulit, & ad vigesimum octavum diem Ordines Frisiæ, in antiquo mediterraneo Frisiorum Oppido Franicæ, congregatos reperit, Comitem autem Guilelmum Nassovium non reperit. Erat autem præter cætera præfecto navali Embdensi injunctum, ut non

nisi

nisi lacessitus pugnaret, tantumque satageret in conservandis retinendisque ad Amasim Embdanis onerariis navibus, & mercimoniis, durante præsertim legatione, ex qua meliora à Frisiis sperabantur, ne ullam belli occasionem Embdani Frisiis præbuisse viderentur; quemadmodum quoque, ut postea est compertum, Frisii suis edixerant, in Embdanam Classem priores vim ne facerent.

Paulinus itaque in Concilium Ordinum introductus, literis bonæ fidei traditis, in hunc fermè modum est locutus; Scire illos, Edzardum Orientis Comitem, superioribus annis, tum per legatos tum per literas, ipsorum & Hollandorum militum classiariorumque rapinas, vim atque injuriam, quam per Amasim, sacri Romani Imperii atque Edzardi Comitis fluvium, adversus ejusdem Imperiique subditos & cives Embdanos, crudeliter exercuissent prolixè exposuisse, atque etiam graviter ea de re conquestum esse, benignèque monuisse, ut veterem conjunctionem viciniratis & amicitiæ recordantes, aliquando tandem medicinam facerent, quo Imperii Comitisque subditi liberè, ultrò citróque navigare & tutò negotiari jure gentium possent; Comitem enim, ut veterem amicum & vicinum, nihil vel hostile vel

adversum contra Frisios & Hollandos eorumque fœderatos habere, neque etiam caussam in se odii indignationis-ve ullam dedisse, sed semper sese medium ac neutram in partem inclinantem, ut fidelem sacri Imperii clientem & Comitem deceat, hoc tot per annos misero fatalique vicino bello, gessisse; quemadmodum illud suum honestum consilium, Cæsari totique Imperio aliisque Ordinibus universis, constanter sit probaturus.

Neque verò, inquit, vobis excidisse existimo, quid superiori anno, ex mandato Cæsaris, primores aliquot Germaniæ Principes, qui Saxonici circuli Ordines convocandi potestatem habent, per legatum exhibito edicto Cæsareo, vobis annunciari mandarique jusserunt: Quanquam autem tum certò promisistis spatio quatuordecim vel ad summum undeviginti dierum id vos scripto responsuros, quod universis Christiani nominis Principibus ac Ordinibus essetis probaturi, Comesque sperarat, vos re ipsâ aliquando tandem verbis fidem facturos, ut rebus pessimis medicinam facientes, tot innocentium hominum, orphanorum, ac viduarum, qui præter jus fasque infinitis modis à vestris affliguntur, quorum gemitus ac singultus ad præpotentem Deum in

cœlos

cœlos penetrant, rationem fuissetis habituri: tamen hactenus à vobis nihil est præstitum; imò omnia indies in deterius abierunt; eoque nunc vestrorum militum Classiariorumque maleficia atque injuriæ excreverunt, ut jam nulla navis cum mercibus, qualiscunque illa sit, undecunque etiam venerit, Embdam Embdâque navigare, ire, redire-ve permittatur; nemo civium extra portam urbis tutò commeare vel exspatiari possit; ea enim urbis Embdæ Orientalisque Frisiæ infestatio, quam Michaël Hagius, vestræ classis Præfectus, sociique ex castro Oterdum impunè exercent, hostilis planè obsidionis, non amicæ vicinitatis speciem præ se ferunt. Quibus de causis motus Edzardus Comes, superioribus hoc ipso mense diebus, me aliosque spectatos viros, ad Hagium semel atque iterum cum mandatis misit, petitum ut magnum numerum onerariarum navium, omninò ad sexaginta, quas frumento, panno, cerevisiâ, bysso, variique generis mercibus plenas, Embdamque contendentes, ipso in cursu retinuerat, incunctanter dimitteret; ille verò nullis rationibus permoveri potuit, ut vel unum dimitteret celpitarium navigium, quo materia foco cocoque ad parandum victum civibus nostris esset; respondens, ostensis ve-

ſtris literis id ſibi non licere, quibus pro fide Sacramenti ſibi parendum exiſtimet, ideoque ab incepto non poſſe deſiſtere: orare autem ut miſſâ legatione, res apud vos ipſos agatur: Quod quidem ejus reſponſum, Illuſtri Comiti populoque Embdano, præter opinionem accidit. Neque enim rationi conſentaneum, neque veſtræ æquitati proprium putabant, vos homines literatos, pacis ac tranquillitatis amantes, uſque adeò humanitatis oblitos, ut repentè, abſque ulla vel denunciatione belli, vel ſignificatione voluntatis, ex benevolis inimici, ex amicis & vicinis adverſarii ac hoſtes eſſe velitis, bellum quam pacem contra immerentes malletis. Hæc, inquam, Comes ſibi de vobis perſuadere non poteſt. Itaque cum animadvertat, ſuos tamen contra jus falque præter Sacras imperii leges ac decreta, præter Aurantii Principis ac Hollandorum quondam edita juſſa ac mandata, quibus mandatis Romani Imperii clientes ac ſubditi, in queis Embdani ſunt, diſertè hoſtium numero eximuntur, tutique ut ſint edicuntur, crudeliter concuti, ac divexari. Venio ad vos Edzardi Comitis, Orientis Friſiæ Domini mei Clementis, Legatus, vobiſcum de re tota communicaturus, & acturus de veſtrorum

vi atque

vi atque injuria, vehementer petens, ut quoniam Guilelmus Naſſovius Comes, Provinciæ Præſes, ad quem etiam mea dirigebatur legatio, domi non eſt, vos Proceres Friſiæ, pro ſingulari veſtrâ prudentiâ atque æquitate, cum veteris vicinitatis ac amicitiæ, tum mutuorum contractuum & voluntatum conjunctionis, quæ poſt hominum memoriam, inter orientes atque occiduos Friſios ſemper fuit, rationem habeatis, & rebus gerendis moderationem adhibeatis; vim igitur iſtam injuſtam, rapinas & maleficia veſtrorum, quæ terrâ marique per Friſiam Orientalem, adverſus innoxios homines, cives Embdanos alioſque Imperii ſubditos, indeſinenter exercent, compeſcite, naves merceſque noſtras, injuſtè à veſtris detentas, dimittite, pacem & amicitiam priſtinam conſervate, tranquillitatem & concordiam ſpectate; in memoriam revocate, quot per annos vobis veſtriſque hominibus religionis ergò domo profugis, Embdæ commorantibus, liberale & Chriſtianum hoſpitium, ab Edzardi Comitis majoribus, magno veſtrorum emolumento atque commodo ſit præſtitum atque etiam nunc præſtetur: Vetera præſtita beneficia recordamini. Neque dubitate, Comitem Embdamque urbem, in eadem vobiſcum amicitia concordiaque manſu-

mansuros, nulla vestris hostibus auxilia laturos vel commodaturos, sed quemadmodum ab initio miseri hujus fatalisque belli, semper factitatum, ita deinceps neutram in partem, ut fideles Imperii subditos decet, inclinaturos esse. Neque verò, hac vestrâ in Amasim emissâ Classe, tàm Groningam hostem vestram, quàm Embdam amicam, ut videri vultis, civitatem obsidetis. Illa enim civitas, majori annonæ copiâ quam ista præstat in hoc tempore, omniaque quæ ad victus rationem pertinent, illîc ferè parabiliora minorisque sunt pretii; patent enim itinera terrestria omninò duo, quibus itineribus maximè commodis, solo arenoso & stabili, Oldenburgo per Cloppenburgum Hesum & Burtanguam, terram Monasteriensis ditionis, & Bremâ versus Dolmenhorstium, Lingiam & Coverdiam, arces Drentiæ & vicinarum terrarum, siligo, triticum, hordeum, sal, vinum, aliáque mercimonia facilè Groningam importantur; butyrumque & caseus similisque illîc natalis annona, magnâ copiâ, vel præsenti divendita pecuniâ, vel aliis mercimoniis permutata, indies rursum per totam æstatem ac autumnum, carris vehiculisque exportantur; atque hæc itinera ita sita sunt, ut etiam quæ merces Hamburgi sunt,

ſunt, facili trajectu Oldeburgum vicinaque in loca perferri poſſint. Illud verò permirum accidit, tantâ vi atque atrocitate Embdanos à veſtris hominibus urgeri atque vexari, ſi fortè noſtrorum aliquis tenuis nauta, his difficilibus temporibus, ubi omiſſis propemodum navigatio noſtris penitùs erepta eſt, ad alendam miſeram familiam, honeſtè victum quærendo, aliquot tonnas ſiliginis ſaliſve in vicinum agrum Groningenſem, vitæ ſuæ, fortunarumque periculo, vel connniventibus vel ſtertentibus veſtris Claſſiariis, clam naviculâ ſubvehat; quod, quemadmodum alii Imperii ſubditi etiam ſuo periculo faciunt, ita Edzardus Comes pro ſua quâ Imperio obligatus eſt fide, ſuis ſibi neque mandandum neque prohibendum exiſtimat. Quin iidem veſtri homines, Hollandi, Zelandi, aliique fœderatarum Provinciarum celebres mercatores, palam, & profeſſis veſtris hoſtibus, in Hiſpaniarum Regna, magnum numerum frumentariarum navium cum omnis generis commeatu ſingulis annis tranſmittunt, & inteſtinis ac vicinis obſeſſis hoſtibus, ut vocant malecontentis, variæ annonæ copiâ rebuſque ad bellum neceſſariis, abſque pudore & impunè commodant, cum iis liberè contrahunt, eos undique juvant ac promovent.

movent. Id enim ita est vulgatum, ut negari non possit; ita cognitum universis, ut probatione non egeat. Jam verò Edzardus Comes, aliquot paucas naves ex Cæsaris Imperiique mandato hisce diebus instructas habet, non ad bellum vobis inferendum, vel hostibus vestris auxiliandum; quemadmodum falsis malevolorum rumoribus sparsum est, sed ut suorum navibus ac mercatoribus, in suo Imperiique fluvio, tutam securamque navigationem, utrinque præstet, & injustè detentas naves mercesque, quæ aliquot centenum aureorum millium pretium excedunt, liberet ac tueatur. Quemadmodum cunctos in Magistratu constitutos, pro excelsi muneris dignitate, suis tenentur facere, Edzardoque comiti imprimis imcumbit, ad jus suum in Amasim fluvium suo Imperiique nomine præclarè defendendum; ut sanè hoc institutum armandæ Classis, legitimæ defensionis, non autem præcipitis violentiæ, consilium fuisse videatur, quemadmodum & ex mandati tabulis, administrandæ expeditioni Præfecto Embdanæ Classis, traditis, & ex re ipsa, manifestum est. Etsi enim nostri vestris, Classe viribusque prævalerent, & primo conflictu, haud dubiè superiores facti, sua facilè recuperare potuissent, tamen missâ legatione, cau-

ne, causam ratione & consilio potiùs quam vi atque armis expedire maluerunt. Ut pacem magis quàm bellum quæsivisse videamur. Pacis enim causâ, ut eam retineamus, arma sumuntur, & ut ad eandem revertamur, eadem arma deponuntur. Itaque & nostri sunt parati arma deponere, siquidem arma vocanda sunt, classemque revocari, simulatque vos nostras naves mercesque dimissuros, amicosque deinceps futuros, intellexerint. Quæ cùm ita sint, vestraque navalis expeditio, ad bellum hostiliter amicis inferendum, nostra autem Classis ad vim atque injuriam legitimè propulsandam resque nostras repetendas, instructa sit & parata, iterum rogo, ut pro vestra humanitate atque æquitate, istam vestrorum vim atque injuriam, vexationes atque rapinas, quas terrâ marique in nostros petulanter exercent, prohibeatis, nostrorum Civium detentas naves ac facultates restituere jubeatis, ut res ad pristinam amicitiam benevolentiamque redeat, neque occasio detur majoribus motibus atque dissidiis. Quæ quidem res non solùm utrique Frisiorum provinciæ, benè prosperèque & feliciter eveniet, verùm etiam ad vestrum nomen atque existimationem, apud alios Christiani nominis Principes ac Ordines magnoperè perti-

rè pertinebit, Edzardi etiam Comitis Embdæque urbis honesta officia erga vos vestrosque Proceres rursum constabunt. Cùm Paulinus dicendi finem fecisset, responsum est à Concilio orationem ejus attentè auditam; quoniam autem res sit magni momenti, rem in deliberationem sumpturos, petere ut ille paucorum dierum moram patiatur. Biduo post, qui dies fuit trigesimus Octobris, rumor increbuit, Onnonem ab Eusum, unum ex Frisiis occiduis, duarum navium Præfectum, qui propter generis nobilitatem, & præferocem audaciam, apud suos pergratus acceptusque erat, præter fidem datam, à Quirino Michaëlis, qui secundas in Embdana Classe, ut diximus, partes tenebat, captum esse; Etsi autem fama initio incerta fuit, ut non temerè cuivis fidem faceret, tamen paucis post diebus, aliis super aliis allatis nunciis atque literis, ita accrevit, ut nemo jam dubitare inciperet, præsertim cùm pro certo adderetur, Eusumanum vinctum Embdam devectum teterrimumque in carcerem conjectum esse.

Ad primum verò rumorem, Ordines Paulinum accersiverunt, eique facinoris atrocitatem multis verbis narraverunt, voce atque vultu animorum offensiones non obscurè osten-

ostendentes, atque exprobrantes, quod prętet datam & acceptam fidem contra jus gentium, suorum præfectus non infimus, captus ac miserrimè detentus esset; Embdanorum studia ac voluntates nunc patere, qui sub specie pacis insano conatu bellum quærerent, & honesto prætextu legationis hostilia dissidia occultis consiliis molirentur, quæ quidem consilia in ipsorum capita tandem essent recasura. Itaque omnem reconciliationis spem, quam paulò ante de aliquot Embdanis dimittendis navibus mercibusque dederant, præciderunt, & dira minitando Paulinum Oppido excedere vetuerunt, suaque in potestate hærere voluerunt, quoad Eusumanus salvus ac illæsus in Frisiam sibi suisque esset restitutus. Paulinus verò rei inscius, partim negare factum, partim excusare; Eusumani ferociam & truculentiam demonstrare; Embdanorum antiquam fidem, constantiam & gravitatem prædicare; petere ne vanis hominibus ad quidlibet confingendum natis & rerum novarum cupidis leviter fidem habeant, sed ipsius Edzardi Comitis atque Embdanorum literas expectent, neque ex affectibus sed ex vero deliberatoque rem ponderent ac dijudicent; se domo profectum bonâ fide in Frisiam legatum venisse, nihil de Eusumano qui tunc nec

dum Amasim navigasset, audivisse; legationem sinceré bonâque fide jussa sui Domini Edzardi Comitis ad pacem tranquillitatemque utrique Provinciæ conciliandam obivisse; eò omnia sua consilia direxisse & deinceps esse directurum. Cogitarent pro sua prudentia legatos jure gentium esse liberos, sanctos atque inviolabiles, præsertim innocentes, qui nihil præter suorum Dominorum mandata jussaque peragerent: Itaque rogare ut honestissimæ legationi suæ fidem adhibeant, neque quicquam vel sinistrè suspicari, vel etiam temerè in se suosque tentare velint. Illis verò contra rem suam peracerbè agere, urgereque vehementer, primùm ut stipulatâ, inde ut subscriptâ manu, scripto ab ipsis conceptis verbis prolato, istam detentionem Paulinus spondeat; quod cùm ille constanter recusaret, & palam testaretur, nihil nisi salvo jure ac dignitate Edzardi sui Comitis omninò facturum, tertio Novembris die illi aliquot armatorum sclopetariorum militum custodia in diversorio à latere ponitur, simulque domo exire severè prohibetur.

Erat autem eo major Frisiorum in Embdanos ira atque indignatio, quod superioribus diebus, coortâ sevissimâ tempestate, quâ etiam

aliquot

aliquot ędificia in Frisia quassata conciderunt, ipsorum Classis esset disjecta & perturbata, & pleræque Embdanæ mercatoriæ naves elapsæ, partim ad armatam Classem Embdanam, partim ad ipsam urbem salvæ sospitesque evadentes. Frisiorum etiam summa navis, quam Ammiraliam vocant, aliaque minor, saxis littorique contusæ planè perierant, vectoribus atque classiariis vix ægrè scaphâ conservatis. Erant omninò Frisiorum armatæ naves septem quas Pollas vocant, minoris magnitudinis, ita exædificatæ, ut vadosos fluvios navigantes, huc illuc sine molestia prout res ferebant inoffensè velificare & sese ad pugnam facili motu expedire possent, quæ ante coortam tempestatem in sinu Borckumano, ad septentriones adversum Embdanam Classem in acie expeditæ consistebant, & Embdanas mercatorias naves ponè se continebant; Embdanæ autem Classis, ad meridiem tunc temporis ad anchoras stantis, erant naves octo armis virisque instructissimæ, robore ac magnitudine Frisicis etiam præstantiores, quarum præfecti ac milites promptissimis animis ac studiis pugnam in singulas horas, ad vim injustam propulsandam, suas suorumque civium naves ac facultates, quę erant in conspectu, repetendas expetebant; neque dubitabatur, quin si

res ad conflictum devenisset, longè superiores Embdani futuri fuissent. Distabant autem fermè ambæ Classes tormenti trajectu, ambabusque à suis Magistratibusque disertè erat injunctum, ut non nisi lacessitę dimicarent: Embdanorum autem pręfectus Guilhelmus in mandatis habebat tunc demum Frisiorum Classem esse invadendam, cùm illi Embdanas mercatorias naves atque opes, asportare conarentur. Quod quidem illi naviter facere voluerunt, nisi Boreas ventus planè adversum, ut Amasis ostio egredi non possent, aliquot diebus spiravisset, & Paulinus legatus in Frisiam ilicò profectus esset; singulari certè Dei Opt. Max. benignitate, quâ cruentum funestumque quod inter duos vicinos & ejusdem gentis populos, mutuis affinitatum vinculis beneficiisque antiquitùs obligatos, instabat certamen omninò fuit declinatum.

Cùm enim armatæ infestæque Classes in omne momentum intentæ in propinquo starent, certò duces cognoverunt, Edzardum Comitem legatum ad Frisiorum Proceres rei componendæ causâ misisse: itaque Frisii classiarii consilio Navarchorum indicto, cùm hyberno tempore etiam commeatu inciperent laborare, & nihil certi de Embdanorum instituto

ſtituto ac mandatis adverſum ſe decretis comperiſſent, Michaëlem Hagium & Onnonem Euſumanum internuncios ex communi decreto, ad Embdanorum Ammiralium mittunt; illi acceptâ datâque fide in colloquium admiſſi, præter cœtera quid in mandatis noſtri haberent, quæſiverunt, eorumque ſummam ſibi ſcripto communicari petiverunt; quod cùm Embdani facere recuſarent, referentes id ab Edzardo Comite cujus auſpiciis militarent petendum eſſe, tandem ultrò citròque verbis commutatis utrinque conventum eſt, quieſcendum deinceps eſſe ab ulteriori motu, durante legatione, neque quicquam hoſtiliter in alterutram partem tentandum, niſi legato Paulino ex Friſia reverſo (per quem ſpes non dubia erat, omnia compoſitum iri, niſi Euſumani captivitas poſtea incidiſſet,) ab utriuſque partis Magiſtratu, ulteriora mandata perferrentur. Itaque amicè ſoluto colloquio internuncii liberè ad ſuos redierunt. Triduo poſt, illa quam modo memoravimus tempeſtas ingruit, diſſipatâ quodammodo Friſiorum Claſſe, & illâ indies magis commeatu laborante; cujus quidem commeatus ex Friſia impetrandi, hybernis iſtis turbidiſque diebus ſpes nulla erat. Itaque recollectis navibus, denuo Embdanos & de commeatu & de aliquot interceptis

ſuis claſſiariis, amicè appellandos Friſii cenſuerunt. Etſi autem alii alios internuncios deſtinaverant, & Euſumanum ſe ultrò offerentem, ſeriò erant dehortati, proptereaquodcùm antea Embdanos graviter offendiſſet, eorumque carcerem effregiſſet, non temerè ipſi metuerent, tamen urgentem volentemque proficiſci permiſerunt. Is igitur ſcapham conſcendens ad Embdanam prætoriam navim properat; cujus in conſpectum cùm veniſſet, ſemel atque iterum ſignum tubâ dato, liceretne accedere, ipſe acclamavit, militari fide habere ſe in mandatis, quæ cum Ammiralio communicaret; cumque reclamatum ab Embdanis eſſet, fidenter accederet, afferret quæ haberet, promeretque mandata, fidem præſtandam, adſcendit, & aliquantiſper cum Ammiralio Guilhelmo de communibus rebus eſt collocutus. Colloquentibus ſupervenit Quirinus Michaëlis; is paucis verbis cum Ammiralio cœteriſque præfectis ſolis habitis, Euſumanum paulò poſt ſuam in ſcapham recedere volentem retinuit, jubens ibidem remanere. Ille verò perturbatus, ſuſpicans id quod erat, an me, inquit, captivum, præter datam & acceptam fidem, communis cauſę internuncium hîc vultis iniquiſſimè retinere? Videte quid agatis, quid vobis veſtriſque patretis.

Quirinus

Quirinus verò propiùs accedens, gladium quem à latere gestabat, Eusumano demens, quantumvis renitentem reclamantemque ad suam navim, connivente Amiralio pertraxit, & captivum aliquot diebus continuit, Embdamque devexit. Hac de re postea disceptatione ortâ, aliis Eusumanum aliis Embdanos incusantibus, à multis responsum est, eum jure captum videri, propterea quod ipse antea contra pactum conventum, ut neutram in partem durante in Frisiam legatione, ab utrâque Classe quicquam moveretur, Embdanas mercatorias naves vi ac tormentis hostiliter invasisset; Quod ex Frisia Orientali oriundus, in qua parentum propinquorumque possessiones haberet, tamen contra natale solum, contra Penates, adversus Comitem Frisiæ, legitimum suum Magistratum ac Dominum, impiè militaret, quo vel unico facto divina atque humana jura violasset; Quod conterraneos Frisios, gentiles suos hominesque plerosque innoxios, inter utramque Frisiam negotiantes, variis modis vexaret, & subinde diurnis nocturnisque impressionibus in patriam factis, quos vellet, quosque luberet, ex stratis domibusque suis violenter abstraheret, immaniterque tractaret; quorum alii in squalore & vinculis putrefacti mem-

cti membris mutilati sint, alii cum valetudine diu conflictati miseram animam exhalarint; Quod testimonia commeatus ab Amsterodamensibus Hollandisque aliquot Embdanis navibus mercatoribusque benignè concessa, ipse intolerabili ferociâ discerpserit ac violârit, mercesque proscripserit; Quod internuncius in prætoria Embdanorum navi, Magistratum Embdanum variis dicteriis ac minis impetiverit, & magis hostis, quam internuncii personam sustinuerit; Quod omnium ordinum homines summos infimosque variis modis offenderit; Quod superiori anno carcerem Embdę effregisset; Denique quod nunc iterum captus se Comitis Orient. Frisiæ ut legitimi Magistratus judicio subjecerit, stiturumque cuilibet accusanti spoponderit. Alii tamen prudentiores contra disceptabant, asserentes, cùm data ei neque tamen servata esset fides, non immeritò quantumvis culpandum, injustè captum esse. Ille verò Embdam captivus sub crepusculum introductus, tantam ferè omnium hominum odium atque invidiam suo conspectu memoriâque excitavit, ut vix à Magistratu defendi potuerit, propèque abfuerit, quin à nautarum turba lapidibus obrueretur. Interea propter hanc Eusumani captivitatem, non solum Paulinus

in Frisia

in Frisia cum suis ut dictum est detinetur, verùm etiam omnes Embdani Cives Frisiæque Orientalis subditi, & viri & fœminæ, quod sanè est barbarum & inauditum, eorumque illîc repertæ naves ac mercimonia injectâ manu retinentur: unde & commoti Embdani deinde occiduos Frisios viros navesque publico edicto detinuerunt: Quorum tamen plerique fluxâ fide, injussi decesserunt. Et quanquam Edzardus Comes Embdanusque Senatus, frequentibus literis gravissimas causas Eusumanæ detentionis non solum ad Occiduæ Frisiæ Proceres, Guilelmumque Nassövium, verùm etiam ad Hollandiæ Zeelandiæque Ordines universos, postremò etiam ad Robertum Comitem Licestrium, tunc auspiciis Angliæ Reginæ Fœderatarum Provinciarum administrationem in Belgio capessentem, luculenter exponerent, petentes ut causam à causa, hominem ab homine, consideratis circumstantiis distinguendo, rem accuratè pensitarent, jus gentium & legatos ne violarent, idemque Paulinus ipse tum voce tum scriptis animos sollicitaret, tamen actum nihil fuit; Quin potiùs, nullâ nec æquitatis nec juris ratione habitâ, eum per totum semestre, diuturnâ molestissimâque custodiâ, in ignominiam sui Comitis, insigni sua cum injuria

atque detrimento, tanquam vinctum Franicæ detinuerunt, neque animi recreandi auræve captandæ causâ, adversâ valetudine laborantem, domo exire permiserunt. Imo verò etiam tetrum in carcerem (ita istos Eusumani carcer urebat) conjicere voluerunt, nisi Clarorum virorum, qui propter eruditam doctrinam & innocentiam Paulinum amabant, intercessione, & Eusumani liberiori custodiâ (fuit enim postea Embdæ in paternas ædes intromissus:) res fuisset mitigata.

Eusumanus autem suâ indomitâ contumaciâ & ferociâ, quam etiam in vinculis exercebat, omnium animos in se exasperans, & diuturnioris suæ custodiæ, & Paulini arctioris detentionis causam dedit; præsertim ubi iterum carcerem violenter effregit, & denuò in fuga, nudus rigensque comprehensus, cum ipsa in bruma, per densam glaciem, in qua perfringenda aliquot horis desperabundus luctabatur, aliaque vitæ discrimina, vix ægrè mirabiliter evasisset, nihil de solita ferocia remitteret, sed atrociter minaciterque loqueretur, neque postea vindictæ privatæ vellet renunciare, quod alioquin Principes viri in simili fortuna positi honestè facere consueverunt.

runt. Ille veró, iis laboribus, attritis luxatisque membris, & pœnè exanimis, fermè lethalem morbum contraxit, & constantem de morte sua famam, cùm in ipsa urbe Embdae, tùm passim in Frisia occidua concitavit. Quâ famâ Frisii Hollandique moti, Paulino etiam extrema quęque & ipsam mortem acerbissimè minitati sunt: Tandem itaq; Edzardus Comes misertus sui legati Paulini, ejusque cognationis & amicorum precibus fatigatus, cùm omnem de eo liberando movisset lapidem, animadverteret autem nullam spem liberandi ejus nisi in Onnonis Eusumani dimissione positam, Onnonem jam diu valetudini restitutum, tandem etiam libertati restituit, remisso illi juramento, quod præstare pertinaciter recusabat, de non vindicando; præservato tamen jure suæ in eum imposterum exercendæ potestatis: prudenter considerans, non quid ille meritus esset, sed quid se suamque dignitatem deceret, quidque Paulini res causaque postularet. Fuit id ad Kalendas Aprilis, cùm Onno jam ante Uldricum fratrem, pro restituendo Paulino vadem constituisset. Quamobrem paulo post, & Paulinus à Guilelmo Nassovio Ordinibusque Frisiæ dimissus, cum honorifico suæ innocentiæ & virtutis testimonio salvus sospesque in patriam est reversus,

ſus, jam antea ſubditis mercatoriiſque navibus qui quæque hactenus erant detenti, utrinque dimiſſis domumque reverſis. Porrò Onnone primum ab Embdanis capto, cùm Friſii Occidui, nec navibus nec commeatu nec ducibus ſe ſatis inſtructos contra Embdanos viderent, plerique relictis Embdanis tàm mercatoriis quàm Claſſiariis navibus, loco ceſſerunt, Amaſimque fluvium Embdanis vacuum reliquerunt; qui ipſorum diſceſſus fugæ ſimilis apud Hollandos vicinoſque populos, magno poſtea iis ludibrio atque ignominiæ fuit, Embdanis verò ceſſit laudi & gloriæ.

Decimo ſeptimo Jannuarii die, anno M.D. LXXXII. Groningenſes milites, qui Duce Franciſco Verdugio Hiſpaniarum Regi ſtipendia faciunt, irruptione factâ, bonam Friſiæ partem, rigente brumâ, depopulantur, magnum numerum hominum captivorum, qui ad mille quingentos fuiſſe dicuntur, & pecoris ex præcipuis pagis abducunt, in omnem ſexum & ætatem, ne pueris quidem nec infantibus exceptis, ferro ignique libidinibus & cædibus, barbaricè ſupra quam narrari poteſt, deſæviunt; & niſi mutatio aëris geluque remiſſio quatriduo poſt interveniſſet, qua in aquoſa lutoſaque regione & foſſis aggeribuſque

busque conscissa, hybernis diebus difficillimum iter est, omnem profectò Frisiam præter Oppida devastassent. Accidebat hæc clades Frisiis improvisa,ut plerumque fieri consuevit: absente enim Wilhelmo Nassovio Præside, parum de vicino hoste veterano milite Ordines cogitabant. Etsi enim Johanni Baptistæ Taxio Italo rei militaris peritissimo præfecto, cum duobus millibus quingentisque peditibus & sexcentis equitibus irrumpenti, Stenonem Matthiæ Danum, virum strenuum, cum exercitu mille septingentorum circiter peditum & paucis equitibus opponerent, qui illum huc illuc per agros volitantem insectando populationibus prohiberet, tamen Steno paucis diebus ad Buxum pagum, quatuor circiter millibus passuum Leowardiâ distantem, numero & virtute; deficiente equitatu victus est. Cæsi sunt Frisiorum milites circiter octingenti,vulnerati plurimi,aliquot Centuriones etiam desiderati & capti; quamvis victoria etiam hosti non incruenta fuit, cùm & ultra trecentos milites desideraverint, & aliquot Centuriones, viros impigros, in queîs & Oswaldus Comes Bergensis fuit, magno cum dolore amiserint. Steno verò diu ipse fortiter de loco superiore pugnans, cum profligatâ acie in turrim evasisset, neque diu-

tiùs hostem, qui ignem tecto injiceret, posset sustinere, tandem se Taxio, fidem pollicenti salvum fore, dedere est coactus. Prudentissimi quique in Frisia jam ante apud Ordines consuluerant, operam dandam esse majori equitatui, qui feroci hosti audacter opponi posset; sed frustra idem & Steno cœterique præfecti & sæpè antea & imprimis tum cùm in hostem progrediendum, querebantur. Equites enim vix quinquaginta in universum habebant. Quin etiam inconsultò, raritatem militum, rusticorum manu Ordinum Imperio supplere & quasi interpolare cogebantur; Qui rustici primo impetu disjectis ab hoste carrorum, quibus tanquam vallo nitebantur, munimentis, perturbati, initium fugæ fecerunt. Universa certè Ordinum administratio, plerisque inepta & molesta fuit, ideoque & paulo post ferè omnes exceptis duobus Magistratu sunt abdicati.

Ajunt prędam ex Frisia rapinis, captivorumque pretiis in universum computatis, supra octies centena aureorum millia excrevisse, rationibus ex duobus amplis & pecuniosissimis Pagis, Coudum & Molquetum, sumptis, quorum singuli centenum aureorum millium damnum fecissent. Erat hæc vindicta divina

in istum

in istum populum manifesta, qui reformatæ religionis titulo sese venditantes, tam in Oppidis quam in pagis rari, plerique etiam nunquam, sacras Conciones adeunt, variis opinionibus & doctrinæ generibus divisi, unde & magna vitæ licentia, & contemptus verbi Dei, templa vacua auditoribus relinquentes, exiguum dant Christianæ vitæ pietatisque testimonium. Taxius Stenoni Groningam devecto, & ad Verdugium producto, egregiè fidem servavit; & quanquam initio sex millium aureorum summam in redemptionem postulabant, tamen fortè allatis ad Stenonem literis à Frederico Daniæ Rege, nihildum quidem hac de re cogitante, sed ipsum quam primùm in Daniam patriam revocante, sine pretio liberum muneribusque donatum insigni liberalitate in Regis honorem dimiserunt. Quod quidem eorum singulare officium, Stenone in Daniam reverso, Rex egregiis muneribus Groningam transmissis prçclarè compensasse dicitur. Onno ab Eusum custodiâ emissus, non diu Embdæ cunctandum ratus, sequenti nocte in vicum Lyrum profectus est; illîc cùm aliquot subditorum domos pervagatus esset, Lyranum quendam incolam, virum bonum, intempestâ nocte de lecto raptum secum abduxit, & postridiè honestum civem

civem Embdanum Ailardum Alma, non procul urbe sibi obvium factum, neque quicquam mali suspicantem, ex ripa sustulit, ambosque in Frisiam vinctos tanquam suæ victoriæ virtutisque trophæa deportari curavit. Etsi autem Guilelmus Comes Frisiique hæc ejus facinora minimè probârunt, captivosque illos, ut homines innoxios, & Orientis Frisiæ subditos, sollicitante Paulino adhuc in Frisia commorante, paulo post dimiserunt, tamen in odium Embdanorum ei denuò navim bellicam militibus benè instructam per Amasim commiserunt; quâ ille rursus navi animatus ad ingenium rediit, & huc illuc, tum aquâ tum terrâ, cum suis vagabundus, multis incommodat & terrorem affert. Itaque cum quatuordecim circiter diebus navi rursum præfuisset, & cognovisset per terram Monasteriensem quosdam moliri mercimoniorum transportationem in Groninganum agrum, eum conatum ut disturbaret, cum triginta septem suis classiariis militibus, Wenerum, Orientis pagum, qui pagus est in confinio ditionis Monasteriensis & Majorum Paulini patria, petit; ipse cum quinque comitibus præcedit, reliqui à tergo sequuntur. Sub vesperam accedens, ubi pagum intrare voluit, à Centurione Johanne Holthusio, qui cum ali-
quot

quot militibus, auſpiciis Johannis Friſię Orientalis Comitis, illîc erat in præſidio, eſt prohibitus: ibi commutatis verbis ultrò citròque, cùm Euſumanus indignabundus cauſam ſuæ excluſionis quæreret, alter reſponderet, cuſtodiam ejus pagi ſibi ſuoque præſidio à Comite eſſe demandatam, neque velle ipſum vel quemcunque alium armatum intromittere, rogaretque quid vellet, quemve quæreret, infert ferociter Euſumanus, Te Holthuſi quęro voloque; (erant enim à veteri odio quo olim Holthuſium Albæ Duci militantem Euſumanus meminerat adverſarii:) ſimul haſtam vibrando eum trajicere conatus eſt; Holthuſius pectore quidem ictum declinat, ſed manu vulneratur; cumque audiret Euſumanum ſignum ſuis explodendi tormenta dare, & videret primarium quendam ſuis ex militibus trajectum concidere, & ipſe ſignum dedit. Itaque orto conflictu cùm Euſumanus ſuos conglobare, & ad certamen hortari conaretur, ab Holthuſii famulo adverſum os ſclopeto ictus concidit, ita ut pila per fauces & cervices penetraret, & conantem reſurgere ſpiritus deficeret. Eum is vitæ finem tertio Junii habuit, quem multi pridem ſunt ominati juveni præcipiti & præferoci & nullius hominis mo-

nita precesque curanti. Erat ingenio solerti, & in colloquiis modesto sed vafro, patiens inediæ, vigiliæ, & algoris supra quam dici potest, animo autem inquietus, crudelis, varius & adversâ fortunâ imperterritus, nimis alta cupiens: Quod si generis nobilitatem exuberantiamque naturæ modestiâ prudentiâque temperasset, sibi suisque & Reipublicæ profuisset.

FINIS.